MERCVRII
GALLOBELGICI:
siue,

RERVM IN GALLIA ET BELGIO POTISSIMVM: HISPANIA QVOQVE, ITALIA, ANGLIA, GERMANIA, *Polonia, viciniſq; locis ab anno 1588. ad Martium anni 1594. geſtarum,*

NVNCII
TOMVS PRIMVS.

Sex priores Libros comprehendens.

AVCTORE D.M.IANSONIO Doc. Co-menſi Friſio.



COLONIAE AGRIPPINAE.
Apud Viduam Godefridi Kempenſis.
ANNO M.D.XCVIII.

Cim: 0.623



REVERENDIS, SINGVLARI VITAE INTEGRITATE ET ERVDITIONE Dominis, Do. Henrico Detteno, Cathedralis Ecclesiæ Monasterienſis Vicario: nec non & Domino Ioanni Detteno, Veteris Eccleſiæ D. Pauli Canonico, fratribus: Dominis & amicis ſuis vnicè collendis.

S. P.

EVturum aliquando tempus, Reuerendi Domini, quo viui mortuos ſe beatiores dicent, & quo viuos omnes lamentatio, mortuos vero gratulatio ſequetur, nõ tãtùm Methodius Epiſcopus Martyr, & Lactãtius Firmianus; ſed & ipſe Chriſto dilectiſsimus Apoſtolus Ioãnes in Apocalypſi ſua vaticinatur. In illud autem tempus nos incidiſſe omninò mihi perſuadeo. Quis enim noſtrûm eſt, qui ſi animum ſuũ ab huius ſeculi occupationibus paruper abſtrahat, & ad ætatis noſtræ ſtatum diligenter contemplandum conuertat, huius vitæ pertæſus cum Paulo non clamabit; Cupio diſſolui, & eſſe cũ Chriſto? Inualuit enim malitia, omnia vitiorum & fraudum genera increbuerunt. Iuſtitia interijt: fides, pax, miſericordia, pudor, veritas, nuſquam reperitur. Vis & audacia præualet. Vix eſt, qui aliquid habet, quod non vi, fraude, impoſturiſq; pactum & manu defenſum eſt. Si qui ſint, boni, prædæ & ludibrio habentur. Soli mali opulenti ſunt boni verò in omnibus contumelijs & egeſtate iactantur. Pauci parentibus pietatem exhibent; nemo infantis aut

In reuelationibus. Epitomes diuin. Inſt. cap. 11.

senis miseretur. Auaritia & libido corrũpunt omnia. Vsitatissimæ sunt cædes & sanguinis effusiones; vbique bella sunt, non modò extera & finitima, verum etiam intestina. Ciuitates inter se bella gerunt; omnis ordo & ætas armis tractat. Non imperij dignitas conseruatur, non militiæ disciplina: sed more latrocinij impius miles vastat & depradatur omnia. Quis, inquam, Reuerendi Domini, nostrum est, cui diligenter hæc perpendenti viuere libeat? Taceo tot blasphemias, execrationes, contumelias, impura verba in Deum, in eius Sacramenta, in Sanctos, quæ quotidie aures nostras circunsonant. Tanta enim est hæreticorum nostrorum temeritas, & effrenis audacia, vt nihil tam sanctum, nihil tam diuinum, & in augustissimæ Trinitatis concilio tam arcanum, quod non audeant execrandis linguis suis proscindere polluere, prophanare. Quòd si Policarpi in nobis spiritus esset, ah quoties cum illo exclamaremus; Deus, ad quæ nos tempora reseruasti?

Huius tanta ataxia atq; impietatis, etsi causa præcipua sit hominum innata malitia, Spiritus S. subtractione ad quæuis scelera præceps; auget tamen eam intestinorum bellorum diuturnitas, quæ omnis impietatis licentiæ fenestram aperit. Impossibile namq; est, in bello iustitiam posse seruari. Non ignorauit hoc Antigonus senior, qui cuidam porrigenti librum de iustitia conscriptum; Desipis, inquit, qui cùm me videas alienas vrbes armis vexantem, tamen apud me de iustitia differis. Aliam præterea horum malorum causam arbitror, neglectam & contemptam veram

Religi-

Religionem: quod ne ipsum quidē Horatium Poëtam Ethnicum latuit, cùm dixit.

Dij multa neglecti dederunt
Hesperiæ mala luctuosæ. Horat. lib. 3. oda. 6.

Quibus duabus causis, quò minus tertiam Lanctantij addamus quid vetat? Is enim de vltimi temporis malitia differens; Cuius, ait, vastitatis & confusionis hæc erit causa; quòd Romanum nomen, quo nunc regitur orbis (horret animus dicere: sed dicam quia futurum est) tolletur de terra. Quæ causa omnes si vnquam vno eodemq; tempore locum inter Christianos habuerunt, certè hac ætate habent: in qua nullus pene orbis angulus à bellis, iisq; inconditis & dissolutis immunis est: nulla non prouincia hæresibus, atheismis & impietatibus plena; nusquam non Romanum nomen, tam in Monarchia Ecclesiastica, quàm seculari exosum est. Ex multitudine itaque & causarum efficacia, multitudo sequitur turbulentissimorum, tristissimorumq; effectum. Diuin. institit. lib. 7. cap. 15.

Quod vt ijs, in quibus adhuc amor alicuius pietatis remansit, ostenderem, libellum hunc ex multis fragmentis Germanicis, Latinis, & Gallicis: qua his annis in lucem prodierunt: priuatis quoq; scriptis, & quotidiana experientia opere tumultuario compilaui. In quo mirabiles mundi paroxismos, regnorum mutationes, bellorum motus, hæreticorum diuersas in Ecclesia machinationes, insidias, periuria, proditiones, inaudita hominum scelera, vrbium & prouinciarum excidia; &, vt vno verbo dicam, totius mundi horrēdam metamorphosin, quam hoc lustro proximo vidi-

mus, commemoro. Quod vt facerem, impulit me, præter amicorum preces, & meæ & proximorum salutis amor, vt dum hanc rerum humanarum instabilitatẽ, impuritatemq; leginus, vita hæc nobis vilescat, animumq; ab his transitorijs, ad ea quæ stabilia sunt & æterna, transferre discamus.

Hoc igitur qualecunq; sit, quod in hoc libello præstitimus, Reuerendi & eximij Domini, vobis nuncupatum volui: Beneficentia namq; & humanitas, qua me nuper vobis præsentem estis complexi, facit, vt nominis vestri nunquam obliuiscar: quam etiam deinde nouis missis muneribus cumulastis; ita vt beneficijs vestris me velle obruere videamini. Præterea historiarum studiosis, ecquod munus conuenientius, quàm historicum quid potest offerri? Huc accedit singularis ille zelus, quo Catholicam, Apostolicam, Romanam, Religionem prosequimini: quam in laudabili illa & antiqua Diœcesi Monasteriensi nunquam non promouere & propagare conamini: omnibus eius professoribus vnus opibus, alter studijs & laboribus suis patrocinantes. Scio quidem, R. Domini, vobis eruditiora, politioraq; deberi: sed sint hæ amoris nostri primitiæ. Accipite igitur hanc qualemcunq; nostram operam, & tenue amici munusculum; authoremq; mutuo (vt cœpistis) amore complectimini. Valete. Ex nostro Musæo: Anno ab humani generis instauratione M.D. XCII. Idibus Septembris.

Reuerendis Dominationibus vestris
deditissimus M. Iansonius.

RERVM ME-
MORABILIVM HVIVS libelli Index.

ANNO 1587.

SAcræ Ligæ in Francia origo, pag. 3
Iuramentum Franciæ Regis quale ibid.
16. Iulij, Comitia in Francia edicta 4
20. Iulij. Germani equites Nauarræo subsidio in Galliam profecti 5
10. Octob. Nauarræus Ioieusium vincit ibid.
16. Octob. noctes. Galli festum insecuta, Germani à Guisianis cæduntur ibid. & seq.
Castellonius ad Nauarræum venit 6

ANNO 1588.

Simultas inter Guisium & Espernonium 7
Henricus Rex Galliæ Parisijs 8
9. Maij, Guisius Henricũ Regem Parisijs adit. ibid.
10. Maij, Tumultus Parisiensis 9.10.
Confœderatorum ad Regem Henricũ legatio 12
7 Iulij, Articuli Regi Galliarum à Confœderatis oblati 13.14
19. & 21. Iulij, Edictũ vnionis inter Regẽ Henricũ & Catholicos eius subditos promulgatur. 14. 15. & seq.
Nauarræus Rupellam exercitum ducit 19
31. Iul. classis Hispanicę infœlix successus ib. & se.
Regina Angliæ Hispano Regi bellum molitur 22
Regis Galliæ ad Cõfœderatos scriptũ ibid. & seq.
15. August Comitia Blesensia indicta 23
Consilium Confœderatorum de rebus in Comitijs Regi proponendis 24. & seq.
Ad comitia Blesensia qui veniant 28

Dux Guisius cur ad Comitia non veniat 29
17. Septembr. Parmensis Antuerpiam venit 42
Sixtus V. Papa aquæductum in montem Quirinalem construit ibid. & seq.
Bibliothecam Vaticanam renouat 43
Typographia ab eodem Romæ instituta 45
Bonna à Regijs obsidetur 46
Schenckius à Principibus Germanis opẽ petit 47
Germanorum Principum ad Schenckij petitionem responsio ibid.
19. Septem. Bonna Regijs deditur 48
26. Septemb. Classis Hispanica lacera in Hispaniã redit ibid.
Robertus Dudlæus Comes Lyceſtriæ obijt ibid.
2. Octob. Supplicatio solennis Blæsis habita 29
9. Octob. Henricus Rex cum proceribus regni sacram synaxin percipit 30
16. Octob. Oratio à Rege in Comitijs habita 34. & seq.
Montes ad Zomam obsessi 50
Marchio de Renthi Tolensibus bellum parat ibid.
20. Octob. Parmensis Montes ad Zomam proditione infeliciter tentat ibid.
19. Decemb. VVachtenduncka obsidetur, & capitur 51
Hippolitus Aldobrandinus Legatus Apostolicus, ad pacem inter Sigismundum Suecum & Maximilianum Austriacum conciliandam in Poloniam missus 52
Mors Stephani Barthoræi: electio noui Poloniæ Regis: competitores regni ibid. & seq.
Maximilianus Austriacus Rex Poloniæ electus 55
Sigismundi Sueci electio 56

Bellum inter Suecum & Austriacum ibid.
Maximilianus à Sueco captus 59
Quid in Comitijs Blæsensibus actum ibid. & seq.
Dux Guisius ad Comitia vocatur, & venit 61
23. Decemb. Henricus Rex de Guisio trucidando consilium init 62. & seq.
Guisius trucidatur 64
Guisij Secretarius capitur 65
Qui Principes eodem die capti ibid.
24. Decemb. ipsa Natiuitatis Christi vigilia Cardinalis Guisius occiditur 66
Henricus Rex Inuillæum puersi interfici iubet 67
27. Decemb. Nauarræus Niortium occupat 72
28. Decemb. feria 4. post Christi Natalitia Guisiorum cadauera comburuntur 67
Ducissæ Nemouriæ cum Rege expostulatio 68
Guisij coniugis lamentatio ibid & seq.
Duos alios Guisios parit 71
Parisiensum in Regem Henricum odium ibid.
Vrbes à Rege deficiunt 72
Scriptum Henrici Regis, quo se iterum purgat de interfemis Guisijs 37. & seq.
Criminationes Regiorum in Guisios 75
Confœderatorum in apparando bello diligentia 76
Henricus Rex Confœderatos aliquot hostes declarat ibid.
Ioannis Regiomontani de anno 88. vaticinium 77 & seq.
Mira, quæ eodem anno in diuersis orbis partibus contigerunt ibid.
Portenta, quæ hoc anno visa & audita sunt 78. 79
Petri Turelli de Regno Galliæ vaticinium 80

INDEX.
ANNO 1589.

6. Ianuar. Catharina Medicæa Henrici Galliarum regis mater moritur 81
Eius morientis ad filium monita 82
Henricus Rex Blæsis relictis, in Turones proficiscitur 83
Legatus in Gallia Pontificius Henricum Regem delicti sui admonet ibid.
Parisienses de Regis facto Theologos consulunt ibid.
7. Ianuar. Theologorum Parisiensium de Regis facto sententia 84
Pontificis & Cardinalium ob cæsos Guisios consternatio ibid.
Pontificis ad Cardinales oratio 85. & seq.
Pontifex apud Gallum pro liberatione Caroli Borbonij Cardinalis & Petri Lugdunensis Archiepiscopi instat 90
1. Februar. Henricus Rex Catholicos ordines ad comitia noua denuo vocat 91
Ordinum Confœderatorum Galliæ ad Regem scriptum amarulentum 92 & seq.
Aurelianenses à Rege Henrico frustra obsessi 98
4. Martij Parisienses Mœnium Ducem Proregem Franciæ renunciant ibid. & seq.
Henrici Regis de accersendo Nauarræo cum suis deliberatio 100
Landunum, Castelloraltum, Mirebellum, & alia quædam oppida se Nauarræo dedunt 104
Pax in Polonia inter Sigismundum & Maximilianum constituta ibid.
Pacis conditiones ibid.

Formula

Formula iuramenti 105
Maximilianus libertati restituitur ibid.
Geertrudomontani tumultuantur 106
26. Martij, Marchio VVarenbonius à Parmensi in Gelriam ablegatur 107
23. Martij, Cardinalis Farnesius Parmensis Ducis Patruus moritur ibid.
24. Martij, Verdugius munitiones ab Ordinibus in territorio Groeningensi interceptas recuperat 108
Initio Aprilis, Comes Nassouius montes S. Geertrudis obsidet ibid.
6. Aprilis, montes Sanct. Geertrudis Parmensi dediti 109
Conditiones deditionis ciuium geertrudobergensium ibid.
Conditiones Præsidiariorum militum 111
Elizabetha Angliæ Regina classem instruit 112
Exemplar literarum Sultani ad Anglam 113
Confœderati, Hugonottæ, & Politici tres diuersæ partes in Gallia 115
Senlisium oppidum Henrico Regi deditum 116
23. April. Mompenserius Alençonio profectus Touchetum intercipit, Faloizam obsidet & oppugnat, Confœderatos cædit ibid.
25. April. mœnij de Politicis victoria 117 & seq.
Henricus Rex cum Nauarræo amicitiam init 119
26. April. cur id fecerit publico programmate declarat ibid.
29. April. Catharina Caroli Lotharingiæ Ducis filia Ferdinando Florentiæ Duci nubit 123
Miraculum de puella Rhemis suspensa ibid.
5. Maij, Sixtus V. Pontifex Henricum Galliæ

Regem

Regem Romam citat 125
6. Maij, Mœnij expeditiones, & de Regijs victoriæ 126
Nauarræi & Henrici Regis colloquium 128
Classis Anglica in Lusitaniam ibid.
8. Maij, Coronis ab Anglis oppugnatur 130
Parmensis ad fontes Spadanos proficiscitur 131
Confœderari in Gallia Senlisium obsident 132
Eorum clades 133
22. Maij, Henricus Rex cum Nauarræo Lutetiam versus tendunt ibid.
Gergolium, Glanum, Caritas, aliaque oppida ei dedita 134. & 135.
Nauarræus Pluuiers capit ibid.
Castillonæi cum Saueusa pugna ibid.
Stampæ captæ & direptæ ibid.
Pontoisarenses Regi parere nolunt 135
24. Maij, Blienbeck à VVarenbonio expugnatur ibid.
3. Iunij, Parmensis in Daniam Legatio 136
Anglica in Lusitaniam expeditio ibid. & seq.
10. Iunij, Angli in Angliam reuertuntur 139
Iacobus Clemens Monachus, quomodo consilia sua de Rege Henrico interficiendo captauerit. ibid. eius mors 143
1. August. Henricus Galliæ Rex, à monacho interficitur 142
Moriens Nauarræum successorem designat 143
Eius mors 144
2. August. Nauarræus à suis Rex Galliarum proclamatur 145.
Ei iuramentum præstatur ibid.
Schenckius Berckensibus comeatũ subuehit ibid.

7. Augu. Schenckij de Regijs in ericeto Lippiensi victoria 146
11. August. Schenckius Nouiomagum occupare tentat ibi. oppugnat. 147. & seq. cum suis aquis absorbetur 151. ex aquis attrahitur 152
Præsidiarij Brillenses tumultuantur ibid & seq.
15. Augustus Comes Mansfeltius castrum Heel in Bommeler Werdt capit. ibid.
24. August. Brakelium, & Rossemium idem recuperat ibid.
Nauarræus ad Ordines Galliæ scribiti bid. & seq.
Exercitum in tres classes distribuit, & bellum pro sequitur 142
20. August. Rotomagenses Nauarræos à mœnibus repellunt ibid.
Dominus de Chartres Confœderatorum nomine Turonensem vrbem frustra tentat ibid.
In Italia aquarum inundatio 155
Magi & Magæ combusti 156
20. Aug. Iacobus Comes Limitaneus Badensis colloquium Catholicorum & Lutheranorum instituit 156
Confœderatorum in Gallia ad Pontificem legatio 157
Nauarræi ad Venetos Legatio ibid.
Sabaudiæ Dux Geneuam obsidet ibid. & seq.
Inter Genenenses & Bernates simultas 158
16. Septemb. Marchio Renthius & Motræus cum exercitu Cameracum à Parmensi missi ibid.
Carolus Mansfeltius Voorn obsidet 159
5 Octob Eidem insidiæ à Geusijs structæ ibid.
Neuuenarij Comitis mors ibid.
Mœnius Diepam obsidet, ibid.

Cosacci

INDEX

Cosacci in Turcas, Tartari, & Turcæ in Podoliam, & Poloniæ vicinas prouincias irruunt 160
Polonorum ad Turcam legatio ibid.
Comitia in Polonia celebrata 161
26. Octob. Nauarræus suburbia Parisiensiũ spoliat 161
Germani à Lotharingo cæduntur ibidem.
Burdegalenses gubernatorem suum Nauarræanum eijciunt ibid.
Ianuillium, Lauerdinium, Mõtoyrium, Mons Richardotij, &c. Nauarræo dedita ibid.
Vendomium ab eodem expugnatum 163
21. Nouemb Nauarræus à Turonensibus magnificentissimè excipitur ibid.
Heluetica & Veneta ad Nauarræum legatio ibid.
25. Nouem. Monstrausiam Nauarræus obsidet ibi.
28. Nouemb suburbia Monstrasiæ occupat 164
2. Decemb. monstrausia Nauarræo deditur 163
Beaumontium & Tuæuoisia eidem deduntur 164
21. Decemb. Alençonium eidem deditur ibid.
25. Decemb. Mœnius Pontoyse occupat 165
Brisaacus Comes à Nauarræo capitur 165

ANNO 1590.

1. Ianuar. Nouiomagenses pecuniam in Brillam Arnhemio missam interceperunt 166
3. Iannar. Ernestus Elector Coloniæ Iubilæum proclamari iubet 167
14. Ianuar. Nauarræus publico edicto Lotharingum bello incessere mandat ibid.
30. Ianuar. Bercka Comiti Mansfeltio dedita ibid.
Sixti V. Papæ liberalitas 168

6. Februar.

6. Februar. Haufleur, Cillebecum,& Cillebuesium, Nauarræo dedita 169
21. Februar. Rhotomagense castrum Hogonottis proditur ibid.
23. Februar. à ciuibus recuperatur 170
Hispanorum in Belgio tumultus ibid.
VVilhelmus Comes Nassouius aliquot propugnacula circa Groeningam capit ibid.
3. Martij, Breda à Comite mauritio capta 171
10. Martij, Mansfeltius Ordinum milites fugat, & Seuenbergen capit 172
Parmensis sub Egmundano subsidia mœnia submittit 173
Nauarræus Dreux obsidet, & capit. ibidem & seq.
13. martij, mœnius obsidionem Dreux soluere tentat 134
14. Martij, inter Mœnium & Nauarræum Yuriensis pugna 176
Melodunum nauarræus occupat ibid.
AErarium nouum à Sixto Quinto Papa institutũ 178. & seq.
Hispaniarum Regis ad Pontificem legatio 179
Suspiciones cur Sixtus V. Papa Fœderi Gallico subuenire nóluit ibid.
Simultas inter Pontificem & Regem Hispanię 180
Nuptiæ Scotiæ Regis & Reginæ Daniæ 181. & seq.
5. maij, mœnius Camera cum venit 182
Parisiensis vrbis status tempore Yurienſis nauarræi victoriæ 183
nauarræus Corbelium & Lagniacum occupat 184
Parisienses se ad defensionem parant ibid.
Montereau Nauarræo deditum ibid.

Sens in-

Sens infeliciter Nauarræus oppugnat ibid.
Parisios obsidet 185
10. Maij, Hollandi Nouiomagum iterum tentant 186 & seq.
15. Maij, Ordines Belgici Nouiomagensibus obsidionem meditantur 187
20. Maij, candentes globi in vrbem Nouiomagensem primùm missi 188
Mansfeltius Nouiomagum venit 189
Knodsenburg propugnaculum, è regione vrbis Nouiomagi ab Hollandis constructum 190
22. Maij, Parmensis & Mœnij colloquium 191
Protestantes Coloniæ liberum petunt Religionis exercitium ibid.
Initio Iunij, Circuli vvestphaliæ conuentus Coloniæ ibid.
4. Iulij, turris S. Stephani Noueomagi corruit 189
25. Iulij, Bonnense in Cõcilium 204
Beaumont Nauarræo deditur 192
Parisiensem vrbem Nauarræus oppugnas 112 & seq.
Ecclesiastici Parisijs fiunt milites ibid.
Proditio Parisijs detecta 193
Sandionysiani se dedunt Nauarræo 195 & seq.
27. Iulij, Parisiensis vrbis suburbia Nauarræus occupat ibid.
Tumultus ob fanem in vrbe Parisiensi 196 & seq.
Parisiensium ad Nauarræum tempore obsidionis legatio 198. 199. & seq.
Marchio Badensis fit Catholicus 206. & seq.
11. August. Doddendael ab Hollandis oppugnatur, & deditur 207
19. August. Verdugius Emmentilliũ occupat. ibid.

Nienzijl-

Nienzijl obsidet ibid.
Parmensis in Galliam proficiscitur 208
23. August. Germanorum Principum ad Parmensem & Ordines legatio 208
Ordinum ad legationem amara responsio 209 & seq.
Lutetiæ ob obsidionem Saguntina fames 215
Viginti duo pueri comesti 216
29. August Parmensis exercitum Parisios mouet 238
30. August. Nauarræus Lutetiam deserens Mœnio obuiam procedit 217
1. Septemb. Laigni à Parmensi obsidetur 219. oppugnatur & expugnatur 221
Comeatus à Parmensi Lutetiam infertur ibid.
Nauarræus Parisiensem vrbem ex insidijs iterum tentat 222
13. Septemb. Pons Charenton & Pons S. Claudij Parmensi deduntur 223
Parmensis Lutetiam ingreditur 224
Sixti V. Papæ morbus 225. mors & acta 225. & seq.
Vrbani VII. Pontificis creatio 227. & seq.
Vrbani VII. Pontificis morbus 229
7. Septemb. Vrbanus Papa moritur 230
Mense Octob. Nassouius multas arces & propugnacula in Belgio capit ibid.
Thenæ occupantur & spoliantur ibid.
Corbeilium Parmensis capit ibid.
8. Nouemb. Carolus Emmanuel Subaudiæ Dux Freum venit 231
11. Nouemb. Draguignæ magnificentissimè excipitur 231

12. Nouemb. Lorgee ipsi deditum 232
14. Nouemb. Apud Aquas Sextias honorificè excipitur ibid.
Massilienses Ducem ad se inuitant 233
Venlonenses præsidiarios suos eijciunt 234
Propugnaculum prope Hoy ab Ordinibus expugnatur 235
Duinkerka frustra ab ijsdem obsidetur ibid.
Nouiomagēses Hollandis liberam permittūt nauigationem 236
2. Decemb. Parmensis in Belgium redit 238
5. Decemb. Georgius XIV. Pontifex electus 239. & seq.
Galliæ oppida à Parmensi recuperata, illo absente amittuntur 140
Hispani tumultuantur ibid.
25. Decemb. Comes Ebersteinius VVestphaliam & Paderbornensem Episcopatum deprædatur ibid. & seq.

ANNO 1591.

Rodolphus Imperat. pacem in Belgio componere nititur 242
Belgæ pacem nolunt 243
1. Ianuarij Geiseken ab Ebersteinio occupatur 244
Crudelitas. Geusiorum in Geiseken 246
4. Ianuarij Comes Mansfeltius in Luxenburgum profectus 248
Gregorij XIV. Iubilæum ibid.
Angliæ regina Nauarræo subsidia mittit ibid.
Gratianopolis Nauarræo deditur 249
Regij Bredam, & Lochemium tentant ibid.
16. Ianuar. Ebersteinius Monasterienſ. diœcesim depræ-

deprædatur 299
Spectrum Basileæ visum 291
Honfleur à Confœderatis in Gallia occupatur ib.
Ostendenses Blankenbergam occupant 252
4. Febru. D. Telegnius Lanoi filius captus dimittitur ibid.
Altenburgensis conuentus, & quid in eo decretum ibid. & seq.
Pontifex Confœderatis Galliæ subsidia promittit 254
Banditæ nouas in Italia tragœdias excitant ibid.
Alphonsus Piccolhominæus, Dux Bãditarum capitur, & capite mulctatur 255
Nauarræus insidijs Lutetiam tentat ibid.
Gregorius XIV. Pontifex Nauarræum denuò excommunicat ibid.
Subsidia à Pontifice Gallis missa 256
5. Martij Geneuensium contra Sabaudum victoria ibid.
Conuentus Francofurti habitus 257
Vrbanus Pierius Vittenbergensis pastor Caluinismi accusatur ibid.
Lutherana synodus VVittenbergæ ibid.
Banditæ Italiam vastant 258
6. Martij Cardinales à Gregorio XIV. creati ibid.
Petri Clementis Hugonottæ vaticiniũ ibi. & seq.
11. Martij Comes Bernhardus à vvaldeck Osnaburgensium Episcopus obijt 259
Hispani Britanniam inuadunt 260
Ius Hispaniæ Regis filiæ in Britanniam 261
Comes Brissacus Legatus ad Parmensem 262
Magnani vim pecuniæ à Parmensi impetrat 263
Chartres frustra à Nauarræis obsessa ibid.

Fames Lutetiæ: & comeatus irruptione in vrbem illatus ibid.
Fames in Italia 264
Hollandicæ naues primùm in Italia visæ ibid.
Annona in Italia leuatur 265
20. Martij Daniæ Regina in Ducarum Brunsvvicens. ad filiam profecta 265
31. Mar. D. Brionius in arce Mirebelliana captus 266
Turnhout ab Hollandis capitur ibid.
10. April. Tureiniæ Comitis querelæ in comitijs Francofurtensibus ibid.
16. April. Chartres à Nauarræo capitur 267
Dux Aumalius ab Espernonio cæsus 268
20. April. Knollenburgensis arx ab Ordinibus Belgicis capitur ibid. & seq.
26. April. à Milendunckio recuperatur 270
Sabandiæ Dux Masiliam venit 217
In Hispaniam proficiscitur ibid.
4. Maij VVesterloo à Geusijs capitur 292
Ordines Hollandici sese armant ibid.
22. Maij Zutphanense propugnaculum captum 273
Zutphania à Nassouio obsidetur, & Comes Ebersteinius globo traijcitur 274
29. Maij Zutphania Nassouio deditur 275
31. Maij Dauentria à Nassouio obsidetur ibid.
3. Iunij Parmensis ad liberandam Dauentriam Ruremundam venit 276
Pontoyse Nauarræus proditione frustra tentat 279
5. Iunij Louirium oppidulum proditione idem capit ibid.

9. Iunij

9. Iunij Dauentria oppugnatur 277
10. Iunij Naſſouio deditur 278
Parmenſis in Cliuiam venit 279
Delfzilium, Damnium & Immentillium, Hollandi recuperant ibid.
Octauij Epiſcopi Calatini Nuncij Apoſtolici mãdata Coloniæ decreta 286
10. Iunij Zuiffelius Tuitium occupat 281
29. Iunij Templius Andernachum occupare tentat ibid.
Knodſenburgum à Parmenſi obſidetur ibid.
22. Iulij oppugnatur. 282
Mauritij è Friſia in Galliam reditus 284
24. Iulij Naſſouij de Regijs in Batauia victoria 284
25. Iulij Parmenſis obſidionem Knodſenburgij ſoluit 285.
5. Auguſti Parmenſis Nouiomago diſcedit 287
Edictum Parlamenti 292
6. Auguſt. Nouiodunum expugnat 288.316
Idem ſe publico edicto purgat, & Catholicæ religionis conſeruationem promittit 289.& ſeq.
9. Auguſt. Bragadinus Chymicus capite plectitur 293. & ſeq.
Supplicium Bradagini 294
Argentoratenſes Carthuſianorum monaſterium diruunt 295
Apparatus bellicus pro Nauarræo Argentoratum miſſus 296
Germanorum exercitus Nauarræo militaturus coit 327
11. Auguſti recenſetur. 298
5. Auguſti Iuuillæus Guiſij Ducis filius ſeipſum

captiuitate liberat 296
Auaricum venit, & magnificè excipitur 298
21. Augusti Exercitus Germanorum ad Nuvvenhouium venit, 399. eius ordo ibidem iter in Galliam 301
Miraculum in S. Eucharistia exhibitum 302
Iudæi capti, & damnati 304
4. Septemb. Anseaticarum ciuitatum Lubecensis conuentus ibid.
Doctoris Sudermanni Anseaticarum vrbiũ Syndici mors ibid.
Rudolphus Imperator pacem inter Belgas & Regem Hispaniarum cupit conciliare 305
Ernestus Elector restitutionem oppidorũ Diœcesios Colonienſis à Parmensi exigit ibid.
Lotharingiæ Dux Anhaltio & Germanis viam in Franciam intercludere nititur 306
19. Septemb. Metenses tumultuantur 307
Anglica classis ab Hispanis malè excepta ibid.
Confœderatorem in Gallia ab Hugonotis victoria ibid.
26. Septemb. Hulst & territorium vvasense occupant Hollandi 308
Mondragonius frustra Hulstense oppidum recuperare tentat ibid.
29. Septembr. Cæsaris Legati Praga Coloniam veniunt 309
Ioannes Orientalis Frisiæ Comes obijt ibid.
5. Octob. Christianus Saxoniæ Dux moritur ibid.
14. Octobr. Ordinum Classis Nouiomagum appulsa 311
Status vrbis Nouiomagensis 310
Ordines Belgici Verdugij castra explorant ibid.

vt No-

Vt Nouiomagum obsideant inuitantur 311
16. Octob. Ordines Nouiomagum obsident 312
Tumultus in vrbe Nouiomagensi 314
19. Octob. Mauritius deditionem vrbis Nouiomag. postulat ibid.
20. Octob. Consilia ciuium de deditione vrbis 315
21. Octob. Nouiomagum Hollandis deditur ibid.
Schenckius sepelitur 316
Mors Gregor. XI v. Pap. 318
29. Octob. Innocentius IX. Papa electus 319
Classis Hispanicæ victoria ibid.
3. Nouemb. Saxoniæ Ducis exequiæ 320
D. Kreilius Saxoniæ Cancellarius, & D. Vrbanus Pierius capti 323
D. Christophorus Gundermannus fugit 324
15. Decemb. D Gundermannus capitur ibid.
Seditio Cæsarauguſtana, vulgò Saragossa ibid.
Monstrosus partus Francofurti ad Mœnum ibid.
Edictum Reginæ Angliæ in Catholicos 326.
Seminarium Anglorum valleſoleti in Hiſpania erectum 327
Legati Cæs. publicâ fidē ab Hollandis petunt 334
Hollandorum magnificentia ibid.
Honorificè Bruxellis excipiuntur ibid.
Rhotomagum obsidet Nauarræus ibid.
Parmensis Cæsaris Legatos audit ibid.
Petro Ernesto Comiti Mansfeltio gubernatio Belgij demandatur ibid. & seq.
Boruſſiæ Ducissæ, & Bipontini in comentu Duſſeldorpiensi petitiones 336 & seq.
Concionator hæreticus multarum vxorum maritus Pragæ capitur 337 & seq.

Dux Mantuæ Romam venit 338
30. Decemb. Innocentius IX. Papa obijt ibidem & seq.

ANNO 1592.

5. Ianuarij Guilielmus Iuliæ, Cliuiæ & Montium Dux obijt 342
6. Ianuarij Mansfeltius ad Groeningenses scribit 343
Arenbergius & Barlemontius ad Regem Hispan. scribunt 344
Parmensis in Galliam exercitum ducit ibid.
16. Ianuarij Ioannes Casimirus obijt 345
25. Ianua. Elizabetha Caroli IX. Galliarum Regis, Rudolphi Cæsaris soror obijt ibid.
30. Ianua. Clemens VIII. Papa electus 346
30. Ianuar. Parmensis exercitum lustrat 347
1. Februar. Catholicorum in Gallia victoriæ 148
Neomagi Magistratus nouus constitutus & imagines per carnificem exustæ ibid. & seq.
Parmensis in Galliam expeditio 350
26. Februar. Rhotomagensium de Nauarræo victoria 351
Borussiæ Ducis & Bipontini ad Cæsarem legatio 352
9. Martij Cæsaris ad legationem responsio 356
10. Martij VVilhelmi Cliuiæ Ducis exequiæ ibid. & seq.
Eiusdem Epitaphium 358
Simmerius Dux Palatinatus administrationem ambit 359

Cæsar

Cæsar negat Frederico Palatino feudum & regalia ibid.
Palatinus se munit contra aduersarios 360
Neumarck à Palatino occupatur ibid.
Ambergenses se contra Caluinianos tuentur 361
Conuentus Ordinum Saxoniæ Torgoniæ 362
Accusatio eorum aduersus Kreilium Cancellarium ibid.& seq.
10. Martij D. Keuenhullerus Legatus Cæsaris ex Hispania Pragam redit 364
13. Martij Polonorum ad Cæsarem legatio, vt sponsam Regi suo adducat ibid.
Hollandi Traiectum ad Mosam infeliciter tentant 365
Nouiomagensium præsidiarij Steinfeldiam diripiunt 366.& seq.
Cæsaris Legati ab Hollandis fidem publicam petunt 367.& seq.
Rhetius Cæsaris Legatus in Hollandiam proficiscitur 368
Amurathes Turcarum Imp. Christianis bellum parat 169
Lis inter Regem & magnum Cancellarium Poloniæ 370
Saesfeldia ab Hollandis occupatur ibid.& seq.
Regij Bercheikanum castrum frustra obsident 371.
Nauarræus Diepam, Parmensis Boloniam secedit 372
Rhotomagensium eruptio,& victoria ibid.
15. April. Ruensem obsidionem Parmensis soluit 373
18. April. Nauarræus Nobilitati missionē dat 374

20. April. Nauarræus Rhotomagenſem obſidionem ſoluit ibid.
Nouiomagenſe præſidium Erkelentium oppidum tentat 375
Clemens Papa exercitum contra Banditas conſcribit. 376
22. April. Parmenſis Caudebekam obſidet, capitque. 380
Rhotomagenſibus copioſus comeatus aduehitur. 381
27. Aprilis Prædatores in Brabantia capti 413
Vltraiectenſis ciuitatis ſtatus 373. & ſeq.
Diepa in fide Nauarræi nutat 383
Middelburgenſis cõuentus Ordinũ Hollandię ibi.
Pontifex patrocinatur Confœderatorum cauſa ibid.
Exercitus in Gallia noua ſupplementa expectant ibid.
Venetiarum generalis Lipollo Vſchios perſequitur 273
1. Maij Anna Auſtriaca à Polonorum legatione excipitur ibid.
4. Maij Eiuſdem cum Polonorum Rege Matrimonium confirmatum 384
Pugna inter Parmenſem & Nauarræum 386
Rhotomagum firmo præſidio munitum 386
Nauarræorum victoria 387
Parmenſis Rhotomago Lutetiam reuertitur ibid.
Nauarræus Caudebekam recuperat 391
22. Maij, Anna Auſtriaca in Poloniam venit, & à Rege ſponſo ſponſa excipitur 341
Chriſtophorus Gundermannus Caluinianus reuocat doctrinam & fidem ſuam. 513

Cæſa

Cæsareus Legatus, infecto pacis negotio, ex Hollandia reuertitur 394
84. Maij Ioieusij insignis ad Lautrechium victoria ibid. & seq.
La Trappe deditur Ioieusio 396
Ioannes Comes à Manderscheit Argentinensis Episcopus moritur ibid.
Cæsaris literæ ad Canonicos Argentinenses Catholicos, & ad Senatum Argentinensem 307
Canonicorum Catholicorum Argentinens. ad Protestantium Capitulariũ citationem responsio 398
Ioannes Georgius Brandeburgensis Marchio Argentinens. Episc. à Protestantibus eligitur 390
Kochersberg & Dachsteinium idem occupat 440
Steenvvicensis oppidi obsidio 401
6. Iunij Steenvvica oppugnatur 403
9. Iunij Carolus Lotharingiæ Dux Episcopus Metensis, Argentoratens. Episc. à Catholicis electus 404
10. Iunij Idem Argentoratensi Magistratui scribit ibid.
Argentorateusis Senatus ad Episcopi literas responsio 405 & seq.
Steenvvica proditione tentatur 407
Confœderatorum celebris victoria in Britannia Mercurio Duce 408
13. Iunij Nassouius iterum ad Steenvvicam fulminat 309 & seq.
16. Iunij Litteræ Lotharingi Argentinensis Episcopi ad Argentinensem Senatum 410
Senatus ad easdem responsum 411
17. Iunij Steenvvicensium eruptio 413

Turci

Turci vvihitsch Croatiæ metropolim deditione obcupant 414
Lotharingus Episcopus Argentinens. Dachsteinium & Kochersbergam recuperat 415
Quæ idem ab Argentoratensibus postulet ibid.
Cæsaris ad Argentoratenses legatio 417
Lotharingus Argentinensis Episcopus vvasselheimium oppidum deditione capit 419
M. Dauid Steinbachius Caluinianus, arte Dæmonis captiuitate se exonerare tentat 420
Eiusdem Palinodia 422
Anglicæ classis clades 423
Parmensis in Belgium redit ibid.
Arnhemiensis Caluinistarum synodus ibid.
Subsidia Steenvvicensib. missa ab hoste cæduntur 424
4. Iulij Steenvvica Hollandis deditur 425
Qui tempore obsidionis in oppido Steenvvicense occisi ibid.
Mœnius Ponteau de Meer oppidum capit 426
Nauarræus Lutetiam proditione tentat 427
Turcarum in Croatia felicis progressus ibid.
Inter Regem & Cancellarium Poloniæ simultas 428
Catholicorum in Gallia victoriæ ibid. & seq.
18. Iulij Mondragonius Dux VVesterloum castrum recuperat ibid.
20. Iulij Turnhoutium arcem ibid.
21. Iulij Bercheicanum castrum ibid.
Visitatio Saxonica 429
Articuli damnandi circa Cœnam Domini ibid.
Articuli damnandi circa personam Christi 430
Articuli damnandi circa Baptismum ibid.

Articu

Articuli damnaudi circa prædestinationem 432
Sabaudus Antibolos capit 432
Turcarum in Christianos variæ expeditiones ibid.
12. Iulij Minister hæreticus Pragæ fit Catholicus ibid.
Mareſcallus Bironius cæditur 434
Nauarræus Espernaium recuperare tentat ibid.
Turreinæ Comitis mors ibid.
Dux Mercurius Cenomanum Britanniæ oppidum capit ibid.
Mœnius Caudebekam recuperat ibid.
Nemauriæ Duci Lugdunensiũ Gubernatori Vienna deditur ibid.
Magnus thesaurus in Belgium ex Hispania mittitur ibid.
Turcarum progressus & expeditiones in Croatia 436
Ootmarsum oppidum ab Hollandis captũ ibid.
Alphonso Mendosi forte facinus ibid.
Coeuarda ab Hollandis obsidetur ibid.
Cæsar cum suis de Turcis repellendis consilium agitat 437
10. Augusti Ernestus Archidux Austriæ & Hungari Pragam veniunt ibid.
Argentoratenses iuxta Ernstein cæduntur 438
Heluetij subsidia mittunt Argentoratensibus ibi.
Argentoratenses Moltzemum obsident ibid.
De pace inter Argentinenses & Lotharingos frustra agitur 439
11. Augusti Cardinalis Lotharingiæ de Argentinensibus victoria & præda ibid.
16. Augusti Moltzemensis obsidio soluitur 440

Bonnensis

Bonnenſis Præſidij contra Præfectos ſuos rebellio 441
24. Auguſti Regius miles Bonna educitur 449
Nauarræorum ad Deſeram clades ibid.
Valentia & Romanſa Confæderatis dedita 446
Coeuardæ ſubſidia à Parmenſi miſſa ibid.
Anhaltius cum ſuis Germanis ex Gallia reuertitur. ibid.
26. Auguſti Anhaltius militat Argentinenſibus ibid.
3. Sextembris VVilhelmi Lantgrauij Haſſię mors. ibid.
6. Septemb. Regij Hollandorum ad Coeuardam caſtra oppugnant 448
12. Sept. Coeuarda Hollandis deditur 449
19. Sept. Taggay, & minor Gomorra à Turcis fruſtra tentatur 450
20. Septemb. Boſniæ Baſſa Turopolim inſulam vaſtat 151
Franciſcus Puccius Filidinus nouus Pelagianus & eius paradoxa ibid. & ſeq.
Eius aſtutię & iactãtia de Spiritu Sancto, quem habet 453
Francofurtum & Herbipolim venit 505
Turcæ Kanyſiam obſident 456
Turcarum & Chriſtianorum exercitus quantus ibid.
3. Octob. Monaſterienſe incendium 457. & ſeq.
Clades Chriſtiauorum à Turcis 459
9. Octob. Argentinenſ. Rheinouiam occupant ibid.
Sabaudus Fayẽſam in Prouincia fruſtra tẽtat 460
Landiguerius Pinarolã & Suſam in Sabaudia ibi.

9. Octob.

9. Octob. Lipsiæ visitatio ibid.
Turcæ castrum S. Georgij occupant ibid. eorum progressus ibid. & seq.
Solymanni ad Rudolphum Imp. denunciatoriæ litteræ 461. & seq.
Cæsar à Germanis cõtra Turcas auxiliũ petit. 465
Lotharingi Florimontium obsidentes à Nauarræis fugantur & cæduntur 446
11. Octob. Parmensis ex aquis Spadanis Bruxellas redit 467 Regulum Scampanium in exilium eijcit ibid.
Bebbur obsidetur ibid.
Vvilhelmi Rosenbergij Boëmiæ Proregis exequiæ 468
14. Nouemb. Argentinenses Moltzemum obsidẽt, & occupant 471 & seq.
Comes de Fuentes in Belgium ex Hispania profiscitur ibid.
Parmensis Ducis mors 478. & seq. eius funus Bruxellam deducitur 477. & seq.
Ernestus Fredericus Marchio Badensis Argentoratensibus auxilio venit 478. & seq.
Ordines Belgici oppidum S. Viti tentant 480
20. Decemb. Sigismundus Marchio Brandenburgensis baptisatur 475
Mansfeltius Senior Belgij gubernator 476
20. Decemb. Parmensis Ducis exequiæ Bruxellis celebratæ ibid. & seq.
Turcæ exercitum è Croatia reducunt 477
Ioannis II. Regis Sueciæ mors 486
Falckenburgi in Silesia prodigium in aëre ibid.
Carolus Mansfeltius cum exercitui in Galliam proficiscitur 487

ANNO

5. Ianuar. Mœnij Ducis de electione noui Regis scriptum publicatum 496
Nauarræi Concilij aduersus Bullas Pontificias appellatio 506
18. Ianuarij Ioannis vveimarienſis Saxoniæ Ducis nuptiæ 510
Turcarum nouæ expeditiones 511
Banditæ Italiam vaſtant 512
Catholicorum Nauarræum ſequentium ad Mœnium & ſuos ſcriptum 513
Marchio Carpenſis moritur 517
Varia naufragia ibid.
Turcæ 600. ſubmerſi ibid.
Landighuerius in Delphinatum exercitum ducit 518
Argentiuenſis belli ſtatus 120
Pernonius in Delphinatu, & prouincia ibid.
Cæſar à Pontifice opem implorat 520
Turcarum nouæ victoriæ ibid.
Claſſis Indica Hauanam appulſa 521
Saxonicæ viſitationis finis ibid.
Turcæ Palettam tentant 522
Maleſpina Parmenſis Ducis Legatus Pragam ad Cæſarem venit ibid. & ſeq.
Banditæ in Italia ibid.
Romæ prodigium ibid.
Montmorantius Aubenas occupat 508
Pariſienſium Comitiorum initium ibid. & ſeq.
Militaris diſciplina in Belgio 528 & ſeq.
27. Febr. Ordinum Confœderatorum Belgij edictum 510

Bauariæ Dux ad Imp. venit 534
Franciſcus Aldobrandinus in Bãditas mittitur 535
Martignouius Braiam fruſtra tentat ibid.
Argentinenſis pacis conditiones 537
Mansfeltius Nouiodunum fruſtrà oppugnat 539
19. Martij Comitia Vngarica & Boemica 540 & ſe.
Genuenſes obedientiam præſtant Pontifici ibid.
Bauariæ Dux Venetias venit 542
Dux de Feria Pariſios venit ibid.
Confœderati Sellas occupant 544
Nouiodunum obſidet Mansfeltius ibid.
26. Martij Sciarra à Battiſtella cæditur 546
7° Martij Ordines Belgici Montes S. Gertrudis obſident ibid. & ſeq.
Turcicus Legatus ad Venetos 547
Dandalotius à Confœderatis capitur 548
Appius Contius Generalis exercitus Pont. interficitur ibid.
Nouioduuum à Mansfeltio oppugnatur & capitur ibid.
2. April Oratio Ducis de Feria habita in Comitijs Gallicis Pariſijs 550. & ſeq.
Ad orationem Ducis de Feria Nicolai de Pelleue Rhemenſis Archiepiſcopi reſponſio 555
3. Aprilis Parmenſis Ducis exequiæ Romæ celebrantur 565
15. April. Pernonius Dux Maſſiliam tentat 566
Bulla contra Iudæos, ne libros Chriſtianorum legant 567
17. April. 14. Iudæi Romæ baptizati 568
Moſcouiæ Dux à Pontifice titulũ Regis petit ibid.
Venetijs antiquiſſima numiſmata in viſcerib. terræ inuenta 570

Italia à Banditis purgatur 570
Maximilianus Bauariæ Princeps quo honore Romæ affectus. Neapolim nauigat 571
Dux Olicæ & Princeps VValachiæ venetias veniunt 641
Magnus Magister Melitensis captus 573
Sabaudiæ Ducis filij in Hispaniam deducũtur 574
29. Maij Tumultus Lipsienſis ibid.
Brunſvvigæ tumultus ob religionem 579
Zengenſium de Turcis victoria 581
Turca in Perſas 583. Morabellium obſidet, expugnatque ibid.
Perſarum de Turcis victoria 584
Chriſtianorum de Turcis victoriæ ibid.
Chilles à Sabaudo recuperatur 586
Claſſis ex America in Hiſpaniam appellitur ibid
Conuentus Bonnenſis Coloniam transfertur 589
Vaticinium in Calabria inuentum 590
Moerſenſium militum petulantia 597
Boëmi & Vngari ſubſidia promittunt ad bellum Turcicum 599
Turcæ Trenſcin occupant 601
12. Iunij Siſſeg à Turcis obſidetur ibid. & ſeq.
Chriſtiani in Turcas mouent 604
Chriſtianorum de Turcis victoria 607
Montes D. Gertrudis occupant Ordines Belgici 607. & ſeqq.
Petrina à Chriſtianis fruſtra obſidetur 611
Sinan Baſſa cum exercitu mittitur in Chriſtianos 613.
Frederici Comitis Palatini Rheni nuptiæ 614
4. Iulij Sigiſmundi 3. Poloniæ Regis filiæ baptiſmus. 615

Regij in Belgio Creuecourium frustra obsidet 618
19. Iulij Noueſienſes, ſuum expellunt preſidiũ 620
Ioannes Dux Saxoniæ vveimarienſis feuda petit à Cæſare nomine pupillorum Saxoniæ 622
Adminiſtrator Saxoniæ Superintendẽtes congregat Dreſdæ 624
Cometa apparet; & prodigium in Sole 627
Nauarræus ad fidem & Eccleſiam Catholicam redit ibid.
Inducię inter Nauarræum & Catholicos Principes in Gallia 634
18. Auguſti Ludouicus Dux vvittenbergenſis moritur 638
Sigiſmundi Poloniæ Regis in Sueciam iter 619
Groeningenſes de ſua miſeria ſcribunt ad Cæſarem 641
Peſtis in Anglia 543
Commentarius rerũ inter Turcas & Chriſtianos à Septembri vſque ad annum 1594. 544

AVCTORES, QVIBVS IN HOC libello vſi ſumus.

Latini.

VVilhelmus Roſſæus.
Petrus Linderbergius.
Iacobus Francus.
Andreas Philopater.
Tolmerus.

Germanici & Belgici.

Michaël Ayzingerus Auſtriacus.

INDEX.

Authór continuationis Chronicorum Hollandiæ.
Translator Iacobi Franci.
VVilhelmus Reiphannius.

Gallici & Italici.

Antonius Ciccarellus. Petrus Corueus.
Libellus, cui titulus: *Recueil* contenant les choses plus memorables aduenues sous la Ligue, &c.
Scripta publica diuersis locis, inceriſque auctoribus edita
Scripta priuata variorum amicorum.

FINIS INDICIS.

MER-

MERCVRII GALLOBELGICI LIBER PRIMVS, IN QVO EA

commemorantur, quæ à tumultu Parisiensi, vsque ad finem anni 1588. in Gallia, Belgio, vicinisq; locis gesta sunt.

DEfuncto Francisco Galliarum Rege, eiusq; fratre Carolo IX. nullo post se relicto hærede masculo; Allenconio quoq; nuper, nondum vxore ducta, è viuis sublato, vnicus è Valesianorum stirpe supererat Henricus III. Henrici eius nominis secundi, Galliarũ Regis filius, illorũ frater; qui hæreditario iure Carolo in Regni administratione succesſerat. Duxerat hic vxorem, Aloisiam, Claudij Vaudemõtij Ducis filiã, Principẽ totius Galliæ omnium iudicio formosissimam: ex qua Regni successor haud dubiè susciandus existimabatur. Cæterum Deus, qui ob inaudita, multifariaq; Gallorum flagitia, Regni huius periodũ, extremãq; ruinã iusto suo iudicio meditabatur, legitimã Regi sobolem, Regnoq; hæreditarium è Valesiano sanguine successorem pernegauit: vt digladiantibus inter sese post obitum Henrici, Principibus, intestinis bellis Gallia implicaretur; ciuili sanguine cruentaretur; & varias in partes Christianissimum illud, quod iam annis Anno 1587.

Anno 1587.

plus mille ducentis tanta cum gloria steterat, Regnum distraheretur.

Præcisa itaque omni regiæ sobolis spe, Franciæ Pares, cæteriq́ue Principes atque ordines, vt futuris incommodis atque dissensionibus occurrerent, de successore Regni maturè deliberandum, prudenterq́ue statuendum esse, arbitrati sunt. Suboluerat enim iam dudum Catholicis Principibus, Regem in hoc omni studio incumbere, vt Henricum Nauarræum ad Regni fastigium posset promouere. Præterea & Regis ipsius fides, integritasq́ue periclitabatur, & pleraq; illius studia multis erant suspecta, eò quod Caluinianis quotidie magis magisq; fauere, in Catholicos verò alieno prorsus animo esse videretur: id quod manifestissimis argumentis (quamuis & habitu & externis ceremonijs omninò aliud profiteretur) factisq́ue & dictis non obscuris testabatur. Proceres itaque Regni indictis diuersis comitijs, vbi Ordines conuenerunt, vbi Rex, Regina mater, cognationis Regiæ Principes, Duces, Episcop. viri nobiles, & è plebe grauissimi magno numero è tota Gallia sæpè aderant, Regem officij ac iuramenti sui admonuerunt, & vt vnam tantummodo, eamq; Catholicam, Apostolicam & Romanam Ecclesiam ipse coleret, omnibusq; subditis colendam seuerioribus mandatis præciperet, hortati sunt. Sed cum Regem egregiè simulare, aliud verbis promittere, & aliud animo moditari, nihilq; illi antiquius esse, quàm sub specie religionis, religionem paulatim Regno exterminare, hæresin introducere, & in hæreticum Principem sceptrum cum diamate transferre, animaduerterent, cum primarijs orbis Christiani

Vide pacificationem an. 1570.

Prin-

Principibus, cum Pontifice Romano, Philippo Anno
II. Hispaniarum Rege, Italiæ Regulis Lotharin- 1587.
gis (inter quos Guisij) Sabaudo, & alijs fœdus,
quod sacram Ligam appellant, inierunt. Huius Sacra Liga.
fœderis duo præcipua erant capita, Vnam Religionem, eamque Catholicam Romanam seruandam: omnes hæreses, hæreticosque Regno, in respiscant, pellendos. Deinde neminem è Principibus, quantumuis sanguine proximiorem, nisi Catholicus sit, ad Regni successionem eligendum. Fœdus hoc sanctum, iustum, Ecclesiæ Dei atque Reipub. vtile esse, publico programmate ostendunt, simulatque aliud scriptum confœderatorum nomine publicatur, quo successioni Regni tempestiuè prospiciendum monet, ne ad hæreticum (Nauarræum notant) deuoluatur. Id enim pugnare cum lege Salica, quæ hæreticum ad Regni administrationem non admittit, cum legibus Imperialibus, per quas hæreticus infamis est, & ab omni officio excluſus; cum legibus Pontificum, quibus Christiani tenentur ei non obedire; cum Concilijs, cum veteris ac noui Testamenti scripturis. Hæreticum non posse Regem Franciæ coronari, nec vllam coronationis particulam suscipere; Iuramentum quoque præstare non posse, quo Rex admota sacrosanctis Christi Euangelijs vtraque manu, iurat, *Velle se Episcopis & eorũ Ecclesijs conseruare priuilegia Canonica, ius & iustitiam debitã; Episcoposq; omnes & singulas eorum Ecclesias tueri; Ecclesiam Dei in vera pace conseruare, & bona fide laborare, quo ex omnibus terris iurisdictionis sua expellat hæreticos, quos Ecclesia Catholica hæreticos declarauerit.* Iuramẽtum Regis Galli-ci.

Anno 1587. *Bulla Sixti V.*

Nauarræum itaque Regno Gallicano inidoneum, nec eius dignitatis capacem, cùm ipse ab Ecclesia hæreticus, hæreticorum Dux manifestus, publicus & notorius iræ filius, Luciferi minister, læsæ Maiestatis diuinæ reus, & orthodoxæ fidei Christianæ hostis ante biennium esset renunciatus. Præterea minimè consultum esse, vt ei, qui vires suas modicas, cum omnibus externis Galliæ hostibus, cum Flandris, cum Germanis, cum Anglis, cùm Auriaco, Casimiro, Bipontino, ad aliquas Galliæ prouincias ferro flammaq; depopulandas cõniunxit, maiores vires tradantur; vt quæ super sunt, reliquas prouincias omnes ijsdem populationibus, flammis & stragibus deformet.

His similibusq; rationibus moti Principes Catholici, totis viribus cõtendebant, eoq; studia sua omnia dirigebant, vt cauerẽt, ne Nauarræus, seu Carolus Borbonius eius patruus, ad Regni successionẽ à Rege nominaretur. Decimo itaq; 6. Iulij An. 1587. edicta sunt comitia, in quibus articuli fœderis renouantur, & cõfirmãtur, Carolus Borbonius Cardinalis, primarius fœderis Princeps: Lotharingus eius vicarius, Dux Guisius Imperator exercitus, Nemourius iunior Magister equitum leuis armaturæ, Dux Mœnius equitum præfectus, & Bironius Mareschallus declaratur. In ijdem comitijs à Rege multis precib. petitum est, vt alium, quàm Nauarræum, Catholicum, non hæreticum Regni successorem nominet; in omnes Catholicæ, Romanæ Religionis hostes arma cõuertat, Regnũ ab omni hæreseos colluuione vel seriò tandem purgare non desinat. Nauarræus sibi vim & iniuriã factum iri arbitratus, [illegible]

ciſſim

cissim necessariam sui defensionem susc ipit, & Anno permissu Angliæ Reginę Principumque quorun- 1587.
dam Germaniæ Protestantium in ditione eorum
aliquot equitum turmas colligit. Quæ in Alsa- *Iulij 20.*
tiam eodem mense Iulio ad diribitionem, & re-
liquum exercitum Helueticum magnis itinerib.
contendunt, pluresq; ibidem hebdomadas com-
morantes, direptionibus incendijs, ac cædibus
grassantur. Tandem Roberto Bullionęo & Fabia-
no à Dona ducibus iter ingrediũtur, viamq; sibi
per Lotharingiam vi & virtute sua aperiunt. Oc-
currit illis ad Mosellam hostis Guisius, remoram
eis, ne cum Nauarræo coniungantur iniecturus.
Nuncio ad Nauarræum delato, cõfestim ipse de-
siderio excipiendi copias flagrans, aduolat, & in
itinere cum Duce Ioieusio, vestigijs suis à tergo *Pugna in Gallia.*
semper insistẽte, & ad prælium prouocante, de- *10. Octob.*
cimo Octobris ad Coutrasium dimicauit. Victo-
ria penes Nauarræum fuit: ipse Ioieusius perijt,
perierunt & cùm illo aliquot Principes Galliæ,
gregariorumq; militum numerus non exiguus.
Sũt qui huius cladis culpam in ipsum Regem re-
ijciunt, vt qui Catholico exercitui promissa, de-
bitaq; stipendia negaret: quapropter A miralius
Ioieusius iam iam manum cum hoste conserturus, militem reluctantem, pugnamq; detrectantem inuenerit. Lætam hanc Nauarræi victoriam, mox tristior clades interturbauit. Exercitus enim Germanus, relicto calle iusto, cõtrarium ingressus, seipsum locis periculosissimis implicuit, non significato profectionis consilio. Quo factũ, vt maxima pars equitum in pagis vicinis residẽs, nocte S. Galli festum insecuta, fusa & oppressa *Cæditur Germani.* sit: multis præstantibus ijsdemque nobilibus viris

Anno 1587.

tis captis, dissipatis trucidatis. Nec minori clade affectus est Fabianus à Dona : aliquot turmas equitum, peditumq; secum habens in oppido Aenaú, quod peruigilio neglectum, ipso die Martini inalbescente, ex improuiso per Guisianos, hostẽ more suo Martinalia celebraturũ, & profundis poculis largius se inuitaturũ subolẽtes adortum, expugnatũ & direptum est, Germanis altum dormientibus partim captis, partim trucidatis. Baro à Dona, belli dux superato saltu muro, qui aliâs sanctus est, mortem præsentem cum vno aut altero seruo ægrè euasit. Heluetij inconsulto Domino, cui sacramentum dixerant, ad Confœderatos Catholicos transeuntes, defecerunt. Equites Germani, quos belli calamitas reliquos fecerat, inermes, ægri, nudi, & pedites plerique cum quinque tantùm turmarum equestrium Præfectis (desideratis sedecim) in Germaniam redeunt. Vnus Castillonius per medios hostes perrumpens, Nauarræo se stitit. Hoc modo perquam magnus ille exercitus qui equitum quinque millibus, peditum verò viginti millibus constitit, superiorem victoriam infelici hoc exitu, cum maxima Germanici nominis ignominia fœdè corrupit.

Castillonius ad Nauarræum venit.

Henricus Valesius accepto hoc nuncio, populo foro & scenæ (quod dicitur) inseruit: felicem belli fortunam, prosperosque Confœderatorum euentus illis clam inuidet: mentis tamen ægritudini vultus hilaritatem prætendit, perdius pernoxque meditatum, quibus modis Guisiorum crescentem indies authoritatem minuat, eiusque vires frangat. Non enim latere potuit Regem, quæ apud populum & sua, & Ducis Guisij esset existima-

existimatio. Plerique namque Regem ipsum ob- Anno
liquè perstringebant, tanquam ignauum, dissi- 1588.
mulatorem, superstitionibus deditum differe-
bant: Guisij verò pietatem, fortitudinem, dignam
Imperio formam extollebant. Habebat Rex fa-
miliarem, quem præ cæteris omnibus deperibat,
Espernonium; hunc, alieniori in Guisios factus
animo, nouis quotidie dignitatib. augebat, pub-
licisq; functionibus cumulabat, humiliori loco
natum, Ducem creârat, & nunc exercitus Impe-
ratorem, belli ducem, & quasi totius Galliæ pro-
regem constituerat. Vnus Espernonius instar erat
omnium. Guisij apud Regem, & eos, qui Regio-
rum consiliorum erant conscij, authoritas quoti-
die decrescebat. Nauarræus, & qui cum illo erât,
Hugonottæ, harum rerum certiores facti, cùm
cæso, dissipatoque Germanorum exercitu, omnis
victoriæ bellicæ spes exciderat, ad clandestinas
insidias, & machinationes animos suos conuer-
terunt. initio (vt quidam asserunt) æmulationem,
simultatem & tacitam quandam inimicitiam in- *Simultas inter Espernonium & Guisium.*
ter Espernonium & Guisium seminarunt. quo fa-
ctum est, vt Espernonius Guisium apud Regem
traduceret, varijs delictis oneraret, tantumq; ef-
ficeret, vt omnia Guisij acta Regi essent suspecta.
Obliterata sunt omnia Guisij in Ecclesiam, in
Rempubl. Gallicanam, in ipsum Regem benefi-
cia: quod pater, quod ipse Reges, Regnumq; Gal-
liæ in tam ancipiti statu conseruârat, nulla iam
mentio. Ab Aula, aulicisque negotijs abstinere
iubetur, in odium multorum, quorum non inte-
gra, sed simulata fides erat, incurrit; authoritas &
existimatio eius quotidie magis magisque immi-
nuitur. Nec satis erat Espernio cum suis Guisium

Anno 1588. Regi exosum reddidisse, sed in vulgus dissemi-
nat, eum magis quàm hæreticos ipsos, timédum:
vt cui propositum erat Lutetiam ciuili cæde &
sanguine contaminare, bona ciuium diripere, æ-
rarium Regium expilare, & Thesaurum sibi con-
flare, quò Principibus, vrbibusq; quibuslibet bel-
lum mouere posset. Dum Rex, dum ipse Espernonius belli præfectus his criminationibus in-
censi sunt, Nauarræo vires accrescunt, bello gna-
uiter incumbit, vrbes & arces occupat: è contra-
rio Regius exercitus feriatur, dilabitur, nihil di-
gnũ laude agit. Succrescit denuò à Guisijs exsti-
patum loliũm; res Catholicorum ex optimo lo-
co quotidie recidunt in deteriorem.

Rex Lutetiã venit: Erat circa idem tempus Henricus Rex Parisijs,
ad quẽ vt se ab obiectis criminibus purgaret Gui-
sius, è Lotharingia proficisci decreuerat. Huius
Guisij cõsilij certior factus Rex, Belieurium Sues-
sionem vsq; illi obuiam misit, cum mandato, ne
Parisios veniat: si secus fecerit, eum læsæ Maiesta-
tis crimen incursurum. Terruit mandatum hoc
Guisius Lutetiæ Regem edit. 9. Maij. initio Guisium, resumpto tamen post animo, de
Regis pristina erga se beneuolentia confidens in
cœpto itinere pergit, Lutetiamque, septem aut
octo tantùm comitatus nobilibus, peruenit, atq;
ad palatiũ Reginæ matris diuertit. Venit & pau-
lò post eodem Regina mater: quæ cùm ad pala-
tium Regis deferretur, Guisius eam comitatur, &
tanquam nullius sibi criminis conscius, vnà cum
Regina cubiculum ingressus. Regi suo se stitit.
Regemq; mente & voce intrepida salutauit. Rex
viso Guisio excanduit, & quod contra mandatum
ad se venire ausus esset, increpauit. Guisius beni-
gnè respondit; se non alio fine ad suam Maiesta-

tem

tem veniſſe, quàm vt ſe purgaret, immeritumq; Anno ab æmulis ſuis traduci oſtenderet. Interrupit ſer- 1588.
monem Mater, & nondum pacato Regis animo, Guiſius diſceſſit. Poſtridie denuò Regem inuiſit, ſecretiora illius palatij loca ingreſſus, nihil ſibi aut à Rege, aut à quopiam alio mali metuens: ſolo animi ſui candore fretus. Regis autē diffidētia, quotidie inimicis Guiſij faces ſubijcientibus, creſcebat. Habebat Rex in vrbe quatuor ſigna Gallorum, Heluetiorum verò tria. Exploratores in omnē orā Rex emittit, qui inquirāt, ſequanturne Guiſiū maiores copiæ atq; vbi eius hæreat exercitus. Qui reuerſi nunciarunt, nullū Guiſianū militem in procinctu eſſe: exercitum eius quadraginta ab vrbe milliaribus ſubſiſtere, Guiſium nō aliud habere præſidium, quàm octo nobiles, quibuſcum in vrbem venerat. Hæc ſimiliaque Regis animum in diuerſa diſtrahebant, vt nunc benè, nunc malè de Guiſio ſentiret. Vicēre tamē æmulorum aſſiduæ criminationes, eoque Regem tandem adduxerunt, vt præter ſeptem ſignorum prędictorum corporis ſui præſidium, ipſo diei Iouis crepuſculo, duodecim alia Heluetiorum, & octo Gallorum ſigna, per portam Honorij, in vrbem vocauerit, qui cùm honorificè ab ipſo Rege, & quotquot cum Rege erant, excepti eſſent, ab Heluetiorum Chiliarchia, & excubiarum Regiarum præfecto, munitiora vrbis loca iuſſi ſunt occupare. Ciues audito ſtrepitu, cum tantam in vrbe militum viderent copiam, initio trepidarunt: ædium ſuarum ianuas obſerarunt; feneſtras munierunt, omniaq; fecerunt, quæ ad ſui defenſionē expedire videbantur. Exercitus autē Regius à Tribunis in varia loca diſtribuitur. Quædā ſigna occupant

Tumultus Pariſienſis.

Anno 1588.

cupant locũ dictum S. Ioannis Greue; quædã domũ ciuicã, in qua erant Dominus Hautmontius, præfectus mercatorum, alijq; multi, qui Regis animum nôrant. Dominus de Tinteuille ſuas copias ducit in pontem paruum, vulgò petit pont; Dampierius in forũ nouum, & ad S. Innocẽtium, aliaq; loca diuerſa. Placebat præfectis hic ordo ad perficiendũ, quod Rex in animo habebat; ſed peccatũ in hoc eſſe dicitur. quòd eũ vrbis locum, qui S. Mauberti vocatur, aptiſſimũ ad omnia alia occupanda & defendenda, præſidio non muniuiſſent. Hoc tã accipiti Reipub. ſtatu, dum quiſq; ſibi metuit, ſtudioſi qui literis operã dabãt primi, deinde ciues armati prodeunt. Seditio excitatur non exigua. Occupatur ab incolis regio, quæ à S. Mauberto nomen habet, decemq; tantùm paſſib. aberat ab Heluetiorũ ſtatione: deinde & alia nõnulla loca ab ijſdem muniuntur, & catenis plateæ clauduntur. Inuocatur Guiſius, horum omnium (vt putatur) ignarus, & in lecto adhuc iacẽs. Accurrit ille Domino Briſaaco, Boyſio, Dauphinio, alijſque nonnullis comitatus, & Heluetios primùm adoritur. Fit pugna, victoria penes Guiſium fuit. Felici hoc euentu ciues maiores ſumunt animos, & in Francos non minùs quàm in Heluetios ſæuiunt: trucidant nonnullos, vulnerantur viginti, cęteri ſuis ſtationibus depellũtur, armiſq; poſitis quidam capiuntur. Guiſius ne qua ædes fieret ſolicitus, ciues quantum licuit cohibuit: ſed in tam graui tumultu ordo ſeruari non potuit. Nongentos circiter Heluetios ad palatium Regis (vulgò Louvre) ſaluos deduxit. Sunt qui huius ſeditionis exordiũ in præſidiarios Regios reijciunt, dicentes, nonnullos eorũ minatos

ciuibus

ciuibus; dixisse illis, lectos sternerent, se eo die in illorũ ædibus habituros. Alij aliam causam comminiscuntur.

Anno 1588.

Rex præter opinionem omnia malè succedere cùm intelligeret, animo consternatus est: timuerunt & Reginæ, præcipuè Mater, quæ illo die nihil prêterquam lachrymari visa est agere Cisium nihilominus conscendens, ad amicum quendam Guisij contendit, orans, Guisium adeat, petat authoritate sua furentem populum ab armis reuocet, vrbi tranquillitatem restituat. Aulicus verò ille, cùm à populo impediretur, ad Guisium peruenire non potuit.

In tanta rerum perturbatione, cùm ij qui Regis animum occupârant, & huc impulerant, consilium suum irritum esse viderent, Regi persuaserunt, vt quantocyus vrbe relicta ad loca se tutiora transferat: Guisio namq; decretum esse. Maiestatem suam apprehendere, & captiuam abducere. Rex vidés periculum, & maleuolorum obtrectationibus credens, Lutetia confestim excedit, & Carnutum, vulgo Chartres, se recepit. Guisius, qui nihil minus, quàm de Regis captiuitate cogitabat, mœstus ob subitum illius discessum, metuensq; ne forsitan æmuli sui Regis animum magis irritarent, maius sibi odium apud illum conciliarent, Regemq; ad peiora in Reipublicæ Religionisq; detrimentum audenda incitarent, armamentarium, palatium, aliaq; loca vrbis munitiora occupat, præsidijsq; firmat, ostia, scriniaq; ærarij Regij in vsum Regis obserat, obsignatq;, & fuspectis (si qui essent) magistratu motis, alios fideliores substituit. Scriptum paulò post publicauit quo mentẽ suã declarauit, se nihil vel exodio, vel ex sini-

Anno 1588. ex sinistra de Rege suspicione feciſſe: ſed omnia quæ Lutetiæ acta eſſent, non alio, quàm ad conſeruationem Religionis Catholicæ, omniumque Catholicorum tendere: vt ſe vel tandem coniuratorum hæreticorum inſidijs, occultiſq; machinationibus expediant.

Tumultu porrò Lutetiæ ſedato, Carolus Borbonius, alijque proceres Regni confœderati, qui Catholicam profitebantur Religionem, conueniũt, legatoſq; omnium nomine ad Regem ablegant, qui fidem obſeruantiamq; ſacri fœderis Regi declarent, hæreſin omnium malorum eſſe fontem, totiuſque regni ruinam fore, ni maturè, & quidem funditus exſtirpetur, doceant: orent ſuam Maieſtatem, vt antiquarum victoriarum memor, hæreticos bello perſequi non deſiſtat, fortes, magnanimos, & quorum fides probata eſt, belli Duces eligat. Eſpernonium & fratrem eius Valletium omnib. bonis ſuſpectos, ſummos hæreticorum fautores; diffidij, diffidentiæq; omnis authores, qui nihil præclari vnquam tot ſumptibus egerunt; qui clandeſtina cũ Cleruantio, cum Caſtillionco, alijſque hæreticorum anteſignanis conſilia contulerunt; quorum vel ignauia, vel conniuentia multa eſſent oppida in Delphinatu ab hoſtibus intercepta, quiq; innumeris alijs criminibus erant obnoxij, præfecturis ſuis deſtituat, alioſq; fideliores ſubroget: exercitum in Guyennam & Delphinatum mittat, generalem Regni conuentum edicat. Huic legationi Senatus, populuſq; Pariſienſis ſuam quoq; adiunxit, quæ præteritarum offenſionum ἀμνηστίαν, mutati Magiſtratus approbationem, & ni Rex in vrbem reuerſurus, præter conſuetum præſidium, copias vllas intro-

introducat, roget. Rex omnium postulata benignè audire, perbellè simulare, tumultus Parisien- Anno 1588.
sis causam à se remouere; Catholicis Principibus tam in exstirpandis hæresibus, quàm in recognoscenda Espernonij, fratrisq; illius causa diligentiam suam promittere.

Qui cum Rege erant Catholici, ipsaq; in primis Regina mater, omni studio in hoc incumbebant, vt omnis diffidentia inter Regem & cõfœderatos tolleretur; firmaque & stabilis inter eos certis cõditionibus pax conciliaretur, à qua cum Rex se minimè alienum simularet, conditiones institutæ, & suæ Maiestati oblatæ sunt. 1. Vt Rex tanquam caput Sacri fœderis omnibus modis Religionem Catholicam defendat; Maiestatem & authoritatem suam vbique tueatur. 2. Vt omnes subditi, cuiuscunq; ordinis & conditionis iurent, se (si opus sit) vitam, & fortunas omnes suas pro defensione & conseruatione Regis, eiusque coronæ & authoritatis daturos. 3. Vt eodem iuramẽto promittant, se bellũ ad exstirpationem omnis hæreseos non detrectaturos. 4. Vt si Rex absq; liberis moriatur, subditi Regẽ non elegãt, qui aut manifestus est hæreticus declaratus, aut quoquo modo hæreseos suspectus: imò ne eum quidem, qui hæreticorum fautor esse conuincitur. 5. Vt sua Maiestas, eiusq; subditi omnes polliceãtur, Confœderatos Principes tueri, & omnẽ hæreticorum vim atque violentiam ab eorum capitibus propellere. 6 Vt Confœderati omnibus pactis, conditionibus, & fœderibus quoquo modo suæ Maiestati, eius coronæ, aut liberis noxijs actutum renuncient. 7. Vt Rex vicissim ab omni pacto & fœdere cum hæreticis ineũdo abstineat, & si quæ antea

Anno 1588,

antea cum ijs pepigerit, ea sint irrita. Hæreticis insuper ciuitatibus, si quæ in ipsius tutela sint, nulla deinceps mittat subsidia. 8. Vt duo fortissimi exercitus ad frangendas hæreticorum vires conscribantur. 9. Vt Rex Concilium Tridentinũ in omnib. Galliæ prouincijs & vrbib. edicto suo publico iubeat obseruari. 10. Vt has, aliasque plures cõditiones (quas breuitatis causa prætereo) Sua Maiestas iureiurando promittat se perpetuò obseruaturã, idem se facturos iurent oẽs consiliarij Regij, Magistri Palatini, Ordinis S. Spiritus Equites, Principes & Nobiles Regni: Omnes etiam Prætores, Iudices, officiarij Regij, easdem conditiones descriptas in Archiuis habeant, sanctèque seruent vt quoties necessitas requirat, adesit refugium.

Regis insignis simulatio

Rex, qui paulò ante Rotomagum venerat, vt animi sui conceptum tegeret, & confœderatis nullam suspicionis materiam daret, omnia quæ petebantur ijs concedenda esse putauit. Espernonium præfecturis abire iubet, odium non leue in illum fingit; edictum publicum Rotomagi primò, deinde Parisijs, & in alijs Regni vrbibus & oppidis iubet promulgari, quo se insigni simulatione omnis cum Nauarræo, cæterisque hæreticis occultæ amicitiæ suspicionem subterfugere posse existimauit. In hoc enim edicto verè se Catholicum, & Catholicæ Religionis debitorem profitetur. se à puero in ea educatum, & adolescentem nulla non pericula pro illius conseruatione adijsse gloriatur; eandem se postea ad Regale solium euectum defendisse, & quoad viueret, defensurum esse. Memorem se dicit, quid Regem Christianissimum, quid pri-

19. Iulij. 21. Iulij. *Edictum vnionis inter Regem & Catholicos eius subditos.*

mogenitum Ecclesiæ deceat: ideoq; iam seriò si- Anno
bi proposuisse, tandem Catholicæ, Apostolicæ 1588.
Romanæ Religioni (quantum voluntas Dei permiserit, & humana potestas cõcesserit) piam & stabilem pacem conciliare, vt cùm supremi Iudicis tribunali sistendus sit, imperterrita mentis fiducia testetur, se nihil intermisisse, quòd ad Religionis alterationem impediendam quoquo modo potuerit adhiberi. Velle igitur se, vt omnes subditi, cuiuscunque qualitatis, ordinis, aut conditionis, sibi iungantur, & vniantur; vt opus tam pium optatum sortiatur euẽtum, & Religio conseruetur. Huic tam sanctæ considerationi iã multis annis immoratum se fuisse; adhibitum sæpe consilium Reginæ matris aliorumq; Principum & Dominorum arcani sui Concilij. Nunc verò tandem voluisse, statuisse, & ordinasse; velle statuere, & ordinare, vt subsequentes articuli perpetua sint & inuiolabilis Lex, nec non & solidum Regni sui fundamentum. 1. Rex ipse iurat, iusiurandumque initio Regni in ipsa consecratione præstitum renouat, se nimirum in Catholica, Apostolica & Romana Religione perpetuò permansurum, in ea se viuere, in ea se mori velle, vt eam conseruet, tueatur, promoueat: omnes vires & facultates adhibiturum, vitæ propriæ nullam habiturum se rationem, saltem vt schismata, sectas & hæreses à SS. Concilijs, præcipuè verò Tridentino damnatas, omnibus Regni oppidis, pagis, alijsque locis exterminet: numquam insuper pacem se cum hæreticis initurum, aut aliquod edictum in fauorem illorum promulgaturũ. 2. Mandat omnib. subiectis Principib. Dominis,

Lex fundamentalis.

Anno 1588.

nis, cuiuscunque status, Ecclesiasticis, Nobilibus, oppidanis, & qui ruri habitant, alijsque cuiuscunque conditionis & qualitatis, vt se Regi in hoc negotio iungant, similique iuramento deuinciantur: se in hæreticorum extirpatione viribus, opibus, vita ipsa Regi adfuturos, opemque laturos. 3. Præcipit vt omnes eius subditi polliceantur, quòd si Rex absque mascula prole moriatur, se Regem non renunciaturos, aut Principi vlli, quicunque is sit, obedientiæ iuramentum præstituros, qui aut hæreticus est, aut hæreticis quocunque modo fauet. 4. Pollicetur Rex se in posterum ad officia militaria neminem promoturum, nisi sincerè Catholicum, qui Catholicam, Apostolicam, & Romanam Religionem profitetur, & secundum eius præscriptum viuat. Seriò quoque mandat, ne quis in Collegium iudicum, aut Financiarum recipiatur, nisi Catholicus sit, & ab omnibus habeatur: suæ fidei vel ab Episcopo, eius vicario, aut vt minimum à suo pastore testimonium adferat, & à decem probatæ fidei viris commendetur, qui eum non alterius, quàm Catholicæ fidei cultorem profitebuntur. Vult mandatum hoc à suis ministris inuiolabiliter obseruari: si qui secus fecerint, eos suis officijs priuandos esse iudicat. 5. Ad hæc promittit Rex se omnes & singulos, qui suas partes ab initio secuti sunt, quique iam recens ad partes suas declinârunt, vt hæreticorum vim & impietatem reprimat, ab eorundem hæreticorum violentia defensurum. 6. Quam defensionem vt vnus alteri, atque ipsi inter se mutuo

sub aut
tat, eod
omnes
gi fore
laturos
que lib
ferit) d
except
gno m
to obl
sint or
ribus, p
siue in
deri, so
ros: qui
surum.
Regio si
rint, & p
& Regi
elles, læ
ciuitates
nibus pr
tibus Re
perpetui
litate ob
dicibus
ris, pacti
iestatem
Maiestat
per Lute
alio fine
ligionis
lis ignos

sub authoritate & mandato suo Regio promit- Anno
tat, eodē edicto præcipit. 7. Iurare insuper vult 1588.
omnes subditos; se tam in morte, quàm vita Re-
gi fore fideles, fidem Regi debitam nunquā vio
laturos, opibus, vitaq; Regis authoritatē, eiusque liberos (si quos Deus aliquando illi cōcesserit) defensuros contra quoscunque, nemine excepto, qui ei quocunq; modo nocere, aut Regno molesti esse voluerint. 8. Quin & Sacramento obligari vult omnes subditos, cuiuscunque sint ordinis & conditionis; se omnibus fœderibus, pactis, cōsilijs, commercijs, societatibus, siue in Regno, siue extra illud initis, huic fœderi, societati & vnioni contrarijs renunciaturos: qui facere noluerit, perfidię notam incursurum. 9. Si qui sint, qui huic vnioni & Edicto Regio subscribere noluerint, aut si subscripserint, & postea defecerint, iusiurandumq; DEO & Regi præstitum violauerint, hos Rex perduelles, læsęq; maiestatis reos pronunciat. Si quæ ciuitates huic edicto parere noluerint, eas omnibus priuilegijs & immunitatibus à præcedentibus Regibus donatis, spoliat. 10. Denique vt perpetuū sit edictum hoc, & maiori cum fidelitate obseruetur, interdicit Rex, ne ab vllis iudicibus in Catholicos causa cuiuscunq; fœderis, pacti, aut conspirationis in se, & suam maiestatem aliqua fiat inquisitio. Sed & cùm suæ Maiestati iam satis demonstratum sit, quæ nuper Lutetię in tumultu à populo acta sunt, non alio fine, quam zelo cōseruandę Catholicę Religionis acta esse, eadem Maiestas clementer illis ignoscit: quemadmodum & omnium eorū,

Anno 1588.

quæ à 12. Maij, vsq; ad præsentem diem hostili modo commiserant, vt quod pecunias Regias pro arbitrio tractarant, quod armamentarium occupauerant, quod arma aduersus Regẽ sumpserant, quod exercitum inconsulto Rege contraxerant; omnium, inquam horum absolutam, plenamque ἀμνηστίαν pollicetur: haud aliter, quàm si ea nunquam facta essent. Mandatum hoc Rex ipse manu sua subsignauit, præcepitque omnibus in Magistratibus & officijs minoribus & maioribus constitutis, vt mandatum hoc publicetur, describatur, in diaria publica referatur, & omni cum diligentia obseruetur.

Hoc edicto abundè satisfactum est Catholicis, quieuitq; omnis, quæ inter ipsos & Regem erat diffidentia, neque enim induci poterant, vt crederent hæc omnia Regem simulare. Rex interim, cui altramente reposita manebat sibi à Guisio & Parisiensibus irrogata iniuria, variamente coquebat consilia, & in omnem se partem mouebat, viam modumque cogitans, quò se à Guisio, cæterisque confœderatis vindicaret. Metuebat stupendam & ingentẽ illam Philippi Hispaniarum Regis classem tanto militũ & nautarum numero, tanta Principum & nobilitatis copia, tanta tormentorum militarium comeatus, rerum omnium abundantia, totum fermè triennium apparatam, instructam, adornatam: vt maiorem, vel etiam parem patrum nostrorum memoria fuisse non acceperimus. Nauarræus Consiliorum Regis (vt quidam arbitrantur) non ignarus, atrocitatem edicti Regij metuere se fingẽs Rupellam cum copijs suis

Classis Hispanica.

con-

contendit, in omnem intentus euentum, quò se fortuna inclinaret.

Anno 1588.

Per oportunè Regi accidit infelix Hispanicę classis successus, quæ cum tricesimo Maij Vlysibona soluisset, & alto mari se subducens, littora Lusitanica præterlegēdo ad Coronin Biscaiæ oræ promontorium peruenisset, tempestate exagitata, quatuor actuarias triremes, & quasdā è minoribus naues, fluctibus absorptas, desiderauit. 25. die Iulij, qui D. Iacobo Hispaniarum Apostolo sacer est, Coroni promontorio egressa, rursus altum petit, & trigesimo eiusdem non procul à Plymutha, primùm ab Anglis conspecta leuioribus velitationibus salutatur. Iulij 31. Archithalassus Anglicus Carolus Howardus Baro, ex stirpe Ducum Norfolciæ procreatus, cum Francisco Draco inferiore Admiralio, Naumachiam inire, & fortunam periclitari cœpit. Quod cùm Aloysius Peresius Medinę Sidoniæ Dux, classis Ibericæ Imperator summus, & reliqui Hispani obseruassent, omnibus neruis restiterunt. In primis Petrus Valdesius, dictę classis Vicarius, ac Propretorianæ septingentorum doliorum capacis, & 62. tormentis ęneis, & 800. militibus instructæ Præfectus, qui suæ, qua vehtbatur, nauis robore fretus, eò audacię prorupit, vt Anglos procacibus verbis irritare, ac se à reliquo comitatu seiungere auderet. Videntes hoc Martino Frobisherio & Io. Hawkinsio, quorum hic Victoriæ, ille Triumpho nauibus præerat, propitij venti auras ucupantes è vestigio appropinquant, & mox æuum latus in hostilem classem obliquantes,

Nauarræ aut Rupellam exercitum ducit.

Maij 30. Classis Hispanicæ infelix successus.

31. Iulij.

Anno 1588. deinde dextrum obuertentes, vtrinq; tormentorum fulminibus, insigniter Valdesianam diuerberant, malisque & antennis prostratis Francisci Draci in tempore subuenientis industria, cum Præfecto Petro Valdesio, epibatisque circiter 500. & quadringenties mille connatis, præter vasa argentea, cimelia, & nautica ingentis valoris supellectilem capiunt, captam cum alia similiter vehementissimè ab Angli petita, ad littus Britannicum abducunt. Postera die ob singularem sedati pelagi tranquillitatem nihil effectum fuit. Secundo verò Augusti Howardus & Dracus Admiralij, animosissimi iterum hosti se obijcientes, eidem ventum attenuertunt, & equorum instar suas naues summa agilitate circumrotantes, & nullo negotio a dextrum, nunc læuum latus elibrandis commodissimè tormentis in hostem dirigentes, primaria damna naumachiarijs Hispanis, præ fumo accensi pulueris, quid oculis obuersaretur, videre non sustinentibus, denuò inferunt. Illucescente die Augusti tertio Angli omnia vela nauibus suis induentes, hostilem classem rursus inuolare constituunt: verùm exorta per mare malacia, occasio rerum rectè gerendarum euanuit. Insecuto manè acerrimus iterum conflictus, geminatis tormentorum fulminibus exoritur, in quo maiores Hispanorum naues vehementer lacerabantur, nonnullæ submergebantur, cum pluribus generosissimis equis ac mulis, quos inter medias carinas natantes, & nauem hanc, nunc aliam nauem salutis causa appetentes, Oceanus absorbebat. Quinto Augusti ma-

Augusti. 1.

vici-

vicissim ita leniter fuit stratum, vt propter seda Anno
tas vndas nihil potuerit tentari. Proximo die, 1588.
vento ab Occidente & Meridie flante, Hispani
classem suam Gallię littora versus promouent,
inque Caleti portu, anchoris fixis, quoad pro-
missas Dux Parmæ auxiliares submittat copias,
quæ partim aduersus ventis, partim Selandicæ
classis ad ostium portus excubantis metu, ades-
se non poterant, commorari constituunt. Angli
fucum subolentes, consilijs initis hostem stra-
tagemate callido, cùm humanis virib. vix pos-
sint, amicis portubus submouendos inter se cõ-
ueniunt. Septem igitur ex vilioribus naues, in-
trinsecus pice, sulphure, igne, ferreis laminis
& hamis instructas, vento à tergò spirante in
classem Hispanorũ ferendas committunt. Qui
nauibus hisce, & quidem ardentibus visis, hor-
rendo clamore excitato, anchoras oppido tol-
lunt, rudentes altius hærentes dissecant, & velis
expansis 7. Augusti in fugam se conijciunt. Quo
repentino tumultu accidit, vt Centurionalis
Galeatia, quam illi Capitaneam vocant, in An-
glorum potestatem redacta, quædam malis &
antennis deiectis in socias detrusæ, plures luxa
tis à tormentis carinis in profundum maris de-
pressæ, duæ Flissingam ictibus planè conquassa-
tæ abductæ, aliæ alibi vi tempestatis appulsæ,
fuerint interceptæ. Reliqua classis turbatis or-
dinibus, tutam salutis anchoram fugiendo ap-
prehendit, & cùm diebus octo continuis mense
Augusto ab Archithalasso Howardo, & Draco
Admiralio altero, strenuè esset persecuta, cre-
bris ictibus à tergo ab ijsdem concussa, ad extre

Anno 1588.

mos Daniæ & Norvegiæ fines propulsa, tandem circumnauigintà eminus Britannia, & multis in breuibus Hiberniæ nauibus amissis, in Hispaniam rebus infectis redijt.

Atque ita mole sua laborans hæc classis, depressa, capta, & dissipata est. Constabat autem 150. (vt quidam aiunt) nauibus. Ex ijs à quibusdam numerantur 23. quæ perierunt, & in manus hostium venerunt: atq; in ijs decem millia militum. Alij multò pauciores recensent. Cætera pars classis in Hispaniam partim lacera, partim salua denuò appulsa est. Neque contemnendus erat Reginæ Anglorum tam maritimus, quàm terrestris apparatus. Classis Anglica in tres partes erat distributa. Vni præerat magnus Archithalassus Carolus Howardus: alteri Milordus Hericus Semeiricus, Ducis Somersettani filius. Hi duo cum suis nauigijs Ducem Parmensem aliquamdiu obseruârant, ne quid ille cum classe sua, quam in Flandria parabat, hostile in Anglos moliretur. Tertiæ parti Regina Franciscum Dracum præfecerat, ipsa cum reliquo Nobilium, militumq; exercitu maximo & fortissimo littora circumquaq; tuebatur. Deuicta classe Hispanica, vndique pecuniam cogit, classem suam restaurat, & in futurum annum Regi Hispano bellum inferre meditatur.

26. Sept.

Regina Angliæ Hispano Regi bellum molitur.

Rex Galliarum classis Hispanicæ metu liberatus, propositum suum accelerandũ esse putauit. Litteras ad omnes ordines Catholicos scripserat, quibus miro verborum fuco singularem suum erga Religionem Catholicam zelum, & erga Catholicos omnes amorem prædicabat: quæ-

Regis Galliæ ad Confœderatos scriptum.

quæcunq; bella pro Religione gesserat, quid de adolescentia egerit, quid passus fuerit, quæ pericula adierit, vt Religionem hanc sartam, tectam conseruaret, longo ordine commemorabat. Clementiam suam in tumultuantes Parisienses speciosis verbis exaggerat; Regni sui ataxian, plurimosq; in eo abusus se cum dolore animi videre dicit; culpam huius mali in eos, qui violatæ pacis authores fuerant, reijcit: eos tollere, & affecto Regni corpori mederi, rem arduam, & supra vires suas esse affirmat, plurimorum consilio hîc opus esse. Diu multumque se cum suis deliberasse, nec aliud medium inuenire, quàm vt ordines Regni conuocentur: vt cõmunibus consilijs Regni status reformetur. Comitia igitur Blæsis decimo quinto Augusti à se indicta esse; ea intentione, vt quicquid in ijs ad Dei gloriam, Regni conseruationem, & subditorum vtilitatẽ statueretur, perpetuis temporibus ratũ habeatur. Se ante alios omnes id approbaturum, re ipsa effecturum, & vt per omne Regnum obseruetur, seueris edictis imperaturum. Petere igitur se, vt Principes & Ordines omnes qui ad huiusmodi comitia venire consuerunt, quiq; nil aliud, quàm obseruationem Catholicæ Religionis, pacemque & tranquillitatem populi desiderant; omnes denique fideles subditi, quibuscunque modis enitantur, vt Comitia hæc pacificè habeantur, & nisi cum proposito fructu dirimantur. Tandem se Espernonij, & fratris eius Domini de Valette causam, & de illis delatas ad se querelas, examinaturum, facturumque quod ius, quod ratio, quod æquitas

Comitiorũ Blæsensiũ indictio.

Anno 1588.

dictat pollicetur. Vt autem specimen quoddam paternæ suę erga populum beneuolentiæ exhiberet, partem exactionum, quibus subditi grauabantur, illis remittit: varia edicta, aliaq; grauamina reuocat.

His similibusque pollicitationibus & blanditijs animos Principum inescauit, eoque inflexit, vt omni diffidentia remota, omni sublata mali suspicione, habito inter se consilio, Regis petitioni parendum esse statuerint. Priusquam tamen ad Comitia proficiscerentur, in commune consuluerunt, quid potissimum conuentui ad conseruationem Religionis, Regnique reformationem esset proponendum. Placuerũt tandem conditiones, quas hic ordine (breuitertamẽ & summatim) enumerabimus: 1. Vt Catholica, Apostolica, Romana Religio, quę nunc est, etiam in posterum pro vnico & solo fundamento Christianissimi huius Regni & populi nunc Regno subiecti, aut futuris temporibus subijciendi, agnoscatur. 2. Vt concilium Tridentinum cum omnibus suis decretis & canonibus recipiatur, & tam in his quę ad reformationem morum, quàm quæ ad dogmata spectant, obseruetur, saluis tamen Gallicanarum Ecclesiarum iuribus, idque consentiente summo Pontifice. 3. Omnia edicta, constitutiones, sententiæ, iura & consuetudines secundum regulam fidei, decretorumque prædictarum Ecclesiarum componantur. Quæ cum ijs non conueniant, sint irrita. 4. Nullus ad successionem Regni & diadematis admittatur, nisi verus sit, & syncerus Catholicę religionis filius: qui ex iugi eiusdem Reli-

Consilium Cõfœderatorum de rebus in Comitijs Regi proponẽdis.

Religionis exercitio,& timore Dei talis iudica Anno
bitur. 5. Nullus Regij sanguinis Princeps cu- 1588.
iuscunque stemmatis aut prosapiæ, si hæreseos
lepra infectus sit,aut hæreticis faueat,eosq; se-
ctetur, diadematis Regni sit capax : nec illius
iurisdictione,vel emolumentis vti possit:alle-
gat & prętendat quicquid velit,pręsertim cùm
Rex Christianissimi Regni, ex gratia Dei po-
tiùs, quàm ex natura talis sit, & appelletur. 6.
Si quando Rex (quod Deus auertat) in hæresin
inciderit,hęresin foueat,aut in Regno exerceri
permittat, subditi confestim omni fide, sacra-
mento,obsequio & obedientia,quibus ei erant
obstricti,liberi & soluti renuntientur. 7.Neq;
Regnum hoc, neq; illius Rex, vlla conuenta,
pacta,fœdera,amicitias cũ inimicis & hostibus
Christi Iesu Seruatoris nostri, eiusque sponsæ
matris nostrę Sanctę Catholicę,Apostolicę,Ro
manæ Ecclesię feriant,neque cum ijs clandesti-
na cõsilia consocient.8. Galliar. Rex nunquam
se à terminis, clausulis, oneribus, conditioni-
bus,& transactionibus,in iuramento, cùm vn-
geretur,& Rex pronunciaretur, præstito com-
prehensis auertat, nec quicquam ijs cõtrarium
moliatur. 9. Rex suprema sua authoritate non
vtatur,priusquam inunctus & consecratus fue-
rit secundùm formam & consuetudinem patrũ
suorum : cùm gratia Dei,quæ cum vnctione &
consecratione concurrit, plus iuris, quàm na-
tura & parentum progenies illi ad Christianis
simum hoc diadema obtinendum & consecran
dum conferat. Interea regni administratio pe-
nes illos sit, quibus ea ex iure & consuetudine

Anno 1588.

debetur. 10. Authoritas hęc & Maiestas Regia tam libera, vaga, & legibus soluta non sit, vt (si exorbitet) terminis iuris & æquitatis, quæ basis est & fundamentum Regni, concludi & circumscribi non possit. 11. Regnum ipsum, bona hæreditaria, dominia, & prouentus, nullo pacto distrahi, vendi, aut alienari poterint. 12. Cùm eadem bonorum istorum sit ratio, quæ dotis, & Rex quasi sponsus eam possideat, rationi consentaneum esse, vt hinc necessaria petat, sumat vnde viuat, & Regni quoque, tanquam sponsæ suæ vtilitatem procurare non desinat. 13. Nullius Gubernatoris, Vicarij generalis, aut Iudicis officium in posterum vendatur: sed post electionem, qui consecutus fuerit, ijs conditionibus munere suo fungetur, quas Ordines inter se probauerint. 14. In singulis prouincijs quotannis ordinũ conuentus habebitur, vbi in obseruationem constitutionũ, & placitorum generalium Regni ordinum inquiratur. Quod si ea negligenter obseruari comprehensum fuerit, ijsdem ordinibus significabitur. 15. Ducatuum, Comitatuum, & Marchionatuum non ita pridem institutorum, & his titulis nobilitatorum, propter incõmoda ex ijs emergentia (quæ legati in comitijs commemorare, & demõstrare potuerunt) numerus diminuatur. 16. Neque bellum decernetur, neque pax per vniuersum Regnum conficietur, nisi cum consensu omniũ Ordinum: neque hunc in vsum populo tributum imperabitur, nisi ex eorundem Ordinum cõsilio. 17. Omnis Simonia, ignorantia, & concubinatus inter Ecclesiasticos, remedijs in Cõcilio

cilio Tridentinno propositis, tollantur,& Ecclesiastici confestim ad suas residentias capessendas euocentur. 18. Episcoporum & Prælatorum electio instituatur,& fiat secundùm præscriptum primi articuli ordinum Aurelianensium. 19. Seminaria ad institutionem iuuentutis vbique erigantur,iuxta formam ab Ordinibus,in vltimo conuentu Blæsensi præscriptam. 20. Donationes,officiorum maiorum collationes, vel eorundem nouæ institutiones à Rege factę,nisi prius ab Ordinibus approbentur,sint irritæ. 21. Quicunq; sudore & sanguine pauperum se ipsos locupletárunt,aut alijs illicitis,iniustisq; modis emerserunt,coram ipsis Ordinibus, vel ab Ordinibus cõstitutis suarũ functionum reddant rationem. 22. In singulis curijs iudicalibus, Senatus peculiaris ab Ordinibus cooptabitur,ad quem populi querelæ, & transgressiones cõstitutionum regni, & Ordinũ deferentur,à quo singulorũ causæ cognoscentur, & decidentur. 23. Vt singuli Ordines posthac habeant Syndicũ, qui aulam sequetur, ad quem omnium aliorum Syndicorũ inferiorũ litterę, monita, nuntiationes,& instructiones mittantur: vt in Senatu regio decernatur,quid cuiq; ciuitati aut Prouinciæ,ad sui status conseruationem expediat,aut necessarium sit. 24. Rex omni cura incumbet, vt ære alieno exeat, dignitatis suæ statum honestè,& vt Regem decet,tueatur: omnia incommoda & abusus tollantur: debita & onera,in quæ Regnum per dissolutam administrationem inconditamque œconomiam incidit,dissoluantur; hæreticorum,& eorum qui

Anno 1588.

Art. 24.

in præ-

Anno 1588. in prȩcedentibus edictis damnentur, opes & facultates in ȩrarium Regis inferantur: vt inde & debita Regni soluantur, & exercitus alantur. Hæc tanquam ad salutem Reipublicæ, Religionisque Catholicę conseruationem, atque ipsius Regis honorem vtilia & necessaria, quæ in Comitijs proponerentur & discuterentur Confœderati putauerunt: reliqua Spiritui sancto, Regi & reliquis Ordinibus relinquenda existimauerunt.

Ad Comitia Blæsentia qui veniant.

Dictus Comitiorum dies aderat, pauci verò ex Confœderatis comparuerunt: eò, quod Regiæ Maiestati parum confiderent, quapropter Comitia in decimum quintum Septembris dilata sunt. Interea quisque se ad iter parat, Rex Reginæ cum vniuerso comitatu Aulico Blæsas dicta die proficiscuntur. Vt autem Rex securior esset, quodq; animo coquebat propositum commodius exequeretur, firmum secũ adducit præsidium. Cardinalis Guisius, Inuellęus Ducis Guisij filius, alijq; Confœderati nihil sibi mali, vel ob fœdus initum, vel ob libellum supplicem nuper in Espernonium oblatum, metuẽtes (Rex enim vt antea dictum est, publico suo mandato omnium horum obliuionem promiserat) statoquoq; die, cum suo equitatu comparent. Eorum verò consilium erat, non vi, sed suffragiorum pluralitate in Comitijs vincere: ideoque operam dabant, non vt multas armatorum copias, sed quamplurimos sui fœderis socios adducãt. Mompenserius quoque, Dominus de Conty, & Soyssonius ad Comitia venerunt: sed Dominus de Conty, eò quòd equitibus Germanorum

sese

sese aliquamdiu in Castris Nauarrei associârat, Anno
multis erat suspectus. Quamobrem nonnulli 1588.
suadebant, à Pontifice veniam delicti peteret,
Regique se reconciliaret. At ille intimorũ suo-
rum consilia secutus, id agere pertinaciter recu
sauit. Comiti Soissonio iam antea à Pontifice
Romano, quod partes hæreticorum secutus e-
rat, remissum fuit: ea conditione, à Legato
Pontificis absolutionem peteret: Erant nonnul-
li qui Legatum hunc Comitijs interesse iniquo
ferebant animo, vtque remoueretur apud Re-
gem instare voluerunt: sed cùm id ab alijs dis-
suaderetur (forte vt omnia simulatè magis fie-
rent, nec insidiarum suspicio cuiquam subole-
ret) nulla deinceps huius rei facta est mentio.

Aderant nunc Ordinum proceres penè om- *Dux Gui-*
nes: solus Henricus Dux Guisius non aderat: *sius non ve*
is enim etsi Regi apud Carnutes Lutetia profu- *nit ad Co-*
go, præsente Regina matre, multisque Principi- *mitia.*
bus alijs, esset reconciliatus; omniumq; rerum
præcedentium amnistian Rex promulgari iuss-
erat; Regi tamen tanquam amico suo reconci-
liato, non confidebat.

Postridie Calendarum Octobris Rex Blæ- *Octob. 2 So*
sis solennem supplicationem, multa cum ma- *lennis sup-*
gnificentia, instituit. Conuenerunt clerus & *plicatio.*
Principes vtriusque sexus in æde Sancti Salua-
toris, quæ est in magno atrio castri. Plateæ om-
nigenis floribus erant stratę, parietes aulęis, pe-
ristromatibus, & diuersis picturis erant exor-
nati; varijs in locis erecta altaria; nihil omis-
sum, quod ad tantam pertineret solennitatem.
Ordo autem in processione seruabatur hic: Cle-
rus

Anno 1588. rus oppidanus cum omnibus ornamentis, cimelijs, & Sanctorum reliquijs præcedebat: post hùc trium ordinum Prouinciarum Gallicarum Legati, vrbium primo, deinde nobilitatis, tertio loco Ecclesiasticorum: illos Archiepiscopi & Episcopi sequebatur. Post hos vmbella pretiosissimo tecta peristromate, à quator Equitibus ordinis Sancti Spiritus ferebatur. Sub vmbella Archiepiscopus Aquensis, quæ vrbs est in Prouincia, Sacrosanctum Christi Corpus gerebat. Subsequebatur Rex comitatus Reginis, Principibus, & Nobilibus aulicis: hos populus; ciues peregrinis (quorum ingens erat multitudo) permixti.

Hoc ordine à dicto S. Saluatoris templo, ad templum S. Mariæ Adiutricis, quod est iuxta fluuium, in suburbio Viennensi procedebant. Quò cùm venissent, solenne sacrum Archiepiscopus Auaricensis celebrauit, Ebroicensi (vulgò Eureux) Episcopo concionem habente. Nono Octobris, quæ dies erat Dominicus, Rex, Reginæ, Proceres Regni, & Ordinũ Legati omnes, præmissa confessione, quam auricularem vocant, in Franciscanorum monasterio sacrosancta & tremenda corporis & sanguinis Christi mysteria perceperunt, obnixè Deum orantes, vt cor vnum, & mentem vnam largiatur omnibus in conuentu congregatis: felix, faustumque det comitijs auspicium, & finem optatum, quo Reipub. Gallicanæ, Religionique, vel tandem, diu desiderata pax restituatur.

Octob. 9.

Rex quæ Ordinibus proponere decreuerat, in Dominicum proximum differenda putauit.

Interes

Interea noui Magistratus creabantur, & officia varia in varios distributa sunt. Ecclesiastico Ordini datus est præses Archiepiscopus Bituricensis: Cardinales enim Borbonij nondum aduenerãt. Nobilitati constituti sunt Præsides Comes Brisaacus & Maingdius: tertio denique Ordini Mercatorum Parisiensium Præpositus designatus est. Anno 1588.

Decimo sexto deinde Octobr. in pleno Ordinum consessu, causam huius tam celebris cõuentus disertis verbis, in hanc fere sententiam exposuit. Initio Diuinũ Numen inuocat, à quo omnis sancta & bona operatio proficiscitur: orans, vt sibi Spiritus sancti gratia in hoc celebri actu assistat, seque dirigat. Idem quoq; Numen orat, vt sit testis, quòd opus hoc non alio fine, quàm vt statum suum Regnique sui restauret, & in omnibus membris reformet, aggreditur. Hanc primam semper sibi fuisse cogitationem, hoc summum desiderium. Quod vt cõsequatur, rogat omnes Ordines, vt communibus voris huius desiderij sui constantiam & augmentum à Deo contendant. Optare se, ait, omnes priuatos & particulares quorundam affectus ita positos, vt nemo quicquam præter summi Dei & Principis sui honorem appetat: atque ita se omnes cõponant, vt pristinę conditionis suę Maiestatis splendor restituatur. Ad hoc cõsiurando deuinctos: Animum suum maximopere affligi, ob priuatas & publicas subditorum suorum calamitates, Deum testatur. ętate & experientia se doctiorem factum, vt iam magis regni sui desolationem comprehendat, ideoque magis

Oratio Regis in Comitijs habita.

Anno 1588. magis magisque dolere: præsertim cùm videat Regnum suum, tum ob propria sua, tum ob subditorum flagitia, nō ad aliud, quàm ad diuinam vindictam reseruari. Sibi iccirco nihil magis curæ esse, quàm vt corrupti hominum mores, impię consuetudines, & abusus castigentur, tollantur, ijsque remedia quærantur: Se nulla non consilia captasse, omnes vias modosq; meditatum, quibus hoc commodè fieri posset: inuenire autē facilè potuisse, si cæteri Principes huc eam operam, eaque consilia contulissent, quæ tu (inquit) vxor mea contulisti.

Deinde multis verbis digreditur in laudes Reginæ Matris suæ; cuius ea in se, in totum Regnum extare merita dicit, vt non minùs totius Regni, quàm Regis mater, meritò debeat appellari, se enim plus ab ea sola, quàm ab omnibus alijs, tam in propaganda Catholica Religione, quàm in salute Regni restauranda conseruandaque ope & consilio adiutum esse. Dum itaque perpetua & constans voluntas sua sit, nobilem Monarchiam illam reformare; existimasse tandem se ait, non sufficere consilia, remediaq; specialia paucorum, sed opus esse conuentu Ordinum omniū totius Regni: vt aliquid solidi statuatur. His propositis ne horam quidem differendam, sed statim in instituto progrediendū: veritum enim se, ne deessent, qui Comitia hæc vel differenda, vel non indicenda persuasissent. Videre igitur Ordines, quomodo erga regnum affectus esset, vt qui nihil præter conseruationem honoris tum Dei, tum subditorum quæreret. Ostendit porrò generalem Ordinum conuen-

uentum præsentissimũ remedium esse ad mor- Anno
bos Reip. constitutionum Regni negligẽti ob- 1588.
seruatione contractos, medicandos; authorita-
temque Principis legitimi stabiliendam, potiùs, quàm euertendam, contra quorundam malorum hominum pernicioſam opinionem & persuasionem. Bonam enim legem bene reformatam & obseruatam, sceptrum in manu Regis firmare, & coronam in capite illius, contra malorum machinationes, corroborare. Posse itaq; Ordines ex Regis sui cõstantia quæ sola tot conatibus eorum, qui tam sanctum opus impedire cupiebant, obstiterat, animi sui sinceritatem facilè cognoscere. Ad hæc innocentiam suam ostendit, à nullo se meritò traduci posse, quasi præter rationem vnquam suam authoritatem quæsuerit & defenderit. Se enim legitimum in hoc Regno Regem esse, à Deo datum, & ſolum, de quo id affirmari verè possit: ita vt maior authoritas & honor in hac Monarchia à se expeti non possit. Obsecrat itaq; optimos subditos suos, vt iusto suo proposito faueant; illud enim non esse aliud, quàm vt gloria Dei promoueat, Sancta, Catholica, Apostolica, Romana Religio propagetur: hæreses toto Regno extirpentur, ordo bonus in omnibus rebus constituatur. inops populus, & miserè oppressus adiumento & solatio subleuetur; authoritas Regis inultè violata restituatur. Demonstrat inter omnes Rerum publicarum species nullam esse laudabiliorem Monarchia: fateri hoc illos debere, vel si solum modo beneficia & commoda intueantur, huic regno sub suis decessoribus

Anno 1588.

collata : laudandum quoque DEVM, qui ipsis Regem dederat, Regij sanguinis, ad quem non solùm hæreditate peruenerat Regnum, sed & zelus gloriam Dei amplificandi, & subditos omnes defendendi: id enim se tam factis, quàm dictis deinceps comprobaturum. Quod autem turbatis his temporibus tot mala in prouincias suas irrepserant, id non tam sibi imputari vult (licet se non omninò excusandum fateatur) quàm negligentię, & fortè alijs delictis eorum, qui tunc circa eum fuerunt: quibus tamen malis, & abusib. occurrere se velle videbant. Nunc verò se eam habiturum rationem, & tam diligenter obseruaturum eos, qui deinceps sibi ministraturi sint, promittit, vt conscientia sua sit secura, honor suus augeatur, status restauretur: ita vt omnibus bonis satisfaciat, & illi errorem suum confiteantur, apud quos in suspicionę venerat, & animo fuerant à Rege suo alieniore. Cōmemorat & beneficia Catholicis exhibita, pericula q̄ pro Catholica Rom. Religione adierat: magnos exercitus, quos aluerat, vt hæreses opprimeret: neminem inueniri hæresib. offensiorem se: qui vitam suam toties, vt hæreticos debellaret, periclitatus sit, & adhuc, quàm diu viuat periclitari cupiat. Testari hoc tot hęreticorum consumpta & dissipata pro sectę suæ defensione patrimonia; tot exhausta æraria; tot animi ab obedientia Regis alienati; qui eius authoritatem, dignitatem, & imperium aspernantur. Testari hoc vnionem omnium suorum Catholicorum subditorum, nuper à se publico Edicto confirmatam. Hanc animi sui promptitudinem

dinem se iam dudum testatam facere voluisse, Anno nisi per quosdam dissentientes Catholicos fuis- 1588.
set impeditus, quò minus in Pictones exercitũ ducere potuerit. Displicere sibi quàm maximè iuramenta, & abusum diuini nominis, eiusque Sacramẽtorum & vulnerum. Simoniam quoq; vẽditionem officiorum Ecclesiasticorum, pluralitatem beneficiorum: hos abusus tolli, vti ipse ann. 85. inceperat, præcepit: Secularium officiorum, beneficiorum, honorum, ordinum & dignitatum collationem sibi reseruat: vtpote à quo promanârant.

Mandat, vt qui dignitatibus aliquibus donati sunt, strenuè suum faciant officium, ne & Regis & propriam cõscientiam onerẽt. Iurat se inposterum non tam profusum fore, ne Resp. sub alieno ære tandem succumbat. Imperat ordinibus, vt promoueant vbique artium & scientiarum disciplinam, vt iuuentus bene instituatur, immoderatas & intolerabiles exactiones, indictiones & tributa, quibus populus grauatur, minuant, & de ijs quod æquum est, remittant, vt negotiatio terra, mariq; reflorescat. Renouent antiquas cõstitutiones, maximè ad dignitatem & authoritatem Regis pertinentes: vt reuerentia Principi & Magistratui debita reddatur. Timore illo iusto, quo metuunt subditi, ne aliquando (si ipse absq; filio moriatur) in successoris hæretici manus incidant, affirmat, se non minùs, quàm illos cruciari. Iurare se coram Deo, & suam testari salutem, sibi nihil vnquam magis cordi fuisse, quàm vt subditos ex hoc timore colligeret. Hanc ob causam edictum vnionis

Anno 1588. conscripsisse, vt significaret, sibi nihil esse detestabilius hæresi. Vt autem maior huic rei accedat fides, sibi consultum videri, vt illud edictum tanquam legem perpetuam cæteris huius Regni legibus addant, eamque feria tertia proxima in hoc eodem loco, & in hoc celebri confessu iuramento solenni confirmẽt, vt nullus posthac sit, qui causam ignorantiæ prætendat. Hæc omnia vt à se sanctè seruentur curaturũ, tantùm Ordines aduigilarent, ne sua, aut suorum, vel culpa, vel negligentia violentur. Hortatur eos præterea, vt secundùm edictum vnionis omnibus fœderibus, pactis, conuentionibus, clandestinis consilijs, sine consensu vel approbatione sua factis, nuncium remittant: hæc enim omnia pugnare cum lege diuina, cum iuramento Regi dato, & in bene ordinata Republica, vt crimen læsæ Maiestatis puniri. Se libenter ignoscere, quicquid in suam Maiestatem hactenus peccatum est: sed affirmare seriò, vt læsæ Maiestatis reos se mulctaturum omnes, qui admoniti ab his fœderibus non abstineant. Hanc antiquam legem vt Ordines renouent, cupit: & vt id fiat, eorum consilium opemq; implorat.

Porrò ad gloriam & honorem Regni Gallici venit, quo omnibus olim Regnis solet præluce re, eum nunc penè extinctum esse: vt ab interitu denuò reuocetur, se omni studio incumbere: vt idem faciant subditi, orat; vt vires Gallorum ipsis saluti sint, & non exitio. Dolere sibi quod Regiam suam dignitatem tueri, aliaque onera Regni sine pecunia sustinere nõ possit: sed malum hoc esse necessarium. Bellum præterea sine pecunia

pecunia geri non posse. Cùm enim insignem Anno
expeditionem ad hæreses eradicandas sumpse- 1588.
rimus, magno opus esse thesauro si feliciter cõficietur. alioquin magis obesse bellum inceptum, quàm prodesse. Promittere quidem se nullis opibus & facultatibus parsurum: & sperare Ordines eodem zelo omnia, quæ poterunt, ad cultum Dei & bonum commune Regni promouendum, in medium collaturos. Oportere igitur Ordines suarum Financiarum (vt vocant) statum considerantes, idem dicere, quod Senatus Romanus olim cuidam dixit Imperatori, qui tributa, & vectigalia volebat abrogare, cui Senatus ait, hęc esse neruos & musculos, quibus corpus colligatur: qui si tollantur, corporis cõpaginem solui necessariò debere.

Optare nihilominus se, eum esse rerum suarum statum, vt posset omnia vectigalia, tributa, aliaque subsidia populo suo remittere. Non enim se aliud in vitæ suæ modo quærere, quàm honorem Dei, & salutem subditorum. Quantum igitur ad Financiarum suarum ordinem, vt populus subleuetur, sperat Ordines multitudinis officiariorum & aliarum rerum particularium rationẽ habituros; esse enim eos quasi cardines, quibus & ipse Rex, & communis patriæ status innititur. Quantum ad debita, quæ non ipsius tantum, sed & totius Regni sunt, eorum rationem ad Ordines pertinere: ad hoc enim & fidem publicam & hominum prudentiam obligare; vt cognoscant quanta sint, modumq; & viam soluendi inueniant. Regem esse abulam pictam, aut speculum, in quo subditi

Anno 1588.

se formare, & vitam discunt componere. Promittit igitur se operam daturum, vt & ipse sic viuat, & familiæ suæ talem viuendi modũ præscribat, quò totum Regnum ab ipso iustitiæ & pietatis petat exemplum. Vt autem testatum faciat, se acturum omnia, quæ à se possint desiderari, hunc celebrem indictum esse conuentum crastino die in Ecclesia auspicandum, in quo quidquid statuetur, velle se haud aliter, quàm vt lex inuiolabilis & fundamentalis, seruetur. Si quis violauerit, eum infamiæ notam, aut crimen læsæ Maiestatis incursurum. Iuraturum se promittit per S. Dei Euangelia, quod & ipse ea obseruabit, nec quocunq; modo, quacunq; causa, seu prætextu vnquam violabit. Missurũ quoque eadem decreta per omnes Regni prouincias, vt ab omnibus similiter tam Ecclesiasticis, quàm secularibus iureiurando confirmentur, & illorum præuaricatores, tanquam læsę Maiestatis rei puniantur. His adde, quod si necessarium sit, subijcit se totum legibus, nulla habita ratione, quod ipse author legum sit: qua in re seipsum magis obligat & deuincit, quàm aliquis prædecessorum suorum vnquam deuinctus fuit. In nulla enim re generositatem boni Principis magis elucescere, quàm si ipse cogitationes, actionesque suas omnes secundùm leges móderetur. Sufficere namq; sibi, vt dicere possit, quod Rex ille cuidam sibi obijcienti, quod dignitatem Regiam maiori seruituti successoribus feciſſet obnoxiam, quàm ipse à maioribus accepiſſet, respondit, se magis durabilem & securam relicturum.

Tandem

Tandem orationi finem impositurus Rex ait; se hactenus in ea vsum imperio & authoritate sua; nunc ad exhortationes & preces velle descendere. Obtestatur itaque illos per reuerentiam, quam debebant Deo; per nomen verorum Francorum; per cineres & memoriam tot Regum suorum decessorum, qui tam laudabiliter hoc Regnum administrârant; per amorem quem patriæ debebant, per commoda, quæ ea percepit ex eorum fidelitate; per vxores, per soboles, per familias, fortunasque eorum domesticas, vt se Regi iungant, & vnanimes cum Rege totius Reipublicæ negotio constituendo incumbant: vt abusus omnes, omnisq; ataxia tollantur, & Regni status ad meliorem formam redigatur: omnes contrarias opiniones abijciât, suo exemplo nil nisi salutem communem desiderent: alieni denique sint ab omni ambitione; se bonos exhibeant subditos, haud aliter, quàm ille se bonum exhibiturus est Regem. Cumque multas imprecatus esset diras omnibus, qui contrarium aliquando facerent, tâdem eosdem in diem extremi iudicij (in quo, ait, intentiones, affectusque omnium reuelabuntur, laruæque omnis doli, artificij & simulationis detrahentur) citat, vt compareant ante tribunal istud, mercedemque inobedientiæ recipiant. Se interim sperare, omnes & singulos boni subditi officium præstituros: in eo & Deo & Regi rem gratam, sibi verò laudabilem & vtilem facturos. *Vtinã hæc corde non ficto dixisset.*

Cùm Rex peroraſſet, vnus ex proceribus, quem magnum sigilli magistrum vocant, ora-

Anno 1588. tionem Regis excepit, & ſicubi obſcurior eſſet, explanauit, mentemque & beneuolentiam Regis latiùs declarauit. Quo facto Rex iterũ breui oratione ſummam Edicti vnionis repetit, oſtendit quanto cum zelo, etiam à teneris vnguibus, Catholicam, Romanam, Eccleſiam amauerit, coluerit, defenderit, eius inimicos hæreticos perſecutus fuerit: hoc enim officium ſuum fuiſſe, hoc maiorum ſuorum ſtudium, hoc ſuum poſtulare iuramentum. Sæpè ſe id armis tentaſſe, ſed parum profeciſſe. Ideò ſe Edictum perpetuum vnionis in Iulio confeciſſe, & velle nunc vt idem Edictum ſit lex ſempiterna, inuiolabilis & fundamentalis: quod idem Edictum conſilio Reginæ matris, Cardinalium, Principum, & trium Ordinum legatorum mãdat ſigillo Cancellarię muniri, ab omnibus iureiurando approbari, & in omnibus prouincijs proclamari. Quæ Regis oratio breuibus repetita eſt ab eo, qui Regi erat à ſecretis; deinde ab eodem lectum eſt ipſum vnionis edictum. Quo lecto, Epiſcopus Bituricenſis, iuſſu Regis docta oratione proſecutus eſt vim iuramenti: Regem, exemplo Regum Iſraêlitarum, velle edictum hoc iuramento comprobari: cauerent omnes ne iuramentum ſuum violarent. docet quibus & quot modis iuramentum violetur, & quibus ſupplicijs violatum à Deo plectatur. Inde de duplici Eccleſia, viſibili & inuiſibili, cùm aliquandiu diſſeruiſſet, hortatur omnes, vt ſub potenti manu Dei, Regiſque authoritate ſe humilient, atque exactè ponderent ſingula, de quibus ſacramentum dicturi ſint. Regem

18. Octob.

primùm

primùm Edicti sui decreta iureiurando confirmaturum, cæteros susequuturos. Infit Rex: *Domini mei, intellexistis opinor, quid Edicto meo contineatur: nec ignoratis quæ sit reuerentia & dignitas iuramenti, iuramentum à vobis postulo: video enim desideria vestra, à meo non discrepare. Sed antequam vos onerem, quod postulo, ecce prior faciam. Iuro itaq; coram Deo, ex integra sanaq; mea conscientia, me huius Edicti mei decreta obseruaturum, quandiu Deus vitali hac aura frui mihi concesserit. Volo & iubeo Edictũ illud ratum sit, & seruetur in Regno meo, vt lex fundamentalis. Intestimonium verò perpetuum consensus vniuersalis omnium Ordinum regni, vos quoq; in Edicti mei vnionis decreta conceptis verbis iurabitis; Ecclesiastici quidem manibus pectori admotis, Seculares manibus ad cælum eleuatis.* Hactenus Rex: paruerunt omnes; dictoq; iuramento, omnes gratulabundi, elataq; voce exclamauerunt; *Viue le Roy*, Viuat Rex, Viuat Rex. Anno 1588.

Mandaao Regis iuramentum hoc nomine Regis, Cardinalium Borbonij, Guisij, Vendomij, Ducis Mompensierij, Gõdij, Lenoncourtij, Soissonij, Nemourij, Niuersij & aliorum Principum; Legatorum quoq; Trium Ordinum Regni, à Secretario exceptum & descriptũ est. Omnibus ritè peractis Rex, Reginæ, Principes & Legati è loco consessus in ędem S. Saluatoris insigni comitatu procedũt, vbi canticum D. Ambrosij & Augustini celebri symphonia decantatum est. Atque hæc Comitiorum Blæsensium sunt initia, multò quàm finis lætiora.

Anno 1588.

Dum hæc in Gallijs geruntur, Parmensis in Belgio amissa classe Hispanica, ne nihil agere videretur, Montes ad Zomam multis, & quidé præcipuè Mondragonio, dissuadentibus obsidere, & expugnare statuit, præmisitque copias Marchionis de Burgaw, non ita pridem in Comitatu Tirolensi collectas cum Mansfeltio seniore, Duce Pastranarano, & Principe de Ascoli. Mense Septembri ipse ex Flandria Antuerpiam venit, mandauitq; Marchioni Renthio oppidum Tolense, infra Montes ad Zomam occupare. Decimo nono eiusdem mensis die, machinæ bellicæ ad vrbem attractæ sunt, & vigesimo tertio vrbs obsessa.

Montes ad Zomam ob sessi.

17. Sept.

Pontifex aquæductū in montem Quirinalem construit.

Sixtus V. Pontifex Maximus, præter singularem Ecclesiæ curam, ad vrbem Romanam quoque ornandam se animo cogitationeq; iampridem conuerterat. Post obeliscos antiquissimos incredibilis altitudinis, & admirandi artificij varios translatos, restauratos, & sumptuosissimè erectos: post collegia, xenodochia, palatia partim noua ædificata, partim collapsa, restaurata, ornata & dotata, circa hæc tempora perfecit aquæductum illum, toto orbe celebrem, vrbi verò vtilissimum in monte Quirinali. Est locus ille æstiuo maximè tempore saluberrimus: quare sua amœnitate & salubritate Pontifices Romanos & nobiles ad æstiua solet inuitare. Cæterùm id erat in eo monte incommodi, quòd magna erat aquarum penuria. Hinc quantùm aer alliciebat, tantum aqua deterrebat. Erat recentissima, saluberrimaq; aqua in agro Columnij.

Conuenit Pontifex cum Martio Columna, cuius is

ius is ager erat proprius, eiq; viginti quinq; coronatorũ millia numerauit, & fontes illos inde in montem Quirinalem duxit. Mirabantur initio pleriq; Pontificis temeritatem, nullo ingenio, nulla arte, nullo labore, nullis sumptibus cęptum hoc perfici posse arbitrantes. Pontifex nihilominus, qui matura cũ deliberatione cœperat, operi cum fiducia institit, & decimo octauo mense perfecit. Laborabant in eo opere quotidie hominum 2000. sæpè tria, nonnunquã quatuor. Expendit ducenta sexaginta coronatorum millia. Tandem in Palatio Susannæ, à latere thermarum Diocletiani, insigni extructo fonti, vbi aquę istę colligebantur, nomẽ suum, quod ante pontificatum habuerat, indidit, Felicemque vocauit. Anno 1588.

Bibliotheca Vaticana renouata.

Eodem tempore, idem quoque Pontifex magnificentissimam, & qualis ab orbe condito non est visa, Bibliothecam in Vaticano, in loco, quem *Beluedere* vocant, ædificauit. In cuius vsum antiquum, quod illic visebatur, theatrum conuertit. Fabrica ipsius Bibliothecæ per se & longissima & latissima est: intus & foris artificiosissimè depicta. Foris imagines omnium scientiarum, omniumque penè virtutum, cum ijs quæ ad studia bonarum litterarum pertinent, spectantur. Intus præcipua opera atque studia ipsius Sixti ab vno latere, ab altero sedecim præcipua Ecclesiæ Concilia, cum suis inscriptionibus cernuntur. Ab altera parte depictæ sunt omnes, quarum apud Latinos, Græcos, Hebræos, AEgyptios, Chaldæos est memoria, Bibliothecæ, cum suis similiter inscriptioni-

Anno 1588. pſionibus. Parte ex oppoſita, effigies omnium eorum, qui apud quamcunq; nationem vel litteras, vel artes, vel ſcientias aliquas inuenerunt, delineari Pontifex iuſſit. In hanc fabricam omnes libros, qui in Vaticano erant, inferri mandauit, numerumq; multis (ſi qui deſiderabantur) nouis auxit. Duas inſuper marmoreas tabulas in ipſa Bibliotheca erexit, in quarum vna hæc legitur inſcriptio. *Sixtus Pontifex Max. Bibliothecam Apoſtolicam à Sanctiſſimis prioribus illis Pontificibus, qui B. Petri vocem audierunt, ipſis adhuc ſurgentis Eccleſiæ primordijs inchoatam, pace Eccleſiæ reddita Laterani inſtitutam, à poſterioribus deinde in Vaticano, vt ad vſus Pontificios paratior eſſet, tranſlatam, ibiq; à Nicolao V. auctam, à Sixto IV. inſigniter excultam, quò fidei noſtræ & veterum Eccleſiaſticæ diſciplinæ rituum documenta omnibus expreſſa, & aliorum multiplex ſacrorum librorum copia conſeruarentur, ad puram & incorruptam fidei veritatem, perpetua ſucceſſione in nos deriuandam, toto terrarum orbe celeberrimam, cùm loco depreſſo, obſcuro, & inſalubri ſita eſſet, aucto per amplo veſtibulo, cubiculis circum, & infra ſcalis, porticibus, totoq; ædificio à fundamentis extructo, ſubſellijs, pluteiſque directis, libris diſpoſitis in hunc aditum, perlucidum, ſalubrem, magisq; oportunum locum extulit: picturis illuſtribus vndique ornauit, liberalibuſque doctrinis, & publicæ ſtudiorum vtilitati dicauit, ANNO M. D. LXXXVIII. Pontif. III.*

Quam inſcriptionem eam ob cauſam poſuimus, quia ad antiquitatem Bibliothecæ Vatica-

næ aliquid facere videbatur. In altera tabula Anno
leges ingredientibus seruandæ insculptæ sunt. 1588.
Nemini scilicet libros istius Bibliothecæ ex ea
auferendi, extrahendi, alioúe asportandi, non
Bibliothecario, neq; custodibus, scribisque, ne-
que quibusuis alijs, cuiusuis ordinis & dignita-
tis, nisi de licētia Summi Pontificis scripta ma-
nu facultatem esse. Qui secus fecerit, excom-
municationem incursurum, à qua nemo prēter
Pontificem illum absoluere poterit. Huic pu-
blicæ Bibliothecæ aliam adiecit priuatam, mi-
norem. Adiūxit & alia ędificia pro protectore,
pro Bibliothecario, pro custodibus, pro viris
litteratis & doctis hospitio excipiendis. Et ne
quid deesset, non procul ab hac Bibliotheca in-
structissimam Typographiam instituit, in qua
libri antiquiores, qui aut nunquam editi, aut e-
diti distracti sunt, nec amplius inueniūtur, imò
qui ab hęreticis varijs locis corrupti sunt, emē-
dati denuò imprimantur, pristinæque fidei &
sinceritati restituātur. Item sacra Scriptura, ca-
techeses, dogmata fidei, quæq; ad pietatem spe-
ctant, diuersis linguis in vsum Barbararum &
exoticarum nationum excudatur, ad propaga-
tionem fidei Catholicæ, Ecclesiæq; ædificatio-
nem. Huius Typographiæ curam dedit Domi-
nico Basæ, viro multarum rerum experientia
clarissimo, quo magis idoneum huic operi ne-
mō facilè inuenerit: Quia verò sumptus tanti
negotij instituendi futuri essent maximi, iussit
illi Pontifex numerari viginti millia corona-
torum: quam summam spatio decem annorum
Reuerendę Camerę restituturum sese Basa pro-
misit.

Typographia à Sixto instituta.

Anno 1588. misit. His ita constitutis ipse summa cum celeritate, omnia quæ ad Regiam & Pontificiam Typographiam sunt necessaria, studiosè conquisiuit & comparauit. Sed à libris ad arma, à studijs ad bella reuertamur.

Mense Decembri anni præcedentis Martinus Schenckius insigni stratagemate oppidum Bonnense in Diœcesi Colonienſi ceperat, & spoliarat, firmo præsidio, rebusque ad defensionem necessarijs munierat, & propugnaculum ex opposito vrbis in terra Montensi excitârat. Multas quotidie excursiones in vicinas ciuitates cumquaque prouincias, qui in præsidio erant, faciebant; prædasque & spolia quàm plurima conuectabant. Dux Cliuensis persuasit Archiepiscopo mẽsium aliquot inducias cum Schenckio paciscereturNon abhorrebat ab his inducijs Schenckius. Sed Archiepiscopus mutata sententia Parmensem inuocauit, opemq; ab illo petijt, qui Mense Martio Carolum Principem Chimæum, Arschotani Ducis filium, cum insigni peditum equitumque exercitu Tuitium præmisit. Hunc paulò pòst Maximilianus Comes Arenbergicus, Carolus Mansfeltius, Gubernator Frisiæ Verdugius, eius Vicarius Ioannes Baptista Taxius secuti sunt.

Bonna obsidetur.

Hi coniunctis viribus oppidum obsederunt, & aliquoties oppugnârunt. Schenckius ad Casimirum primò, deinde in Germaniam vbi frequens erat Principum conuentus, profiscitur. Ad colloquium admissus docet, quo modo oppidum Bonnense iussu Truchsesij (cuius se in rebus bellicis Vicarium dicebat) aſſ

occupa-

occupauerat. Idem oppidum nunc ab Hispa- Anno
nis arctè obsideri, se solùm id semper defende- 1588.
re non posse; metuendum ne tandem Hispani
eo cum maximo Germanorum detrimento i- *Schenkius*
terum potiantur. Quod si aliquando fiat, cogi- *opem petit*
tandum esse Principibus, quæ mala & incom- *à Princip.*
moda subsequentur. Non enim hic belli finem *Germanis.*
facturos Hispanos, sed vlteriores in Germania
progressus meditaturos; imò in Germaniæ me-
ditullium arma illaturos. Nunc exiguis viri-
bus, paruoq; sumptu illos posse retardari; nunc
ferrum in igni esse; premendam (quod aiunt)
occasionem. Se vrbem illorum offerre auspi-
cio, & imperio; fenestram à se patefactam, per
quam Germaniæ limites ab omni Hispanorum
tyrannide queant defendere. His, alijsque dictis
Schenkius Germanorum animos incitare, &
ad subsidia sibi mittenda inflectere voluit. Re- *German.*
spondent Principes, se præcedentium bello- *Principum*
rum exemplis deterreri; in recenti esse memo- *responsio.*
ria sua in Galliam & Belgium missa auxilia, &
quàm parum ijs profecerint. Præterea serò nũc
postquam Electos Parmensem iam inuocaue-
rit, & vrbs obsessa sit, quæri subsidia. Non se ob-
litos, quæ auxilia Rex Galliarum frãtri Alen-
conio, in Belgio militanti; quæque Regina eius
mater Anthonio in Insulis Terceris defenden-
dis, & quæ submiserit eidem Antonio Regina
Angliæ ad amissa recuperanda: his omnibus
nihil actum esse. Minimè igitur Germanis Prin-
cipibus consultum videri, potentissimum Re-
gem, membrum & amicum Imperij denuò irri-
tare, & propter Truxesium offendere. Accepto

hoc

Anno 1588.

hoc responso Schenckius paulò pòst in Angliã nauigat. Interea obsidionem vrgent Regij: ter celeberrimus Tribunus Ioannes Taxius, dum hinc inde infirmiora vrbis perlustrat, sphen traijcitur, & vrbs tota æstate à Schenchianis cu tumaciter fortiterque defenditur.

Postremò tamen, cùm Ducem suum Schenckium opione diutiùs abesse, seseque ad propulsandos hostes impares esse intelligerent, Otto Baro Potelitius, & Christophorus VVolff prædiariorum præfecti, incolumitatem corporum & bonorum pacti, 19. Sept. Carolo, Duci Chimæo, vrbem dedere coacti sunt: qui milites omnes cum vexillis complicatis, armis, & quæ gestare possent bonis incolumes dimittes, Beerkam & VVachtendunkam vsque deduxit.

Bõna deditur 19. Septemb.

Sub idem ferè tempus VIstochij in Anglia Robertus Dudleus, Comes Lycestriæ, aureæ periscelidis, & S. Michaelis eques auratus, virtute grauis, deposita Gubernatoris & Capitanei generalis persona, cùm pridem ex Hollandia Ordinibus ob proditionem, quàm moliri dicebatur, exosus, redijsset, non sine veneni suspicione, vehemẽti vomitu morti succubuit, de cuius morte eteostichon hoc circumfertur;

26. Sept.

Garter IIsoCIVS. præCeLLens Marte RobertVs,
AngLICVs èVIVIS fVnere CarpIt Iter.

In hoc Lycestrio, eiusq; maioribus, si quoi alio vllo vnquam tempore, fortunæ visa est inconstantia, quæ nunc familiam aliquam exipso eruit puluere, eleuat & ad sydera tollit, nunc eandem deprimit, & in extremam necessitatem adducit. Proauus enim illius infimæ conditio-

Lusus fortunæ in rebus humanis.

nis homo, arte faber lignarius fuisse dicitur. Anno
Cuius filius, auus Roberti, Edmundus nomine, 1588.
altiorem paulò gradum nactus, & sub Henrico
VII. Scutifer creatus est: sed ab eodem Henrico
de peculatu damnatus, ab eius filio Henrico o-
ctauo in crucem actus est. Reliquit Edmundus
hic filium Ioannem, quem fortuna multò maio-
ribus dignitatibus auxit. Sub Eduardo enim Re-
ge primò Comes Varuicensis, deinde Dux Mon-
thumbriæ, aut (vt quidam scribunt) Northum-
briæ factus, magna erat apud Regem puerum
authoritate. Sed cùm ætate pueri abusus Eduar-
dum Semerum Ducem Somersetanum, Regis a-
uunculum, ac Regni Gubernatorem tollendũ,
vnà cum fratre Admiralio curasset, extincto
post Eduardo Rege, filium suum in Regni suc-
cessorem, per matrimoniũ, quod cum filia Du-
cis Suffoltiæ cõtraxerat, exclusis Henrici Octa-
ui filiabus constituit. Quo nomine à Maria Re-
gnum adepta, capite damnatus, & mulctatus est.
Robertus itaque in summa opulentia & fastu
natus, vidit se paulò pòst miserrimũ patre, fra-
tribusque ac rebus omnibus orbatum, mortiq;
vnà cum patre addictum, sed ab eadem Regina
Maria postea vita & libertate donatum. Iterum
voluente rotam fortuna, ab Elizabetha ad Re-
gnum prouecta, in tantam fauoris prærogati-
uam admissus est, vt solus penè moderari omnia
in Anglia videretur. Nam & Baro Denbihensis,
& Comes Lycestrensis, & Magister equitum à
Regina constitutus, per totos ferè triginta an-
nos vniuersum Angliæ Regnum sua habuit in
potestate. Cumque iam per omnes honorum

Anno 1588. gradus illum fortuna circumduxisset, iterum præcipitem è fastigio disturbauit: gloriam quã apud suos nactus erat, apud exteros Belgas amisit, & cum ignominiosissima infamiæ nota in sua reuersus, miserrimè perijt. De cuius vitæ impuritate, impietateque varij circumferuntur libelli: At eius honori libenter parcimus, ne cum laruis luctari videamur.

Marchio de Renthi Tolesibus bellum parat. Marchio de Renthi cùm in territorium Tolense venisset, omnia quæ ad oppidum expugnandum pertinerent expediuit. Sed insulani aggeres confestim perrumpentes, totam insulam fluctibus cooperuerunt, consiliumque Parmensis eluserunt. Qui in præsidijs Montibus ad Zomam erant, hoc stratagemate intellecto, maiores sumpserunt animos, & se mutuò ad obsidionem, quantumuis grauem, sustinendam exacuerunt, conseruata namque insula Tolensi, vrbi ex Hollandia Zelandiaque subsidia, & quæcunq; erant necessaria, nauigijs commode submitti poterant. Parmensis difficilem vidēs obsidionem, astu ac proditione rem tentauit. Inuentus est apud hostes Scotus quidam, nomine Balfortius, qui munitissimum propugnaculum inter vrbem & mare situm (sine quo vrbs difficile occupari potest) Parmensi tradere in se recepit. dictus est dies 20. Octobris. Intempesta itaque nocte Balfortius ipse Regios per deuia ad propugnaculum ducit. Cumque nonnulli intromissi essent, Balfortius proditor contra pacta signum dat: excluduntur alij, & qui intus, partim capiuntur, & graui postea lytro redempti

20. Octob.

Perfidia Anglorum.

dempti sunt. Reliqui se deceptos aduertentes, Anno
ad Parmensem reuersi sunt. In hac expeditione 1588.
desideratus est frater Sabaudię Ducis nothus, &
quidam Regis Hispaniarum Secretarij filius:
Parmensis hac spe depulsus, cùm se ab instante
hyeme vrgeri, & continuis pluuijs in obsidio-
ne videret impediri, exercitum ab vrbe abdu-
xit, & in hyberna dimisit.

VVachtendunka obsidetur & capitur.

Ruremundenses, quique in ea Gelriæ parte
sunt incolæ apud Parmensem de intoleranda
prædonum, quæ in oppido VVachtenduncano
erant, tyrannide conquerebantur, quam vt ab
eorum ceruicibus depelleret Parmensis, Mans-
feltium Comitem seniorem cum lectissimo ex-
ercitu VVachtẽdunkam misit. Mansfeltius cùm
castra ante oppidum metatus esset, eaque mu-
nijsset, deditionem per fecialem suum postula-
uit. Oppidani verò & præsidiarij respondẽrũt;
se vrbem in fide Ordinum Belgicorum custo-
dire, & tueri decreuisse. Quamobrem Mansfel-
tius coactus est duos eminentissimos colles, seu
turres ex congestis cespitibus, cumulataq; ter-
ra excitare, atque ex ijs oppidum, bellicis ma-
chinis eum in modum verberare, vt nemini tu-
tus aut in plateis, aut in ædibus esset locus: ig-
nem quoque volatilem, & sphærulas ardentes
in oppidum immisit. Tandem corona inuasit,
leuibusque conflictibus præsidiarios fatigauit.
Ingens erat mulierum & puerorum eiulitas,
qui præter ipsum periculum præsidiariorum a-
nimos consternauit. Non iam amplius de vrbe
defendenda cogitabant, neq; vllum subsidium
à suis exspectabant. Miserunt itaque in castra,

Anno 1588. qui deditionem certis cõditionibus offerrent. Comes, etsi facilè oppidum vi expugnare potuisset, ne tamen innoxium sanguinem profunderet, maiores expensas non faceret, suis parceret, oppidum non deformaret, &, quia hyems asperrima, exercitum debilitaret, illud in fidẽ suam recepit, ijs conditionibus, vt gregarij milites, gladio tantummodo accincti, album in manu bacillum habentes, oppido exirent: ij qui nuper ex Bonnensi præsidio venerant, & cum ijs aliqui Præfecti detinerentur, donec Parmensis, quid de ijs fieri velit, respondeat.

19. Decem.

Legatus Apostolicus in Poloniã mittitur, et cur.

Pontifex Romanus, dum hæc in Belgio geruntur, Legatum suum Hippolytũ Aldobrandinum, magnæ eruditionis, experientiæ, authoritatisque virum, tunc Cardinalem, postea verò, anno pòst natum Christum millesimo, quingentesimo, nonagesimo secundo Pontificẽ creatum, in Poloniam misit. Legationis causa erat, vt pacem inter Sigismundum Suecum, & Maximilianum Austriacum, vtrumque Regem Poloniæ renunciatum, sed hunc ab illo victum & captum conciliaret, Austriacumque captiuitate liberaret. Cuius captiuitas etsi in huius anni initium incidit; ne tamen exordia tumultum Gallicanorũ interturbaremus, historiam huic loco reseruare, eamq; hic ab altiori principio commemorare voluimus.

Mors Regis Poloniæ.

Postquam Stephanus Batthoræus Transyluaniæ Princeps, nouem annis Regnum Poloniæ fœlicissimè administrasset, & Ioannem Basilidem Moschum infensissimum Poloniæ hostem, recuperata Liuonia, omnibusque oppidis, castris

stris & locis, quæ multorum annorum curricu- Anno
lo Moschus Polonis ademerat, restitutis, in or- 1588.
dinem redegisset; tandem maximo sui relicto
desiderio, anno supra millesimum quingente-
simum, octuagesimo septimo inter viuos esse
desijt.

Ordines Regni solliciti de nouo Rege cre- *Electio noui Regis.*
ando, varia inter se agitabant consilia. Vt enim
potentiam, authoritatem & existimationē for-
titudine Stephani partam tuerentur, necessariū
arbitrabantur, Principem aliquem eligere, con-
silio abundantem, iudicio maturum, armis po-
tentem, amplissima cognatione, & plurimis a-
micitijs illustrem. Plerique existimabant coro-
nam hanc Rudolpho Cæsari deferendam, pro-
pter contractum in electione Maximiliani pa-
tris initum: quo cautum dicitur, vt si Maximi- *Competitores Regni.*
lianus ad Regnum admissus, in ea dignitate mo-
reretur, nullum foret inter regnum: sed Rudol-
phus absque vlla electione Patri in Regno suc-
cederet. Quidam oculos in Alexandrum Farne-
sium Principem Parmensem cōiecerant, cuius
tunc bellica fortitudo, militaris prudentia, &
præclarissima pro Rege Hispanorum facta per
omnium ora volitabant. Huc accedebat, quod
patruus eius Cardinalis Farnesius, quo tempo-
re Protectorem huius Regni agebat, optimè fu-
erat de Repub. meritus. Sed quia Italus erat, alij
longè aliter iudicabant. AEstimabant enim il-
lius mores à moribus Polonorum fore diuer-
sissimos: præterea fortitudini huic bellicę con-
junctam esse quandam austeritatem, dominān-
dique fastum & arrogantiam. Nonnulli à Prin-

Anno 1588.

cipe Transyluaniæ, Stephani ex fratre nepote non magnopere abhorrebant: qui ad Regnum hoc multis modis, magnisque intercessionibus adspirabat. Erat enim adolescens magnanimus cui & fauor Imperatoris Turcici, & propriæ diuitiæ multum patrocinabantur. Cæterùm quod illi prodesse debuerat, id obstare & nocere plerique crediderunt; cognatio scilicet Regis Stephani: qui etsi bellica fortitudine, & rebus feliciter non minus quàm fortiter pro Regno gestis optimè de Polonis meritus erat, metuebatur nihilominus magis ab illis, quàm amabatur. In distributione namque honorum publicum & consuetum patriæ morem non seruabat, ideoque Magnatibus minus placebat. Sed & cùm Rex ille non sit Princeps absolutæ authoritatis, sed quia à Senatu & Nobilitate, tam in bello, quàm in pace dependet, sæpè timuerunt, ne libertatem Ordinum paulatim opprimeret, seseque absolutum Regem constitueret. Idem quoque obstitit Cardinali Batoreo. Dux etiam Ferrariæ, vt insignis Polonicæ nationis fautor & patronus in deliberationem venit: sed quia Italus, & quia præcedentibus temporibus ad idem Regnum adspirans repulsus erat, etiam nunc spe sua frustratus est. Erant & nonnulli ex ipsa Polonorum Nobilitate, qui diadema patrium affectabant: sed quia Poloni nihil magis oderût, quàm obedire alicui Regi ex suo sanguine procreato, & è sua Repub. electo, etiam ipsi repulsam passi sunt. Initio quidè Regni suos Piastos habuerunt: sed erat tunc alia Reip. facies, alia hominum ingenia, quàm nûc:

ideoq;

ideoq; à multis seculis nullum ex sua natione Regem habuerunt. Quod si autem aliquis è sua Anno 1588.
Republ. legendus fuisset, nemo magis idoneus ad hoc videbatur Cancellario Magno Samoscio, qui sub Stephano Rege ad tantam dignitatem & authoritatem ascenderat, vt nihil in illo quàm titulus Regis, desiderari videretur.

Ab hac itaque electione exclusi sunt omnes, quos hactenus recensuimus. Erat autem alij adhuc competitores duo, Sigismundus Princeps Sueciæ, & Maximilianus Archidux Austriæ, Rudolphi Imp. frater. Hi in medium propositi sunt. Vtriusq; causa diu multumque discussa & ventilata. Maximilianus multos habebat fautores; tum quia familia Austriaca potentiss. est, præcipuos orbis terrarum Principes cognatione attingens: tum etiã, quia ipse Maximilianus benignus est, & comis admodum moribusq; Polonorum imprimis accõmodatus. Quas ob causas ab vna parte suffragantium Rex renunciatus est. Alij, vel quia à Germanis abhorrebant; quos magno numero secũ adduxerat, & qui Polonis arrogantiores videbantur; vel quia verebãtur, ne Archidux, vt frater Imperatoris aliquando fratre defuncto ad Imperium posset adsumi, & Regnum Polonicum suæ familiæ hæreditarium facere; vel quia electionem hanc Turcarum Imperatorem irritaturam verebantur, vt qui Austriacam familiam capitali odio prosequitur: aut denique alia quacunque ex causa Austriaci electionem improbarunt, resciderunt, & Suecię Principem, viginti circiter annorum iuuenem, Regem proclamarunt, his potissimũ

Eligitur Austriacus.

Anno 1588.

rationibus inducti. Primò quod natus erat matre ex antiqua Iagelloniorum familia oriunda, quæ familia aliquot seculis optimè de Repub. Polonorum est merita; ideoque plurimum illis adamata. Sed & ab eadem quoque familia Regnum Magni Ducatus Lithuaniæ accessione quondam auctum est. Secundò, quia credebatur Princeps hic & Pater eius ingentes habere thesauros, quos, si necessitas exigeret, sibi ad conscribendum mercenarium militem non defuturos sperabant. Quibusdam etiam persuasum fuisse aiunt, Principem hunc aliquando Paternum Sueciæ Regnum sceptro Polonico subiecturum, eaq; accessione Polonicum auctum: licet plerique hanc persuasionem vt inanem exibilarent. Id autem verisimilius erat, quod ad eligendum Suecum motos, ne ille aliquando magnum Ducatum Lithuaniæ, quasi maternam hæreditatem repeteret.

Cur alij Suecum eligant.

Quibus omnibus causis alij etiam hanc addunt, vt terra mariq; aduersus Moschum, hæreditarium hostem suum Poloni potentiores essent: nam etsi Poloni ad terrestre bellum satis instructi sint, classem tamen alere non consueuerunt, qua in re præstant Sueci.

Bellum inter duos Reges Poloniæ.

Electi sunt itaque Reges duo, & vterque salutatus, vterque ad possessionem vocatus. Qui certiores facti, collecta quàm maxima potuerunt armatorum manu, summa celeritate ad possessionē festinarunt. Maximilianus, cui fortuna maris obesse non poterat, prior cum suo exercitu aduenit, & cū sedecim peditum equitumque millibus, decimo sexto die Octobris, anni

anni supra millesimum quingentesimum octu- Anno
agesimi septimi, in conspectu, agroque suburbano vrbis Regiæ Cracouiensis castrametatus est; electionemque suam in vrbem misit: petens vt admissus inauguretur. Cracouiénses verò, qui à Sueco stabant, nullo modo Austriacum recipere voluerunt: sed missis litteris & nuncijs ad Sueciæ Principem, eum vt aduentū maturaret, admonuerunt: iam enim antea Princeps nunciârat, se propediem venturum, dictusq; erat dies coronationis decimo octauo Octob. qui D. Lucæ sacer est. Interea ciues vrbem circumquaque muniunt, ignem in domos suburbanas inijciūt, & quotidie nouas eruptiones faciunt; Velitatum est inter vtramque partem sæpissimè: sed succumbunt plerumque Austriaci. Varia varijs in locis excitant propugnacula, quæ attractis machinis bellicis muniūt, vt sese ab hostili impetu tueantur. Interea veniunt Legati Principis; nūciantq; eum cū classe Gdanum appulsum esse, iactatumque diu maris tempestate, tardius quàm sperauerat portum tenuisse. Fieri itaque non posse, vt dicto die Lucę adsit, & coronetur. Petere itaque Principem, vt coronatio vsq; in festum D. Martini differatur. Ad hæc Poloni; Patriam esse consuetudinem, nullum coronari Regem, præterquam in die Dominico. Ideoque festum Lucæ antea constitutum, quod id eo anno in diem Dominicum incederet. Placere itaque sibi, vt Dominica, festum Martini sequens, quæ erat 15. Nouemb. inaugurationi statuatur. Atque ita discessum est.

Dum ad Cracouiam moram trahit cum suo

Anno 1588. exercitu Maximilianus, multi ex Germani moriuntur. Erant enim tenuiter vestiti, & frigus erat intensiùs. Magna erat vini inopia, ita vt plerique aut aquam bibere, aut tenuem cerevisiam, potum ipsorum naturæ minus conuenientem, debuerint. Hinc orta in castris est dissenteria, quæ non paucos exstinxit. Suecus ita Petricouiam venerat, vbi pestis quoque mirum in modum sęuiebat. Maximilianus itaq; Cracouiensem obsidionem soluens, Petricouiam mouet, cum aduersario volens de summa rerũ dimicare. Cæterùm, vel quia intellexit in itinere hostiũ exercitum multò potentiorem esse suo (habebat enim Suecus in castris plus quàm triginta hominũ millia) siue quod in velitationibus inter suos & Polonos Suecosq; facta, magnum suorum numerum amiserat; siue denique alia de causa, ex itinere reuersus est, Cracouiamque denuò, sed frustra, tentauit. Cùm autem Bellonam venisset, Cancellarius cum lectissima duodecim millium manu illum insecutus est. Quæ fama cùm in castra Maximiliani venissent, trepidarunt omnes. Conclamaris itaq; vasis, ex eo loco (erat enim sub ditione Polonorum) Ianuarij XXII. die in fines Silesiæ exercitum mouit, atque in oppido Pitschẽ, quod sub tutela Ducis Brigæ est, Maximilianus admittitur. Insequitur eum Cancellarius magnis itineribus, hostilique exercitu Silesiam ingressus, cum Austriacis aliquoties manum conseruit: sed Austriaci semper ferè inferiores, spem omnẽ abiecerunt. Tandem Polonus obsidet, oppugnatq; oppidum, in quo cùm Maximilianus se diutius tue-

non posset, se dedidit, captusq; vigesimo quin- Anno
to Ianuar. huius anni octuagesimi octaui, in ma- 1588.
nus hostium deuenit. Omnia direpta sunt, nec
ciuium bonis insolentia militum pepercit. Ar- *Maximili-*
chidux pro qualitate suæ personæ parum (vt *anus capi-*
quidam scribunt) honestè habitus, in custodiam *tur.*
dimissus est. Quam eius fortunam multi Princi-
pes doluerunt. Boemi quoque cum Polonis ex-
postularunt, de violatis pactis & fœderib. quia
nimirum durante inter vtrumque Regnum pa-
ce, Poloni infestis armis Silesiam, quæ Regni
Boemici membrum est, ingressi, amicum suum
Maximilianum oppugnassent, captiuumque ex
ea prouincia, abduxissent. Atque hactenus de e-
lectione Regis Poloniæ, belloq; inter Suecum
& Austriacum: ad quem liberandum, pacemque
inter Polonos & Austriacos reparandum, Pon-
tifex (vt diximus) circa hæc tempora Legatum
suum in Poloniam misit, vbi quid egerit, suo lo-
co dicemus.

Interea dum hæc in Belgio fiunt, in Gallia *Quid in Co-*
Conuentus Blæsensis continuatur. Regis autem *mitijs Blæ-*
animus nocte dieque intentus erat, quomodo *sens. actū.*
se à Guisio vindicaret. Metuebat idipsum Gui-
sius: quapropter ad Comitia non venit. Displicebat id Regi, qui qua ratione Guisium ad se pelliceat meditabatur. Tandem inuento consilio, vt se ab omni suspicione liberaret, nouum creat Senatum, siue Concilium: legit duodecim Principes, eosq; ex ijs potissimum, quibus erat offensior. Cardinalem scilicet Borboniũ, Cardinalem Guisium, Ducem Guisium, Ducem Nemourium, Ducé del Boeff, Archiepiscopum

Lug-

Anno 1588.

Lugdunensem, Alphonsum à Corsa, Comitem Termesium, Dynastam Bellegardium, & Dominum de Ogniaco; & duos alios; quorum posterioribus quatuor potissimum cõfidebat. In horum, aliorumque confessu, Rex longa, diserta-

Nota simulationem Regis.

que oratione prosequitur: Se satis iam edoctum Regem Nauarræum à Pontifice Romano excõmunicatum, & tanquam hæreticum Regni incapacem, cuius suis complicibus, sine intermissione bello, cæde & sanguine coronam ambire & vt vi extorqueat moliri. Deum sibi Regiam prolem, Regni successorem & hæredem negasse, exiguamque prolis spem superesse. Se igitur turbarum & bellorum pertæsum, & post hac quietem ac otium sequi, imperioque nuncium remittere decreuisse. Paternè se igitur suos admonere, vt in eam cogitationem incumbant, quis suo loco substitui debeat, cui totius imperij administratio, se consentiente, credatur: quo Nauarræũ & hæreticos omnes bello persequatur, donec ad internecionem deleat, vt Regno & Religioni pax & tranquillitas restituatur. Hæc tam seriò, tantaque cum grauitate proposuit, vt nulla simulatiõis aut doli suspicio subesse videretur.

Responsio Confœderatorum.

Non displicuit hoc Regis propositum Confœderatis, qui hunc in modum Regi respondérunt. Suam Maiestatem adhuc sospitem, vegetem, & per se potentem esse ad Regnum administrãdum: quàm vt Deus quàm diutissimè servet incolumem se nocte dieque deprecari: interius consilio vel auxilio opus non esse. Nihil dominus cùm Regis animus tranquillitatis

otij, quàm belli, Regniq; administrationis sit amantior, se nec velle, nec posse Regi in ijs, quę ad voluntatis suæ satisfactionem, Regnique vtilitatem pertinent, suum consilium denegare. Orare tamen se Regem, vt ipse nominet, quẽ tanto oneri parem, tantoque munere dignum iudicauerit, quique post obitum eius in Regno posset succedere. Rex multos Principes ordine in medium producit, quos imperio dignos existimat: inter omnes verò se ad hoc negotium, prętter Guisium, magis idoneum scire neminem asserit: eum nullum recusare laborem, Regnoq; velle quàm optimè: eius, patris, auique fidelitatis in Regno extare multa testimonia, plurimaque eorum in recenti adhuc esse memoria beneficia. Sperare igitur se, Guisium neq; à manibus suis, neque à se ipso degeneraturum. Ordines cùm Regis consiliũ audiuissent, mentemque cum verbis neutiquam discrepare arbitrarentur, certam omnes approbârunt: ad Guisium scribunt, eum, vt quàm citissimè ad Comitia veniat horrantur. Paret illorum consilio Guisius, & citatis equis ad Regem properat, quãtumuis alij monerent, non esse, quòd nimium Regi fidat. Perbenignè à Rege exceptus est, summę Regni dignitates ei decernũtur, imò Regni administratio omnis, & tantùm non Regium nomen tribuitur. At non diuturna fuit hæc illi felicitas: in hoc enim Rex curas, cogitationesque suas conferebat, vt quocunq; modo posset, Guisium trucidaret. Anno 1588.

Dux Guisius ad Comitia vocatur & venit.

Vigesimo tertio Decembris, biduò ante Natalem Domini, qui dies Dagoberto, sanctissimo 23. Decemb.

Gal-

Anno 1588. Galliarum Regi sacer erat, Henricus Valesius Concilium cogit: Eleemosynarium seu Confessarium vocat, cui significat, se pro sua cõsuetudine velle peccata sua confiteri, & sacrosanctam Synaxin (erat enim dies Veneris, quo die hęc facere conuenerat) percipere. Vt autem cõmodius hoc facere posset, sibi decretum ait, ad cellam Anchoreticã, quæ dimidio milliari Blesis aberat (ô sacrilegam simulationem) secedere; vt liberius Deo, rebusq; diuinis vacare posset. Deinde quatuor è Concilio in interius cubiculum suum vocat, Alphõsum scilicet à Corsa, Comitem Thermesium, Bellegardium, & Dominũ de Ogniaco, qui consilij Regis erant conscij, & Guisianis infensi. His prolixa oratione exponit iniurias sibi à Guisio illatas, machinationes itidem & insidias, quas suę Maiestati meditabatur; impatientem eius dominandi cupiditatem; per Guisium stare, quò minus in Regno posset, quod velit; eum omnium suorum consiliorum, dictorum, factorumq; euersorem. Se itaque Guisium vt perduellem, Regno inutilem, & sibi noxium è medio tollere decreuisse. Noluisse tamen se præcipitanter, & temerè quicquã agere: sed prius horũ quatuor (vt quos cæteris fideliores expertus erat) cõsilium audire, & ex eo rem exequi. Rogat itaq; Alphonsum quid hic faciendum esse censeat. Respondit Alphonsus, minori cum periculo, Regiæq; dignitatis & decoris iactura fore, si Guisium eiusque complices non statim occidat, sed in munitissimam aliquam Regni arcem captiuos abducat atq; in carcerem detrudat: deinde in iudicium

arcessat

arcessat, litem ijs intendat, ex vinculis causam dicere cogat, vt secundũ pronunciatam iudicis sententiam in illos animaduertatur. Assentitur Alphonso Ogniacus. Termesius verò & Bellegartius exulcerato Regis animo gratificari volentes, alterius erant opinionis: erant enim Guisio quàm maximè infensi, quòd cùm Regem non lateret, eorum sententias non rogauit, sed suam mox subijcit. Videri nimirum sibi nihil magis expedire, quàm omni abrupta mora, sine vlla litis intentione, sine vllo iudicio Guisium euocare, & per adhibitos sicarios trucidare. Periculosam enim eius fore captiuitatem, quod si aut vi, aut astu, aut largitionibus è vinculis elabatur, magnum incendium expectandum, graue bellum, imò Regni ruinam esse pertimescẽdam. Præterea nullum inueniri posse in Regno iudicem, qui aut velit, aut rei capitalis damnare Guisium audeat. Sibi itaque deliberatum esse eum inauditum interficere. Prædictos deinde Principes in Concilium remittit, & qui illi à secretis erat, Brulatium (alij Bernardum vocãt) ad Guisium ablegat, cum mandato; Habere Regem ardua quædam, & arcana cum illo conferenda, priusquam ad Sacramenta Confessionis & Communionis accederet, Veniret itaque ad cubiculum, vbi Rex eum præstolabatur. Parietes cubiculi prætiosissimis circumquaq; tecti erant aulæis, & sub illis octo sicarij, ad hoc scelus perpetrandum à Regẽ constituti latitabant. Guisius cùm cubiculum ingrederetur, Regẽ non inuenit (is enim in aliud interius secesserat) & horrore perfusus, insidias suspicari cepit.

Guisius à Rege vocatur.

Anno 1588.

pit. Leuatis vna parte aulæis mox vnum ex latronibus videt, quem collo apprehensum humi prosternit. Actutum alij septem strictis gladijs & pugionibus prosiliunt, Guisiumque hostiliter inuadunt. Vnus eorum suram illius percutit, graueque vulnus infligit: alius pugionem in collum adigit: quidam gladium illius tenentem ne posset stringere, tandem accurrit, qui à tergo illi lethale vulnus impegit: alij alia addiderunt. Defessus itaque vulneribusq; consumptus magnanimus Princeps concidit, altaque voce opem & misericordiam implorat. Ludouicus Cardinalis Guisius voce periclitantis cognita, fratri suppetias laturus accurrit: sed ab armatis depellitur, ne ad fratrem peruenire posset. Bellegartius per posticum in cubiculum admissus, hortatur Guisium seminecem, vt à Deo & Rege delictorum suorum veniam petat. Dux, ex vulnerib. acceptis exanimatus, & iam iam moriens, bis elata voce, Miserere Mei Deus, inclamauit, deinde obticuit, Regis gratiam asperatus, immissaq; in os manu, nomen Regis sibi eosum significauit.

Guisius truc idatur.

Dum hæc fiunt, Rex progreditur, & rogat Essetne mortuus, an adhuc spiraret: respondetur, est, Eum adhuc se mouere. Mandat Rex vt iteratis vulneribus mortem illi accelerēt. Hoc modo ait quidam, flos ille, & imperij Gallicani columen, Dux Guisius Francisci Guisij, & Annæ Ferrariensis filius, Anthonij Guisij & Rhenatæ Borbonię nepos, in ipso Regis cubiculo, iubente & inspectante Rege, à nefandis sicarijs, contra tot promissorum, sacramentorum iuramen-

Guilhelm. Rosseus de iusta Reip. Christ. in Reges impios authoritate.

toru

torum obligationes & vincula, in Comitijs publicis, contra ius gentium, contra publicam fidem, in oculis omnium Franciæ ordinum, & cũ intolerãda singulorum, verè Francorum iniuria, interfectus est: de cuius morte distichõ hoc, annum continens, circumfertur: Anno 1588.

GVISIVS à GALLI Confoßvs MILIte, In atros
ConVerso CIneres Corpore VastVs obIt.

Mortuo Duce confestim eius Secretarius apprehenditur, omniaque eius scripta, omnes litteræ & instrumenta rapiuntur, & ad Regem perferuntur. Secretarius exiguam quandam scedulam penes se habebat, cui paulò antè inscripserat, *Monsieur de Guise est mort, pour certain*: hoc est, Dominus Guisius verè mortuus est. Hanc cùm in carcerem esset abductus filo alligatam, è fenestra in plateam publicam, vbi multitudo hominum conuenerat, proijcit, qua lecta, & statim (vt quidam arbitrantur) ad Mænium Ducem, tunc Lugduni agentem prælata, rumor de morte Guisij per totum regnum increbuit. Sed & Nobilis quidam Rossierius, inuenta oportunitate è mœnibus sese præcipitat, & citatis equis tertio post die peroportunè (antequam Regis Legati adueniissent) Lugdunum inauditi scelleris nuncius peruenit. Eadem hora capti sunt Cardinalis Guisius, vnà cum Carolo Borbonio Cardinali, Petro Lugdunensium Archiepiscopo, Duce Nemourio, Elbuesio Ducis Guisij patruele, & Inuellæo Guisij filio, Magnanimo Principe, qui arma expediens, quantumuis iuuenis, se tueri conabatur. Qui omnes Regali

Secretarius Guisij capitur.

Qui Principes eodem die capti.

Anno 1588.

prandio excepti, cùm cibum capere noluissent, ad locum vbi exangue cadauer Guisij iacebat, abducti sunt, Hic totum diem, totamq; noctem querelis, lachrymis, & ad Deum precibus transegerunt. Sed & cœlum adeò triste fuit, vt etiam ipsa elementa lugere, & tam nefandum scelus, quale in Ducem erat perpetratum, detestari viderentur.

Factum tyrannicum.

Postquam Cardinalis Guisius ductus esset in conclaue, vbi cadauer fratris humi in circumfuso sanguine quasi natabat, accessit ad eum Rex, interrogãs; Agnoscere tne corpus hoc, cuius esset? Respondit Cardinalis; se agnouisse, & meritò: esse enim amantissimi sui fratris ac Domini, cui in vno, eodemque seculo adesse iam iam exoptabat. Certum, inquit, Rex, habeto, quòd te voti compotem, & quidem breui beneficiam. Postridie, nona circiter hora ante meridiana, Cardinalis iussu regis denuò ad idem conclaue ducitur, vt simili, quo frater, modo trucidaretur. Cæterùm, qui Ducem interfecerant, manus consecrato sanguine contaminare noluerũt. Erant inter præsidiarios Regios 45. circiter scelestissimi homines, quos *Couppe iarets*, à crurifragio denominant: ijs pollicetur Rex mille ducatos coronatos, si Cardinalem interficiant. Hi certatim in Cardinalẽ irruunt, eumque crebris bipennibus, multis inflictis vulneribus truculentissimè cõfodiunt. Inter tot vulnera Cardinalis illustrissmus, Rhemensis Archiepiscopus, primus Franciæ Par, & Apostolicæ sedis communione, & sacerdotalis sacramenti mysterio, & Archiepiscopalis dignitatis prærogati-

Cardinalis Guisius occiditur.

rogatiua ter sacratus,& Regis Frãcię pater spi- Anno
ritualis,à quo, tanquam Christi Vicario dela- 1588.
tum sibi regni diadema accipit,ipsa natiuitatis
Christi Vigilia, absque vlla iuris vel iustitiæ
specie,barbarè à latronibus Regijs interfectus,
piè & constanter in Domino obdormiuit.

Rex Inuellæum puerum interfici iubet.

Nic his Rex animum suum expleuit:sed mãdauit Inuellæum filium Ducis eodem quoque latrocinij modo interficerét. At qui tam innoxium sanguinem fundere, puerumq; innocentem occidere vellet, inuentus est nemo. Sole iam ad occasum vergente, cũ amborum cadauera humi abiecta in oratorio iacerent,præcepit Rex Cardinalem in aliud vicinum cubiculũ transferri,ibiq; honesto loco collocari,& viridi panno tegi,donec quid de eo fieri vellet constitueret. Ducis verò cadauer, absque vllo honore,vti ceciderat, vna manu in os inserta,altera pugioni admota, neglectum est.Eodem tẽpore amandati sunt in alias Regni prouincias percussores, qui Ducem Mænium,Mercurium, Aumalium, Dominumque Castrensem,hoc est, fortissimos & penè solos Ecclesiæ defensores, pariter insidijs è medio tollerent.Feria deinde quarta post Christi Natalitia mandato Regis vtrumque corpus in maiorem aulam illatum, rogoque ingenti, ex viua calce & sulphure constructo, impositum, exustumque est: cineres verò è fenestra in præterfluentem Ligerim proiecti.

Cadauera Guisiorum comburuntur.

Peruulgata Guisiorum,Ducis & Cardinalis morte, Ducissa Nemouria mater,& relicta Guisij vidua Blæsas profectæ, iuniorem Ducem In-

Anno 1588.

uilleum,& cadauera duorum fratrum sibi restituí supplices orarunt. Sed cùm preces suas irritas esse cognouissent, mater in Regem ipsum inuehitur, eum perfidiæ incusat, omnium iuramentorum, promissionum, pactorumq; admonet, quæ tam turpiter violasset. Mariti filijq; sui plurima in Regnum, in Reges ipsos beneficia commemorat, sine quibus iam dudum diadema ad hostes esset translatum. Iram igitur & vindictam Dei pro tanta ingratitudine, tamque barbaro latrocinio Regi denunciat, vt se, filiosque suos è medio tollat, perfusa lachrymis exorat. Rex ad hæc excanduit, eamq; comprehendi, in carcerem cõpingi, & non minùs sollicitè, quàm reliquos Principes custodiri mandauit: cui, cũ abduceretur, Domina (inquit) bono sis animo, filio tuo Guisio idẽ vitę finis obtigit, qui quondam Iulio Cęsari: nam & ille in Senatus Romani conspectu interfectus est.

Ducissæ Neuiriæ cũ Rege expostulatio.

Sarcasmus Regis.

Lamẽtatio Coniugis Guisij.

Coniunx verò Guisij, cùm suas præces à Rege repelli videret, oculis manibusq; in cælum sublatis, copiosis indulgens lachrymis, lamentabili voce rerum humanarum incertitudinem instabilitatemq; conqueritur: nusquam stabile quid inuenire, præterquam apud Deum: quem vt iustissimum iudicem spero, inquit, non permissurum, vt moriar (etsi nihil mihi iucundius quàm mori & dilectissimi mariti mei consortio fruí) nisi vindictam videro, tam immanis latrocinij in Dominum & coniugem meum perpetrati: cui simile exemplar nunquam auditum est: Negari non potest, coniugem meum post Deum, eum solum & vnicum fuisse, qui virtute & armis

& armis suis obstitit, quo minus Gallia præda exteris nationibus & hæreticis data est. Ecquis tam duro & intractabili corde, vt non moueatur, cùm audit, totius Galliæ columen, & propugnatorem tam fœdè trucidatum, idq; ex consilio & mandato Regis, cuius authoritatem ipse penè solus conseruauit? Quis non ingemiscet, cùm audit Catholicæ, Apostolicę, Romanę Religionis defensorem, tam miserè iugulatũ? Hęccine, ô Rex, corona laurea, quæ debetur ijs, qui periculum fortunarum & capitis sui pro salute Regis negligunt? Hiccine triumphus, qui meritò decerni debuit ei, qui Galliam non tantùm ab alijs genis defendit: sed & quoscunque hostes patriæ ad internecionem toties deleuit? Deinde ad maritum conuersa; O quàm felix, faustaq; fuissem, ait, mi Domine, si post preces ad Deum fusas, in hostes irruens cæsus fuisses: multò mihi tolerabilior fuisset mors illa: neque animum meum tantopere sauciasset: sed & omnem æmulationem eorum, qui honorem hũc tibi inuidebant, sustulisses. Hem quàm immanis & barbara hæc est æmulatio, inuidere illi, qui se toties in periculum capitis, vitæq; discrimen pro Regis sui incolumitate intulit? qui populo tam erat charus, qui fortunas omnes suas pro salute Regni oppignorauit, qui ab omnib. bonis colebatur, qui nullo non tempore Catholicam Romanam Religionẽ defendit? Quod si maritus meus authoritatem Regis sibi vsurpasset; quod si existimatio eius tanta apud populum fuisset, vt ea Regio nomini contemptum adferre potuerit, forsitan inuidię causa data fuisset. Sed nihil vn-

Anno 1588.

Anno 1588. quam absq; Regis consilio, vel tacito consensu fecit: imò tantum illi in Rege fiduciæ fuit (atq; vtinã non fuisset) vt inermis ad armatum venire nõ sit veritus, ab eoq; prẽmij loco trucidatus sit. O quanta impietas est hæc; eum, qui vitam Regis toties defendit, eiusdem Regis mandato vita priuari? eum, qui coronam Regis cũ vitæ, omniumque fortunarum discrimine in capite Regis conseruauit, tanquam coronæ affectatorem falsis criminibus insimulari, & Regi hoc tam pertinaciter persuaderi, vt sine iustitię aut iuris specie, sine vlla causæ cognitiõe, tantus Princeps, tam crudeliter occidatur? O summam iniuriam, & mortuo ius redditur, & furiosi causa discutitur; marito autẽ meo ius denegatum est, qui tamen (vt Deo teste potest cõprobari) omne suum studium, omne cõsilium, curas, cogitationes & labores suos non alio intendit, quàm ad ædificationem Ecclesiæ, conseruationem Regni, & salutem, securitatemq; Regis. Quid dico Regis? an ille Rex nominandus, qui eum, in quo omnis sua felicitas & salus consistit, inauditum iubet interfici? Iustissime scelerum vindex Deus, ad te cõfugio, tuum est iustè iudicare: ne patiare iniquissimas ab hostibus excogitatas calumnias sempiternam cõiugis mei gloriam obscurare, nec inultum maneat scelus, in illum perpetratũ. Deinde amicos & cognatos alloquitur. Et vos cõsanguinei mei, inquit, & amici, gloriã & splendorem tanti Imperatoris, & tam inuicti militis tã citò extingui æquis oculis, animisque aspicietis? Vultisne vt ego semper quasi deserta tandem sine

vlla

vlla spe vindictæ moriar? Vultisne vt tanti sce- Anno
leris vltio, donec adolescant hi mei liberi, ad- 1588.
huc ratiõis impotes, differatur? O filioli, filiolæq; meæ, quàm felices essetis, si in hanc lucem progressi, confestim vitam cum morte commutassetis? O Rex, arbitraris occisos, qui adhuc viuunt? panem è parũlorum manibus rapuisti; memoriam Principis laudatissimi æterna obliuione sepelire voluisti: voti cõpos aliquo modo factus es, vltionem verò diuinam non effugies, neque impune feres tam barbarum facinus, quod inimici detestãtur, & amici deplorant. O Rex quis tibi in posterum credet? quis fiduciam suam in te collocabit? cui tua fides nõ erit suspecta? putásne amicos tuos ob factũ hoc tuum te laudare, præsertim cùm iam ijs manifestum sit, aliud os tuum loqui, & aliud mentem cogitare? Ad me quod attinet, O Rex, non ego te Regem meum posthac dicam: sed eo mihi loco eris, quo ij, quos iustũ Dei manet iudicium, vt qui viduas & orphanos tueri debeas, me viduã, & liberos meos orphanos, sublato è viuis dilectissimo coniuge meo, reddidisti. In hoc planctu & lamentatione mœstissimæ Duci partus dolor oboritur, & loco duorum fratrum cæsorum, alios duos Guisios fratres enixa est.

Vxor Guisij duos alios Guisios parit.

Parisienses vtrumque Guisium crudeli mortis genere sublatum edocti, extemplò Regias ædes diripiunt, insignia lacerãt, conculcantque, effigies discerpiunt, statuas euertunt, è Senatu Regio, qui suspecti erant fœdis carceribus includunt, Guisium Galliæ liberatorem, Parisi-

Parisiensiũ in Regem odium.

Anno 1588.

ensium seruatorem, Catholicæ Religionis vindicem appellant Regi ne verbo quidem sua dignitas seruatur. Neq; enim iam amplius Regem appellandum clamitant; sed perfidem, carnificem, atheũ, tyrannum, & quidem talem tyrannum, vt à mundo condito nullæ nationes, nullę ciuitates aut Respub. similem pertulerint. Propter sacrilegam hypocrisin Iulianum Apostatam, propter sanguinariam crudelitatem Caiũ Caligulam; propter spurcissimas libidines Varium Heliogabalum; propter sacrilegum Dei contemptum Dionysium Siculum nominandũ asserunt. Publicis etiam scriptis Henricum Valesium vocant, olim Regem. Picardi quoque, vti Parisienses à Rege deficiunt. Lutetiam Mœnius confestim aduolta, Aumalius Picardiæ vrbes Ambianum & Abbatis villam occupat. Aumalij frater, quem Equitem Aumaliium vocãt, Blæsis arte quadam elapsus, Aurelianum peruenit. Hi fœderis tunc duces erant. Vrbes, oppida, quæ in fide manebant, opere muniebant, dubia præsidio firmabant, plebem disertis rationibus partibus suis deuinciebant.

Vrbes à Rege deficiũt.

27. Decem. Dum hæc Blæsis & in Picardia geruntur, Rex Nauarræus non otiatur, sed exercitu in Pictones traducto, Niortium, primarium illius prouinciæ oppidum, commodissimo loco situm, rebus ad bellum, victumq; necessarijs instructissimum occupauit. Eo capto, alia quædam deditionem fecerunt. Paulò pòst Nauarræus in grauissimam pleuritidem incidit: ea Caluiniani Seruatorem & propugnatorem suum penè rapuit. Cæterùm paucos post dies desperantibus

Niortiũ occupat Nauarræus.

de eius

de eius salute, omnibus, clementissimo Deo pę- Anno
nitentię, resipiscentięq; tempus ei prorogante, 1588.
conualuit.

Rex cùm cunctanter ageret, tanquam morte duorum fratrũ res esset confecta, ratus fortè Regij nominis reuerentiam ad cętera sufficere, varios quotidiè animorum motus in Gallia vidit concitari. Quare operępretium se facturum existimauit, si subditos per literas officij admoueret, occisorumq; Guisiorum rationem redderet. Scribit itaq; proceribus Regni, scribit ciuitatibus & oppidis, mortem Guisiorũ iusto Dei iudicio, quod suus clandestinis machinationibus in seipsi prouocarant, adscribens.

Scriptũ Regis, quo se iterum purgat.

Deinde protestatur, se in proposito suo hæreticos, omnesq; Ecclesiæ hostes persequendi, funditusq; extirpandi, non Guisiorum, non cuiuscunq; alterius monitis perseueraſſe; sed spõte sua proprioq; zelo se semper ad hoc propensum fuisse, nihil sibi vnquam antiquius fuisse, & etiamnum esse, quàm honorem Dei promouere, & Catholicam, Apostolicam, Romanam Religionem in suo Regno stabilire: in ea permanere, & ad vltimum vsq; spiritum perseuerare. Porrò, quemadmodum antea promiserat, se plebem, quæ nimijs exactionibus premebatur, subleuaturum; ita & nunc ipsum denuò pollicetur. Sic iam Ordinib. absentibus nunciasse, ad comitia venirent, eaque liberis suffragijs peragerent, media proponerent, quibus ad institutum commodè perueniatur; vt Regis salus, Deique in primis gloria sarta tecta cõseruetur. Interim se prorsus velle, vt inter subditos suos omne

Anno 1588. diſsidiũ, omnis diffidentia, omnia fœdera, pacta, conuentus, clandeſtina conſilia, & occultæ machinationes ceſſent: ita vt in poſterum pos Deũ non alium Regem, quã ſe, ab omnipotente ſubditis datũ agnoſcãt. Quod ſi fecerint, ſe illos viciſſim non vt ſubditos, ſed vt proprios filios habiturũ pollicetur. Deinde ad mortẽ Guiſiorum veniens, mirari ſe dicit, à multis hoc factum ſuum, vt iniquum, reprehẽdi, cùm omnib. conſtet, Guiſios beneficio ſuo, patrumque ſuorum, ad ſummos honores & dignitates euectos vbi grati eſſe debuerunt, paulatim ſub prætextu Catholicæ Religionis populum in ſuas partes vbiq; pertrahere, ſibique deuincire, à Rege verò ſuo auertere ſtuduiſſe, tanquam ſi Rex in Religiõe vacillaret. Eò rem deueniſſe, vt veriti, non fuerint, clandeſtina fœdera inire, & ſeditiones in ſuam perſonam concitare; id quod tumultus Pariſijs, & alijs in locis ortus abundè ſatis teſtatur. Hæc, omnia, vt ad regiam, à qua aberrauerant, viam reducerentur, ſe diſsimulaſſe, & poſtea palàm remiſiſſe. Ducem nihilominus Guiſium iuramenti ſui immemorem, debitam ſibi obedientiam non præſtitiſſe, omniumq; præcedentium beneficiorum oblitum eſſe. Tandem eò audaciæ prouectũ, vt perſonæ Regiæ inſidias ſtruere non erubuerit, ita vt ſalus Regis ſaluo Guiſio ſalua & ſecura eſſe non poterit. Iure igitur ſe in illum animaduertiſſe. Mandare itaque ſe ſubditis ſuis, ne Regis authoritas poteſtaſque tam vilis ſit apud illos, vt eam contemnere audeant: ſed potius eam quibuſcunque modis poterunt, defendant, colant,

reuerean-

reuereantur, iuxta præscriptum iuramenti, quo Regi deuincti sunt. Quod si qui secus facere, Regisque authoritate abuti non vereantur, eos exemplò, vt alijs exemplum statuatur, grauissimè puniendos esse denunciat. Anno 1588.

Hactenus Rex. quæ purgatio, etsi apud amicos Regis, atq; adeò hæreticos ipsos iustissima, optimisq; fulta rationibus censeretur, à prudẽtioribus tamen, qui nullis ducebantur affectibus, vt ficta & commentitia explodebatur. Non enim ignorabant Guisiorum, aliorumq; Confœderatorum institutum nunquam aliud fuisse, quàm vt Regem in officio, à quo discedere toties non obscuris argumentis videbatur, cõtinerent. Id cùm Rex ægerrimè ferret, rationẽ tandem inijsse quomodo se ab obseruatoribus illis expediret, vt iam non secundùm legem, & sacramenta in vnctione dicta, sed pro libidine imperaret. Scriptum Regis amici varijs in Guisios congestis criminationibus corroborabãt. Eorum scilicet consilia non aliò spectasse, quã vt Principum Regij sanguinis non modò authoritatem labefactarent, sed vitam etiam in periculum vocarent: Regnum Proceribus, nobilitate & ciuibus bonis dispoliarent; Regis augustam Maiestatem infringerent, & illum obedientiæ zelum, quo fuerat hactenus plebs in illum Nobilitasque Gallica extinguerent, & his artibus comparata sibi, suisque authoritate, viã ad Regnum inuadendum sibi facerent. Sacrum fœdus, quod Ligam vocant, non zelo Religionis, sed regnandi cupiditate pecussum: testari hoc quosdam, qui eidem fœderi postquam subscripse-

Criminationes Regiorũ Guisios.

Anno 1588.

scripserant, & iam inter ipsos Regni officia distributa, postea defecerunt. Non alioquin multas à Guisianis, easque primarias Regni ciuitates occupatas, in quibus Rex nullam authoritatem, nullum ius habet, Gubernatoribus à Guisijs constitutis omnia pro sua libidine disponentibus. Per alias ciuitates, quæ Guisiorum non parent imperio, ipsos dissensiones seminare, populum aduersus Regios ministros armare; impedire, quò minus iustitia posset administrari. Et ne quid ad summũ scelus deesset, Guisium tum Lutetiæ, tum Blęsis Regis vitę insidiatum esse. Hæc aliaq; similia per Galliam incertis authoribus spargebantur, vt tam immani & barbaro sceleri aliqua iustitiæ species præcederetur. Confœderati interim rebus suis non desunt, Regis minas contemnunt, vrbes, arces & oppida in fidem suam recipiunt, pecuniam vndiq; cogunt, exercitum conscribunt, omniaque ad bellũ erant necessaria, comparant. Quocùm Rex videret, ne fortè subditis suis, exteriusve hæreret hac in re scrupulus, Męnium, Aumalium, eiusque fratrem Equitem publico scripto dignitatibus atq; honoribus omnibus priuat. Infidos, rebelles, & Maiestatis conuictos declarat; eos, eorumque posteros, quique illi sint, qui aut consilio, aut opera, aut re aliqua illis opem ferrẽt, eodem loco habet. Ab his, illisq; graues pœnas petiturum profitetur. Idem in vrbes Lutetiam, Ambianum, Aureliam, similesq; alias constituit.

Cõfœderatorũ in apparãdo bello diligentia.

Rex Cõfœderatos aliquot hostes declarat.

Atque hic est finis illius anni supra millesimum quingentesimũ octuagesimi octaui; quem

non solum nosipsi mirabilem, variabilem, formidabilem aduertimus, sensimus, cognouimus: sed etiam maiores nostri verè talem futurum prædixerunt. Hic est ille annus, de quo Ioannes Regiomontanus, Mathematicus summus, aliquanto antequam Romæ anno à partu Virginis. 475. ætatis suæ 42. in viuis esse desijt, prognosticum seu vaticinium in hanc ferè sententiam edidit. Anno 1588.

Post mille expletos à partu virginis annos,
Et post quingentos rursus ab axe datos.
Octuagesimus octauus mirabilis annus
Ingruet, & secum tristia fata trahet.
Si non hoc anno totus malè concidet orbis,
Si non in nihilum terra fretumq; ruat;
Cuncta tamen mundi sursum ibunt, atq; deorsum
Imperia, & luctus vndiq; grandis erit.

Eadem Ioannes Stofflerus, insignis Astrologus; & nostro seculo generosissimus Heros Hēricus Rantzouius, in suo de annis climactericis & imperiorū periodis libello vaticinatus est. Quorum vaticinia quam veros euentus sortita sunt, ipsi hoc anno vidimus. Nam etsi pauca quę admiratione digna, & eorum vaticinijs cōgruentia sunt, à nobis, qui Gallica præcipuè & Belgica promittimus, in hoc libello recensentur; in omnib. tamen Regnis & Imperijs maximas rerum mutationes, imò totius orbis paroxissimos conspeximus. An nō insolens, inauditumque, quod vnicum Poloniæ Regnum intestinis procellis & bellis miserè excarnificatum, quatuor vno eodemque tempore Reges hoc anno habue-

Anno 1588. habuerit? Rem inauditã narro, attamen veram. Sigismundũ Suecum, Maximilianũ Austriacũ, Henricum Valesium Gallum, profugum Regio Poloniæ titulo ad vltimum vsq; agona vẽtem, & Stephanum Bathoræum, tum temporis inhumatum. Sequitur Suecia, quæ similiter dicto tempore tumultuum incẽdijs flagrat, arce aliquot bello pridem captas amittit; Moscus mente licet paululum remotus, amissa recuperat. Daniam Rege Frederico II. demortuo, relictoq; vndecenni filio interreges quatuor gubernant. Scotiæ Regina à propria consanguinea, mulier à muliere, contra datã hospitalitatis fidem damnatur, & supremo supplicio afficitur. Anglia fugãta classe Hispanica mirabilem victoriam obtinet. Hispanus classem præpotentem amittit, & varijs à Draco modis infestatur. Persa moritur. Turca infeliciter in Vngaria cum Christianis pugnat. Vngari crebris eiusdem incursionibus molestantur. Maximilianus Austriacus à Polonis captus, custodiæ traditur. Italia à Bannitis plurimum vexatur. Germania veteri lethargo sopita, nunc hanc, nunc illam religionis faciem exosculatur, atque (vt compendio dicam) ab ortu Solis, vsque ad occasum, nullus fermè remãsit locus, in quo non miratu dignum aliquid hoc anno congerit. Omitto portenta hoc anno visa, quæ plerunque præcedunt, cùm insignis aliqua calamitas impendet.

Portenta quæ hoc anno visa & audita sunt

Prætereo ciuem illam in oppidulo Holsatiæ Apenradio, quæ quinque dierum interstitio geminos, mense huius anni Februario, peperit, quinque

quinque Soles in Dithmarsia eodem mense vi- Anno
sos: Xiphiam, seu piscem gladium varijs litteris 1588.
et signis, puta crucibus, gladijs, vexillis, ligone,
pugionibus, equorum capitibus, & nauigijs in-
signitum, Griphiswaldiæ, celebri Pomeraniæ
vrbe vigesimo secundo Maij captum: Solem
Vinariæ vigesimo sexto mensis Iunij aêre sere-
no repentè obscuratum, totoq; eo die cum gla-
dij stricti figura in ore conspectum. Rupê Cul-
merbergensem; propè Salsfelt, prodigiosè sese
aperientem, disruptâ. Panes secundarios à quo-
dam tenacissimo Euclione, cuius genus, nomen
& auaritia nobilis reticetur, propè Rodopolin
furno immissos, palaque rursum extractos san-
guinem miraculosè lachrymantes, & paulatim
in cineres resolutos. Omnia, inquam, hæc pru-
dens prætereo: vna illa Regni Gallicani meta-
morphosis, quam ab inferis excita Erinnis hoc
anno peperit, me facilè in summam admiratio-
nem rapit. Quis enim non obstupescet, cùm au-
dit Regnum illud, quo in toto terrarum orbe,
neque maius est, neque nobiliùs, neque opulen-
tiùs: quod iam annos mille ducentos tanta cum
gloria stetit, floruitq;, tam breui & exiguo tem-
poris momento, tam feralibus tumultibus, tã
tragicis turbis concussum, & in tot contrarias
factiones diuulsum? leges & iura ab ipso Rege
violari? nobilitatem occidi? Religionem Ca-
tholicam, quæ in nullo Regno solet esse purior
& sanctior, pro cuius amplificatione & Clodo-
uęus ille, et filius Childebertus, et Martellus, et
Pipinus, & Carolus Magnus, & Ludoicus Pius,
& Philippus Augustus, & Ludouicus Sanctus,
alijque

Anno 1588. alijsque tot in Oriente contra Turcas, in Meridie contra Arabes, in Septentrione contra Hussitas, & Normannos, & domi suæ in Gallia contra Albingenses bella sanctissimè, fortissimeque gesserunt, ab eo Rege, qui in adolescentia sua nullos labores suscipere, nulla adire pericula recusauit; pro qua toties pugnauit, toties vicit, suam Regnique sui salutem neglexit, qui vsque eò Religionem Catholicam simulabat, vt monastico nonnunquam indutus habitu, nunc vitã Anachoreticam duceret, nam templa aliaque loca Religiosa cum aula sua, summa cum animi deuotione (vt putabatur) visitabat; ieiunijs, vigilijsque se macerabat, & vitam propè monasticam in summa rerum administratione profitebatur: ab eo inquam Rege, qui Christianissimus, Primogenitus, propugnator & defensor Ecclesiæ Catholicæ, Romanæ voluit appellari, eandẽ Religionẽ seditiosissimis hæreticis prostitui? Qui hæc audiens non admirabitur? non obstupescet? At minuit fortassis admirationem, quod hæc diu antequã fierent prędicta fuerunt. Erat enim nunc ea Reip. Gallicanæ facies, quam Sequanus ille Petrus Turrellus Mathematicus & Astrologus eminentissimus (qui & Francisco primo captiuitatem Papiensem vaticinatus erat) ante annos plus minus centum his versibus præsagijt.

Astrologus vates hæc nuncio mœsta, Nepotes,
Corpore qui grandis Rex tertius ordine fratrum
Prædiras edet cædes, lanio ipse suorum.
Quas propter surget ciuili Francia bello.

Prõ-

Prô dolor, & Procerum præceps cadet ista duello Anno
Non erit vna fides, non lex, non vnicus & Rex: 1589.
Multi sed Reges, leges, & Religiones.
Seruiet haud minimis in partes scissa ruinis,
O Deus, à varijs sæuè lacerata Tribunis.
Sic ruet infelix, per Reges Francia, ciues,
Antea quæ felix per Reges Francia diues.

Sed sequens nos vocat annus, ad quem prædictorum vaticiniorum effectus etiam sese extẽdunt. Cùm in eo fructus perniciosissimę huius anni sementis simus conspecturi.

LIBER SECVNDVS.

INitium huius anni auspicaturo, primùm mihi occurrit mors Catharinæ Medicææ Laurentij III. Medices, Ducis Vrbini, ac Magdalenę Bononiæ, Auerniæque Comitis filiæ. Hæc post quam ad decrepitam penè ætatem peruenisset, Galliamque multis, ijsq; funestis toto imperij sui tempore seditionibus cõmouisset, varijsque cladibus affecisset, postquã tres filios suos diademate insignitos vidisset, totum Franciæ Regnũ consilijs suis rexisset, & nunc à Guisijs & Catholicis, nunc à Nauarræo & hæreticis clã stetisset, mulier vafra, & ad fundendum sanguinẽ nata, sexto tandem huius anni die Epiphaniæ professo, naturæ debitum reddidit. Huic ab Astrologiæ peritis prædictum refert Guicciardinus, natam esse ad destruendum illius Principatum, ad quem connubio peruenireț, quod ipsum & Paul. Iouius Clem. VII. Pont. Maximum, eiusdem Catharinæ auunculũ, Imperatori Ca-

Moritur Catharina Medicæa Regis Galliarũ mater.

Anno 1589.

rolo V. retuliſſe teſtatur. Ferunt autem Hugonotti eam, cũ in extremis eſſet, Regem filium ad ſe vocaſſe, ei ſtatum Regni expoſuiſſe, dixiſſe, dubium non eſſe, quin ira Dei in Regnum Franciæ vehementer eſſet cõmota. Hanc iram populum & Principes ſibi ipſis concitaſſe, & adhuc quotidie cõcitare, eò quòd bellum quàm pacem mallent, nec ſanis quietiſque Nauarræi, aliiſque Regij ſanguinis Principum cõſilijs acquieuerint, ſed Guiſios, ſub prætextu Religionis Catholicæ, Romanæ promouendæ, Caluinianæque extirpandę Regi inſidias ſtruentes, Regnumque affectantes ſequerentur, & promotos cuperent. Sperare tamen ſe eoſdem Principes, omneſque ſubditos ad ſaniorem mentem redituros, præſertim, cùm non propria perfidia, ſed interfectorum Guiſiorum perſuaſionib. à Rege defeciſſent. Interim ſe iã ingraueſcẽte morbo penè oppreſſam, mortique vicinam hæc vltima Regi monita relinquere: Primò, Regem Nauarræum, omneſq; Principes Regij ſanguinis, verè Francos, & indigenas, cuiuſcunq; Religionis ij ſint, accerſat, & ad ſe attrahat; vt perpetuò cum Rege ſint, eumque auxilijs & cõſilijs ſuis adiuuent: Eos enim nunquam nõ fore fideles, qui tot bellis à Rege, propter Religionem laceſſiti, nunquam à fide, qua Regi erant obſtricti, defecerunt. Secũdò, cũ iam pridem in Germannia, aliiſq; locis compertum eſſet, inteſtina bella propter Religionem mota, componi non poſſe, niſi cuique ſua Religio libera permittatur: Monere ſe Regem, vt idem faciat, quo pacem hoc modo, & tranquillitatem Regno reſti-

Monita matris moriẽtis ad filiũ.

tuat.
fuiſſet,
aſſerit
hoſtib
le; Prin
ſubdit
re, & o
Regi h
cuta, cõ
viuens
Rex c
num me
ſuprem
digna, o
ſpoliata
ſens ade
in liber
bonium
copum
Princip
ras ad p
le quid
caueat,
mine fe
men ne
ſuam S
auſura
cõmun
ipſe in
cleſiaſt
ſienſey
Jũ ſupp
vt in co

tuat. Hoc si à primo pacis edicto obseruatum fuisset, fœliciorem nunc Reipubl. statum fore asserit. Quod si tandem aliquando, mi fili, ait, hostibus tuis victoriam extorqueas, pacem cole; Principes tibi sanguine propinquos, alios; subditos, qui tam dura hactenus passi sunt, tuere, & omnem in Regno abusum tolle. His dictis Regi hæreticos, quos semper bello erat persecuta, cómendasse, & pacem, quá ipsa nunquam viuens amauerat, moriens peruasisse dicitur. Anno 1589.

Rex defuncta matre relictis Blæsis, ad Turonum metropolim profectus est, eamq; vrbem supremi Senatus sede honorauit. Lutetia, vt indigna, omnibus honoris titulis, & priuilegijs spoliata. Legatus Pontificius, qui rebus his præsens aderat, postquam vidisset Guisios fratres in liberis comitijs trucidatos, Cardinalem Borbonium, Archiepiscopum Lugdunensem, Episcopum Ambianensem, alios; magni nominis Principes tam perfidè captos, Regem per litteras ad pœnitentiam facti admonuit, & ne simile quid in futurũ perpetret, seriò hortatur: nisi caueat, fore vt Pontifex eum anathematis fulmine feriat. Respondet Rex: se Pontificis fulmen ne flocci quidem facere, neque se credere, suam Sanctitatem quicquam huiusmodi in se ausuram: cùm Pontifex in Francia nullum se ex cõmunicandi ius habeat; præsertim cùm ea quæ ipse in Guisios statuisset, Politica sint, non Ecclesiastica, & necessitas ista postulauerit. Parisienses imperij Regis sui Henrici pertæsi, libellũ supplicem suo Gubernatori offerũt, orantq; vt in consessu Theologorum & Iurisconsultorum

Rex in Turones profiscitur.

Legatum Pontificis Regem deliti sui admonet.

Parisiensis consulum Theologos.

Anno 1589.

rum hę duæ quæstiones ventilentur, & decidã-
tur: Primò, an subditi & incolæ Regni Gallici
ob impiũ & immane Regis latrocinium, & quę
in perniciem Regni, Religionisq; molitur, fide
Regi debita & sacramento illi dato soluti sint,
nec ne? Secundò, an ijsdem subditis secura cõsc-
entia contra Regẽ bellum mouere, fœdera in-
re, tributum imperare, & pecuniam cogere, a
Religionẽ Catholicam, Regniq; salutẽ defen-
dendam liceat? Congregatum est itaq; collegi
Sorbonicum, alijque Doctores numero 70. om-
ni diligentia, ingenijque acumine quæstione
has discutientes ponderantesque: tandem po
multas in vtramq; partem disputationes com-
pertum est; causam Regis iniquam esse; hãc sen-
tentiam Sacrę Scripturæ, iuri positiuo, ciuili &
Ecclesiastico esse consentaneam. Concluſum i-
taque est, populum sacramento esse solutum, &
licere ei contrà Regem suum pecunias colligere, cõfœderationes inire, arma ferre, pugnare.
Vt aũt hæc maiore cum authoritate fiant, petit
à Legato, vt aliquẽ ex suis ad Romanum Pontifi-
cem mittat, qui huius cõclusionis approbat-
onem impetret, vt tutiori cũ conscientia ad Ca-
tholicã Rom. Religionẽ, quæ non parum mor-
te Guisij erat labefactata, tuendã, & hęresin om-
nem radicitus extirpandam hæc exequantur.

Theologorum Parisiensiũ de Regis facto sententia 7. Ianuarij.

Postquam omnia quæ Blæsis, & passim po-
totum Regnum acta erãt, certis nũcijs Roma
essent perlata, magna fuit Pontificis, omnium
Cardinalium consternatio, Pontifex purpura-
torum omnium Senatum cogit, & in eorũ co
sessu summũ animi sui mœrorem, ob barbar

Pontificis & Cardinaliũ consternatio.

inau

inauditum, detestandum & impium scelus in Anno
Gallia, ab ipso Rege, in Guisios fratres, præci- 1589.
puè autem in Cardinalem perpetratum: quem,
inquit, non obstante quod Dei Sacerdos, quod
Cardinalis, quod Archiepiscopus, quod Gallo- Oratio Pō-
rum Regum vnctor esset, indicta causa, absque ficis ad Car-
vlla iuris aut iustitiæ forma, perfidè trucidauit, dinales.
atq; profanis armis, sine consilio, authoritate,
cōsensu, & suo & sedis Romanæ, cuius ille mē-
brum erat, necauit: haud aliter, quàm si nec Pō-
tifex, nec Roma. sedes, nec vlla iurisdictio Ec-
clesiastica in terris esset. Diuinis legibus cautū
esse, nemini licere quemquam occidere. Ab hac
lege neminem, ne Regem quidem ipsum exem-
ptum esse: nisi fortè Princeps aut Magistratus
legitimus, iuxta præscriptū legum & cōstituti-
onum, præuia iudicū sententia quēpiam è me-
dio tollat: hoc enim homicidiū non esse: sed iu-
stum supplicium. At Cardinalis hic, ait, absque
vllo iudicio, absq; vlla causæ cognitione, non
auditus, aut damnatus, sine nostro consensu in-
terfectus est: haud aliter, quàm si laicus fuisset,
nulla eius, in qua constitutus erat Ecclesiasticæ
dignitatis habita ratione. Neq; probari potest
eum quicquam dicto vel facto in pernicié, vel
Regis vel Regni machinatū esse. Rex enim non
multos ante dies & per litteras, & per legatum
suum Gundiū, nobis eundem Cardinalem max-
imopere commendauit, petijtq; vt illi Aueni-
onensem legationem, cui Cardinalis Borboni-
us non ita pridem renunciauerat, demandare-
mus. Negare id Gundius non potest, qui nobis,
& literas Regis tradidit, & pro ipso Cardinale

Anno 1589. apud nos interceſſit. Interea Cardinalis nihil in Regẽ peccare potuit. Sed eſto; vel verbo, vel facto in Regem peccauerit: an non debuerit Rex ab homicidio tali abſtinuiſſe, & eum ad nos miſiſſe, cùm non ignoret, quàm grauiter in tranſgreſſores animaduertamus? an non captiuum detinere potuerit, & delictum eius nobis perſcribere, reſponſumque à nobis expectare? An non in Gallijs præſens ſit Legatus Apoſtolicus Mauracenus, quem Rex conſulere non potuiſſet, quid in re tam graui faciendum eſſet? ſi fugã metuiſſet, in vincula conijcere, aut cuſtodiæ arctiori tradere potuiſſet. Immortales ago gratias ſummo illi & omnipotenti Deo, mihique gratulator, quod Regis petitioni à nobis ſatisfactum eſt, & prædictus Cardinalis Legatus Gallicus per nos eſt renunciatus, atq; id cum aliqua iniuria Senatus & collegij Cardinaliũ, in quo tot reuerendi, eruditi & rerum agendarum periti ſenes inueniuntur; qui nunquam à latere noſtro diſcedunt: ideoque ad hanc dignitatem maiori cum merito promoueri potuiſſent. Rex tamen huius, aliorumque beneficiorum immemor, eundem Cardinalẽ ſeculari manu, & profanis armis, nulla à Sede Apoſtolica petita authoritate, trucidari iuſſit. Obticuit deinde Pontifex, & cùm maximi doloris animi ſui ſignificationem edidiſſet, orationem proſecutus eſt dicẽs; Gaudeo interim, & Deo gratias ago, quod tantum facinus in noſtrum Pontificatum incidit: indubitata namque ſpes mihi affulget, eundem Deum, qui mihi ab incunabulis propitius adfuit; conſilium, opemq; daturum, vt tam ne-

fando

fando facinori maturè obuiam eatur. Iterum Anno tacuit,& paulò pòst orare pergit: Profectò, in- 1589.
quit, tam ingens mœstitia animum nostrum incessit, vt vix fari lubeat. Heri ad nos venit Legatus Regis, adducto secum Oratore Gundio: & obnixè nobis supplicârunt, vt Regem à delicto perpetrato absoluamus. Idipsum tã seria protestatione, tamque feruenti prece à nobis contenderunt, vt dicerent, se non surrecturos, aut à pedibus nostris recessuros, nisi prius veniam & absolutionem hanc à nobis impetrassent, ita vt vi quodammodo, armatisq; precibus eam à nobis penè extorserint. Quibus respondimus; Eos vt Legatus pro Rege suo absolutionem petere, Regem autem ipsum in suis, ad nos ante biduũ missis literis, eam non petijsse: imõ ne mentionem quidem vllam perpetrari sui delicti fecisse. Verisimile itaque non esse, eum aut facti pœnitere, aut nos veniã orare. Interrupit orationem nostram Legatus, & ait, se personam esse publicam, & in hoc casu Regem suum referre, qui negotium hoc sibi per epistolam demandauerat: fidem igitur sibi habendam esse. Cui nos; Verum quidé esse, quod Regem suum referret; sed in rebus Politicis, non vt Regis peccatũ confiteatur, & pro eo pœnitentiam agat: oris enim confessionem partem esse pœnitentiæ, longè aliam ré esse politica tractare, quã alterius peccata confiteri. Ad Deum igitur & nos recurrendum, à Deo & nobis remissionem petendam, & deinde pœnitentiam agendam: id autẽ ab ipsa Regis persona, proprioq; illi⁹ ore fieri debere. Cum hoc responso legatos & Oratores Regios à nobis dimisimus.

Anno 1589.

Post hęc Pontifex varia variorum Regum & Principum produxit exẽpla, qui multo leuioribus delictis obnoxij, seipsos humiliare, absolutionemque & pœnitentiam flagrare nõ erubuerant. Primò, Henrici eius nominis Anglorũ Regis primi: hunc, cùm cædis D. Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi insimularetur (quamuis ille iussu Regis occisus non esset, sed à quibusdam, qui se Regi, cui cum Archiepiscopo ob immunitates Ecclesiæ lis intercesserat, hoc facto gratificaturos arbitrabãtur, & quamuis abundè satis se de crimine hoc purgasset) à Sede Apostolica absolutionem petijsse; crimen sui confessum esse, & iniunctam sibi pœnitentiam peregisse, eò quòd innocẽtissima Archiepiscopi mors ex simultate dũtaxat, quæ inter vtrumque exorta erat, originem traxerat. Thomam Cardinalem non fuisse, sed simplicem Archiepiscopũ. Deinde exemplum adfert Theodosij, qui non vnius Regni, vt Henric. Valesius Rex, sed totius mundi fuit Imperator: cui Gallia, Hispania, Germania, vtraq; Pannonia, Dalmatia, Græcia; quid multis? Oriens & Occidens parebant: hunc tamen Theodosium post cædem in Thessalonicenses perpetratam, pœnituisse, Diuo Ambrosio scelus suum confessum esse, & publicè iniunctam satisfactionem reddidisse, antequam ad augustissima Christi mysteria redire potuit. Ambrosium tamen nõ Pontificem, sed Episcopum tantummodo fuisse. Hac sua humilitate & obedientia pium Imperatorem hoc consecutum, vt de eo dictum sit;

Claudianus. *O nimium dilecte Deo, cui militat æther,*

Et coniurati veniunt ad classica venti. Anno

Vt & filios & nepotes post se reliquerit, qui 1589.
quomodo & ille, Augusti & Imperatores fuerunt. Testari hoc enim Theodoretum, aliosque historiographos fide dignos. Quod si, inquit Pontifex, tantus Monarcha obedierit simplici Episcopo, eius consilio paruerit, & publicè pœnitentiam egerit: taceo quod in Orientem rediens, nusquam nō D. Ambrosium laudauerit, in tota vita coluerit, amauerit: an nō alios minores Principes summo Romanæ & Apostolicæ sedis Pontifici obedire oporteat? Deinceps Pontifex in quosdam Cardinales inuehitur, qui factum Regis excusabant, & dissimulandum suadebant: Mirari se, ait, insanam eorum vecordiam, mirari cæcitatem, quod non videant, si hoc Regis facinus inultū maneat, totum Ecclesiasticum ordinem periclitari. Se nunquam Cardinalitiam dignitatem ambijsse, nunquam Regibus aut Principibus, vt pro ipso intercederent supplicem fuisse; neque etiam dignitatem hanc se magni facere; proinde non esse, quod sibi metuat, sed sollicitum esse pro confratribus, qui si vita, opibus, honoribus spoliari vltro velint, id per ipsos stare; nihil enim certius esse, quàm ipsos, si scelus in Cardinalem Guisium perpetratum non vindicetur, fortunis, dignitatibus, capite & vita periclitaturos. Hāc ob causam, ait, operā dabimus, vt iustitia administretur, & iure in factum hoc inquiratur, omniaq; fiant, quæ Deo grata esse & accepta didicimus. Quòd si quis dixerit, Dissimulandum esse: multa enim ex huiusmodi animaduersione posse

Anno 1589.

promanare incommoda. Huic respondemus; Non hic metuendum esse, nihil factum iri, quâ quod ius & iustitia dictitant. Deum ipsum esse iustitiam, & ius, iustitiamq; colere: iustum esse, & iustitiam diligere: solum peccatum metuendum esse, non autem iustitiæ administrationem vel executionem. Tandem cùm denuò parumper obticuisset, orationi his verbis finem impo nit. Multa adhuc dicenda sunt, sed pungit nos iustus animi dolor, nec plura loqui permittit, quocirca quæ restant in alium diem reijcimus. Cardinales aliquot nominabimus, quibus negotium hoc demandabitur. Interim Deum Opt. Ter Maximum supplices rogemus, vt tutelam Ecclesiæ suæ suscipiat, eam custodiat, & ab omni aduersitate defendat.

Pontifex apud Gallum instat pro liberatione Borbonij Cardinalis & Archiepiscopi Lugdunensi.

Non post multos hos dies nunciatum est Romæ, Henricum Valesium, Franciæ Regem adhuc captiuos detinere Carolum Cardinalé Borbonium, Legatum Auenionensem, & Petrum Archiepiscopum Lugdunensem, quod eo grauius tulit Pontifex, quia Rex paulo ante Pontifici supplicârat, vt Archiepiscopum hunc Cardinalem crearet. Non desijt tamen Pontifex varijs litteris, varijsq; instare admonitionibus & precibus apud Regem, vt hos Prælatos libertate pristina donaret. Sed responsum est: quantū ad dimissionem Borbonij, eum nequaquam dimitti posse, eius enim liberationem auctoram motus iàm in Regno aduersus personam Regis excitatos. Sed nec in potestate Regis esse, Archiepiscopum libertati restituere, postquam iam Guastius, cuius fidei cõmissa erat custodia

arcis

arcis Amboſianæ, vnà cum captiuis, certa pecu- Anno
niæ ſumma conuenerat cum Archiepiſcopo, 1589.
præſide Niuellio, & præpoſito Mercatorũ: qua
numerata, liberi dimitterentur. Reſcripſit Pon
tifex ad Regem, vrgens, vt Cardinalem Borbo-
nium ſaltem Legato ſuo Moroſino cuſtodien-
dum traderet. Cui Rex, neque id conſultum, re-
ſpondit, cùm Moroſinus non ſemper in aula ad-
eſſet, ac proinde tutum nòn eſſe, Cardĩalem
eius cuſtodiæ committere vel concredere, qui
aut clam inſcio Rege dimitti, aut ipſe cuſtodũ
manibus elabi poſſet. Id ſi fieret, maius pericu-
lum ſaluti Regis, Reiq́ue publicæ impendere.

Rex Catholicos ordinandis & edictis ad fidem reducere, ſibiq́ue deuincire conabitur.

Rex poſtquam intelligeret multas, eaſq́; pri-
marias Regni vrbes à ſe deficere; publicis eas
mandatis & edictis ad fidem reducere, ſibiq́ue
deuincire conabitur. Guiſios multis, ijſq́ue ne-
farijs criminibus onerabat; iuſtè à ſe interfe-
ctos demonſtrabat; Catholicæ, Apoſtolicæ, Ro-
manæ Religionis defenſionem, hæreticorum
perſecutionem, & priuilegiorum, immunita-
tumq́ue omnium inuiolatam conſeruationem
pollicebatur, eoſq́ue ad ſe, vt calendis Martij
compareãt, euocabat: ſed in ſaxis (quod aiunt)
ſeminabat. Etſi enim ille blandis ac mollibus
verbis gratiam Catholicorum occupare, & in
partes ſuas illos pertrahere ſtuduerit, in oſtio
formoſus lethale mulſum propinans, nihil ta-
men effecit. Neque enim ignorabant Catholi-
ci, feliciter hunc ſapere, qui alieno ſapit peri-
culo. Ne tamen Regem omnino contemnere
viderentur, illi per litteras in hanc ſentẽtiam
reſponderunt.

ad Comitia noua vocat. Februar. 1.

Plautus in Mercatore.

Se lit-

Anno 1589.

Se litteras & publica mandata Regis Henrici Valesij, mense Februario data, accepisse, quibus testatur, se natura & indole sua semper ad benevolentiam & mansuetudinẽ propensum esse; nihil sibi prius esse, quã humaniter, benignè & clementer suos tractare. Petere igitur, vt Lutetia, Aurelia, Andegauũ (vulgo Angiers) Abbatis villa, & qui horum quatuor vrbium partes sequuntur (vt sunt Tolosa, Rotomagũ, Lugdunum, Digion, Massilia, Troia, Augustoritum, (vulgo Poictiers) Rhemi, Carnutum, Mantia, Melodunum, Samurium, Gyenna, Nannetes; &, vt cõpendio dicam, potior vrbium & oppidorum Galliæ numerus, cũ Normandia, Picardia, Champania, Britannia, & Prouincia,) legatos suos, vnà cũ præfectis, & qui officijs funguntur Palatinis, ipsis Calend. Martij ad se mittãt. Post maturam deliberationẽ decretum esse, Regi in hunc modũ respondẽdum. Tempus illud nimis esse angustum & breue, negotium verò ad quod vocantur, graue & arduũ. Rogare itaq; se Regẽ, vt pro innata sua benevolentia, hæc quæ sequũtur in optimam partẽ interpretetur. Primò, infinitam sociorum esse multitudinẽ, ita vt vix locus queat inueniri, qui, si conueniendum esset, eos capere posset: imò vix audere se numerum præfectorũ, & eorum, qui publicis funguntur officijs, in vna vrbe Parisiẽsi cõmorantium exprimere. Maiestatis enim animũ terreret: sed & graue fore, tantam hominum multitudinem secundum cuiusq; dignitatem per ædes & hospitia incolarum distribuere. Præterea Præfectos & Officiarios penè omnes esse cõiuges: vxores & sobo-

Scriptũ ordinum Confœderatorũ ad Regem amarulentum.

& soboles habere, has domi relinquere nec æ- Anno
quum esse, nec consultũ, præsertim in ijs vrbib. 1589.
& oppidis, quibus sua Maiestas, pro sua clemẽ-
tia ferrũ & ignem, incolis verò vastitatem, di-
reptionem bonorũ, cruciatus, tormenta omnia,
mortem denique non ita pridem denunciaue-
rat. Ad hæc perpendendum esse Regi, pecunia
in itinere opus fore: multa esse necessaria, pri-
usquam se cum vxoribus & liberis ad iter tã in-
suetum comparent, vt se Regi loco sistant in-
cognito, & peregrino, vbi suppellex, aliaq; ne-
cessaria essent coẽmenda. In benignis & per hu-
manis suis litteris Regem quidem ipsos admo-
uisse, non essent solliciti, neque detrectarent
ẽdes suas relinquere, Regi se iungere, & eum se-
qui: quæcunque enim essent necessaria, ea ipsos
in pagis & villis apud agricolas inuẽturos. Sed
quia iam dudum omnes fortunas & opes suas
pro salute Regis aut amiserant, aut absumpse-
rant; neque ea, quæ illis à Rege debebantur im-
petrare potuerint, nullo modo se induci posse
aiunt, vt credât sibi pro Regis liberalitate nũc
omnia fore lautiora & opulentiora, quàm fue-
runt antea. Verisimile quoque esse Regem, Or-
dines & Præfectos Galliæ Narbonensis, Vasco-
num item, Rupellẽsium & Pictonum, aliorum
que locorum, qui ab hæreticis habitantur, euo-
casse. Ex eo grauem simultatem, discordiam,
funestumque tumultum posse pullulare. Cùm
enim illi alterius, quàm Catholicæ sint Religi-
onis, metuendũ, ne dum pessimè inter ipsos cõ-
ueniat, ad arma tandem perueniatur: dumque
se mutuis vulneribus cædunt & iugulant, Regẽ

pro

Anno 1589. pro sua bonitate magnos thesauros collecturũ, qui in scrinijs illius repositi, magnum essent eius dulcedini & humanitati emolumẽtum allaturi. Quinetiam si relictis suis Regem sequantur, omnibus se morborum generibus fore obnoxios; & si in aliquem inciderint, omni solatio destitutos, cum magno coniugum & liberorum luctu se miserè vitam cum morte commutaturos. Miram enim, aiunt, se in Rege constantiam semper expertos esse, vt cui ludus iocusq; est, si quis ex fidelissimis eius ministris pereat, eiusq; obliuiscitur statim, vbi ex oculis sublatus est. Quod si quis ex ministris aut amicis in calamitatem incidat, non esse Regi curæ, nulla illum moueri sympathia. Multis se illud exemplis docere posse, nisi vereantur, sibi obiectum iri, quod præcepta administrãdi Regna, populosq; gubernandi tradere prę sumerent. Quemadmodum enim liberalem eius bonitatem, amicumq; vultum exhibuerat Principibus, & summæ authoritatis Heroib. quos ex agnata sibi benignitate partim occidit, partim in carceres compegit: ita nunc illum occultam amicitiã, beneuolentiamq; gerere erga hos, quibus clam pessima quæq; machinatur. Hanc simulatã eius dulcedinẽ, prudentissimos & fortissimos huius Regni Principes expertos esse. Paucos itaq; reperiri, qui blandis eius litteris fidentes, ad illum venturi sunt. Vt vt est, esse quàm plurimos, quibus bonitas hæc Regis suspecta est: qui conqueruntur Regis dulcedinem sibi prorsus amaram accidisse, nec scire se, cui Rex dulcis fuerit nisi paucis, qui in comitatu illius sunt: soli Deo cogni-

cognitum esse, an hoc diuturnum futurum sit. Anno
Ceterùm his non obstãtibus, se pro amore suo, 1589.
quo Regẽ complectuntur, eum admonere vo-
luisse, eius quidem in simulando & dissimulan-
do artificium esse magnum: in hoc enim supre-
mum illum gradũ conscendisse, esse tamen mul
tos, qui eandem artem ab illo didicerunt, simi-
liaq; per omnia faciunt: simulant multa in Re-
gijs consilijs sibi probari, quæ tamen sibi mini-
mè placent. Hos vbi à Rege discesserunt, in eius
perniciem mala quæque disseminare; fore bre-
ui, vt (nisi Rex aduigilet, & in secreto suo con-
claui argutum, vafrumq; pro more suo consi-
lium comminiscatur) doli, fraudes & astutiæ
illius breuem, dubiamque finem sint habituræ.
Quin etiam eò rem progressam esse, vt maior
pars eorum, quos Rex ministros & officiarios
suos vocat, tales haberi nõ velint: sed dicant se
ministros esse Regni, & Coronæ Gallicæ, non
autem Regis, sualque administrationes & habi-
tationes in præcipuis vrbibus esse, in quibus co
dicilli, tabulæ publicæ, instrumenta, Principũ
diplomata, aliaq; priuilegiorum, constitutio-
num, & prouentuum Regni documenta seruã-
tur; non in pagis aut villis, vbi hæc distrahi, ra-
pi, vel amitti poterunt. Itaque in sua potestate
situm non esse, neq; prorsus se velle permitte-
re, vt tantus thesaurus à debito loco in quo cõ-
seruatur, ad alium minus idoneum & inconue-
nientem transportetur. Neque sibi persuaderi
posse, rationi consentaneum esse, vt vrbes opti-
mis ciuibus, iudicibus & præfectis suis spolien
tur; parentes, fratres, & cognati educti, vel euo-
cati

Anno 1589.

cati per pagos distribuantur, vbi prædonum libidini obijcerentur, vbi neminem haberent, qui eos ab iniuria tueretur.

Cùm hactenus perpetuo quasi sarcasmo, & amaris verbis Regẽ incessiuissent, (putabãt enim Regem dolo agere, vt eos ad noua Comitia pellicere, atque vt Guisios tractaret; itaq; quo artificio ille vtebatur, eodem vti voluerunt & hi: meminerant enim illius Horatianæ vulpeculæ ad Leonem responsi.

——quia me vestigia terrent,
Omnia te aduersum spectantia, nulla retrorsum.)

tandem non multò modestius scriptum suum his verbis concludunt.

Maiestas itaque tua (si velit) nos excusatos habeat, si ad statum locum non venerimus. Nõ enim omnes qui inter nos versantur, stolidi sunt & insipientes: sed habemus viros consultissimos & expertissimos; qui verẽtur, ne fortè benignitas tua illos exteris nationibus (quarũ auxilio tua Clementia se cum ruina & excidio totius Regni defendere conatur) prodat. Sed & iam pridem edocti sumus, decretum tibi esse, vt ditioribus Regni ciuibus & incolis hoc modo ad institutum tuum abutaris. Quin te vel inuitum negotij à te suscepti necessitas tandem eò impellet, vt & nostris, & aliorũ, partes tuã sequentium, & te in vrbes suas recipientium, scrinijs exhaustis, & crumenis deficientibus, tandem querimoniarũ detur occisio, quod eorum consilia nõ sunt secuti, quos tu perduelles, perfidos & Regi suo immorigeros soles appellare; eò quòd tyrannidi restiterunt: quã continuare

nuare te tandem tua coget liberalitas. Veriſſi- Anno
mum namq; eſt,& perrarò hæc alea fallit,Prin- 1589.
cipem aliquem ſi Fiſci ſui rationem nō habeat,
vectigalia,portoria,alioſque prouentus Regni
dilapidet,ſua,aut Eccleſiaſtica bona vendat,ac
alienet: populum inuſitatis & intolerabilibus
indictionibus atque tributis opprimat,Officia
denique & iuris adminiſtrandi munia auro ve-
nalia proponat; Principem inquam hunc tan-
dem vrbium & Prouinciarum prædonem fieri;
pauperibus & miſeris ſubditis,ſi quid inter fer
rum & ignem ſeruauerint, id ipſum vi rapere,
vt habeat vnde viuat. Præter hæc omnia nos
vel maximè mouet, ſollicitoſque reddit metus
tui ſucceſſoris. Veremur enim ſucceſſorem Re-
gni poſſe conſtitui, in afflicto hoc Reipubl. ſta-
tu,qui ignorans quomodo Regni ſalutē procu-
rare debeat, cogatur vltimis his tuis veſtigijs,
ad perniciem & huius florentiſſimi quondam
imperij ruinam,inſiſtere: niſi Deus primo quo-
que tempore clementiſſimā manum ſuam ſup-
ponat,quòd omninò neceſſarium eſſe vel nobis
tacentibus res ipſa clamitat. Sed & nos (quan-
tumuis plurimis exulcerato hoc tempore in-
uoluamur malis: quæ in ſilentio cum patientia
Iubenter ſuſtinemus) firmiſſimè ſperamus,diui-
nam opem præſoribus eſſe, quæ nos tandem ex
omnibus his calamitatibus eruet, priſtinæque
ſaluti & felicitati reſtituet. Tandem poſt om-
nia orabant Deum, vt Regem propediem hinc
in cœlum abducat, & ſubditos à tali Principe
liberet.

Acceptis his litteris Rex, cū præter opinio-

Anno 1589.

nem animos suorum à se alienatos, neque iam simulationes suas diutius locum habere, intelligeret, ex simia leo factus est: exuto Capucinorum cucullo, arma induit, & quos blanditijs in officio retinere non potuit, armis ad fidem sibi debitam cogendos arbitratus est. Omnes Chiliarchas, Tribunos militum, Equitũ Magistros & belli Præfectos conuocat: cum ijs consilium agitat, vnde & quomodo bellum esset incipiendum. Pecuniam vndique cogit, exercitum restaurat, delectum militũ habet. Tormenta bellica, & quæ ad ea pertinent, iubet præparari. Quid multis? Horrendi belli fit apparatus: sed fama, quàm ipsa res erat terribilior. Initiũ belli ab Aurelianensibus sumptum est. Hi cùm armis leuiter tentarentur, armis regijs sua arma primi opposuerunt. Arcem Rex tenebat exiguam, exiguo præsidio munitam. Hanc illi excindere parant; machinas admouent, munimenta prosternunt. Miles postquam ruinas aliquot dies fortiter defendisset, cùm & numero impar esset, & loci iniquitate premeretur, omissa defensione, ad tutiora se recepit. Aurelianenses iam liberi exemplo & fortuna sua alios suarum partium vrbibus animos addiderunt, alias sibi adiunxerunt.

Rex simulat se deposti bello agere pergit.

Aurelianenses frustra à Rege obsidentur.

4 Martij. Parisiẽses Catholici & confœderati cũ Henrici Valesij imperio renunciassent, alium sibi Principem, cui parerent, eligendum statuerunt. In frequenti itaq; conuentu, postquam omnia tam præsentia, quàm futura incommoda demonstrassent, communibus tandem suffragijs Ducem Mænium Parem Franciæ Proregem, Regniq;

gniq́ue Gallici defensorem (donec Ordines to- Anno
tius Regni conuocati, aliud statuerent) renun- 1589.
ciarunt. Ordines autem primo quoq; tempore
mandato Parlamenti per generalem Procura-
torem conuocandos, indictiones & tributa ad
bellum gerendũ necessaria imperanda, & exer-
citum conscribendum decreuerunt. Vt autem
omnia tam ciuilia, quàm militaria legitimè, &
maiori cum authoritate administrarentur, cõ-
sultum rati sunt Ducis Mænij nomen omnibus
placitis, edictis, & constitutionibus præfigere.
duo quoq; sigilla conficere, quorum vno maio-
re, generale Concilium; altero minore, Parla- *Sigilla duo confœderatorũ.*
mentum vteretur: inscriptio autẽ vna eademq́;
esset. *Seel du Royaume de France.* hoc est; Sigillum
Regni Francici. Mænius Prorex electus, & ad
Regni administrationem vocatus, vt Catholi-
corum precibus & votis satisfaceret, Lutetiam
venit. Cùm omni honore & beneuolentiæ si-
gnificatione acceptus, sacramentum dicere in
hanc ferè sententiam iussus est. Catholicam A-
postolicam Romanam Religionẽ obseruaret,
ac defenderet; contra omnes & singulos, cuius-
cunq; status & conditionis essent, qui eam im-
pugnarent; Dignitatem & authoritatem Regiã
tueretur; iustitiæ administrationem restitue-
ret, promoueretq́; : Priuilegia tam Ecclesiasti-
corum, quàm Nobilium serta tecta cõseruaret:
omni diligentia curaret, vt constitutiones, le-
gesq́ue Regni, & obedientia Magistratibus de-
bita, obseruarentur; à subditis omnem iniuriã
& oppressionem propulsaret; omnem curam,
omnemq́ue diligentiam suam eò dirigeret.

Anno 1589. Rex interim nouis turbis noua remedia quærere, & crescentibus Confœderatorum viribus auxilia sibi circunspicere. Malum præsens, præsens remedium requirebat. Germanica, Heluetica, Anglica, Scotica auxilia certa sperabat: sed ea lõginqua, eoque tarda. Vnus Rex Nauarræus ad manum.

His in concilio Regis grauiter certatum: dũ quidam accersendum Regem Nauarræum: alij omnia prius experiunda ferendaque contendunt. Rex ipse dubius animi hoc etiam angebatur, quod Regem Nauarræum præcedentium bellorum memorem futurum verebatur.

Sed qui erant à Rege Nauarræ alieni, Religionique Catholicæ addicti, Hæreticum, quem tot annos rex ipse armis persequutus esset, aduocare, neque honestum, neq; tutum dicebant. Regi famæ in primis rationem habendã: Regi autem Christianissimo, conscientiam ante omnia esse debere. Conscientiam pollui ascito in societatem hæretico, sententia summi Pontificis excommunicato: famam minui, si ad eum recurreret, qui tam diu pro hoste fuisset. Sed, quid Pontificem, quid Hispanum, quid cæteros Catholicos Reges, principesq; dicturos? Quid subditos ipsos, qui odio potissimum hæreseos ad arma conuolarint? Pontifici eodem loco Regem futurum, quo esset Nauarræus, & absque dubio confœderatorum opera, excommunicatum iri, Regem Hispaniæ, qui Catholicus, & fit & haberi velit, cùm iam de religione Catholica palam agatur, arma pro ea palam sumpturũ. Subditorum animos, tanquam Rege in parte

Hæreti-

Hæreticorum transeunte, in rebellione confirmatum iri: & Papæ etiam auctoritatem accessuram, qui eos sit liberos, & Sacramento solutos pronunciaturus. Anno 1589.

Qui verò accersendum Nauarræum suadebant Regi, gratioribus argumentis niti, ipsa in primis necessitate, contra quam, vt veteres loquebantur, ne Dij quidem irent. Regibus famam ex fortuna constare, & hoc rerum statu primam salutis curam esse debere. Nauarræum nó tanquam hostem, (qui ipse reuera hostis nunquam fuerit) arcessitum iri, sed tanquam Regem, cui Regum aliorum salus, etiam in exemplum & cautionem, curæ esse debeat: Tanquam proximum Regi, proximum Regno: tanquam Princeps regni membrum, tanquam subditum aduocari. Regem Regis auxilium implorare, nec nouum esse, nec indecens, non magis quàm fratrem fratris. Regum omnium maximè interesse, inuiolatos Reges, sanctosque haberi. Quem autem Regem, quem Principem, quem etiam Priuatum, non propinquorum suorum & affinium opera indigere? Sed subditorum manus vireleq; Regibus si quis subtrahat, eundem eadē opera Regium nomen iusque auferre.

Conscientiā hic intempestiuè & præter rem inculcari. Olim Imperatores, Christianorum militum manu, bella non vna feciisse, confecisse. Et nuper Carolum V. Imperat. Mauritij Saxoniæ Ducis, & Alberti Brandeburgici armis feliciter vsum. Et hodie non nisi virtuti Germanorum & Hungarorum, qui Pontificis doctrinam abiurarint, Turcam propulsari, Imperium

Anno 1589.

rium defendi. Hispanum ipsum, qui tam Catholicus & esse & haberi velit, Germani, maximè Euangelici militis robore, Lusitaniâ occupasse.

Illos ipsos, cum quibus hodie res sit, Anno 1585. cùm primùm arma in Regẽ caperent, Germanum militem in Principum Euangelicorum terris conscriptum, inter auxilia habuisse: hunc suo more, ab Euangelico doctore, palam verbum Dei in exercitu audire, & Sacramenta Ecclesiastica sumere solitum.

Quàm prudenter dedicère, & discum adhus.

Reges Franciscum I. & Henricum II. huius auum, patremq;, cum Imperij Euãgelicis Principibus fœdus iniisse, eosdem auxilijs, pecunia, milite, ad tuendam Imperij Religionisq; libertatem iuuisse. Hunc ipsum Regem, citra vllius reprehẽsionem hactenus eum ijsdem illis principibus amicitiam coluisse: cum Regina Angliæ etiam arctum fœdus habuisse: atq; illorum amicitiæ, huius fœderis hodie vel maximum fructum expectare. Sed qui accersiri Regem Nauarræum prohibeant, eosdem, ijsdem rationibus auxilia Germanica, Anglica, Scotica, Heluetica diffuasuros. Hoc, quid aliud sit, quàm Regem, Regnumq; hostibus prodere? Nugas esse, quòd hic Regem Nauarræ tanquam Hæreticum differant. Esse litem sub iudice, neq; hodie cum Rege de Religione certari. Regnum eius, vitam eius peti. Quod excommunicatum iri dicant, magis maiores nugas esse. Nullum Põtifici Romano vnquam ius in Galliæ Regnum, eiusque Principes fuisse, nec esse. Et olim Galliæ Reges Pontificum istas sententias pro nihilo habuisse: & recenti memoria excommunicatam Regi-

nam

nam Nauarræ Iohannam, huius, de quo agatur, Anno
matrem, apud Carolum IX. Regem locum suũ, 1589.
Regis & Regij senatus auctoritate tenuisse. Liberum à Pontificum libidine Galliæ Regnum, vt olim fuerit, ita porrò conseruandum. Itaque nec Pontificem valde extimescendum, etiam si in Regem ipsum fulmen suum iaculetur. Sed nec Hispanum: etiam si palam arma in Regem capiat: nec subditos ipsos, quorum iam furor eò processerit, vt vltra non possit. Pontificem mouere nihil posse, quod motum iam non sit. Hispanum iam dudum clam id agere, quod palam acturum illi minitentur. Apertum hostem facilius, quàm occultum & dissimulantem caueri. Aduersus subditos, auxilium quæri, quod in Rege Nauarræ, vt proximum, ita promptissimum & certissimum sit. Namq; eo animo Regẽ Nauarræ, in Regem Regnumque esse, vt deleta offensarum, si quæ sint, memoria ad hoc extinguẽdum incendium, etiã vltrò aduolaturus sit.

Quare ita censebant: Quoniam Rex à coniuratis valde premeretur, Regem Nauarræũ proximum regno Principem, dum externa auxilia conficiuntur, quam primùm quibusuis conditionibus inuitandum atque accersendum.

His similibusq; argumentis nitebãtur, qui in aula Regi Nauarræo fauebant, qui Guisijs, cæterisq; confœderatis clam insidiabantur: quibus Religio Catholica erat exosa. Horum sententia apud Regem vindictæ cupidum, & sibi metuẽtem valuit. Dum hæc Regis Cõcilio agitantur, Nauarræus Nauarræus, quem hæc diu latere non poterant, castra mouet. ac sibi suæq; causæ deesset, Ligerim versus con-

Anno 1589.

tendit, vt Regi propior opponere sese Confœderatorum viribus posset. Oppida, vrbesque, quas ipsa itineris ratio obiecerat, partim subito eius aduentu tritæ, partim quia non satis erant munitæ, deditionem fecerunt. Inter eas Landunum, Insula Bochardi, Castelloraltum, Mirebellum, Viuonna, & Blancum Castelloralti, vt statum rerum specularentur, & de Regis voluntate aliquid intelligeret, militemq; suum recrearet, aliquot dies substitit.

Landunum & alia quædã oppida se Nauarræo dedunt.

Pax in Polonia inter Sigismundũ & Maximilianũ constituta.

In Polonia causa inter Regem Sigismundum & Sereniſſimum Archiducem Maximilianum captiuum à Legato Pontificio, Cardinale Aldobrandino, cæteriſque vtriusq; partis Legatis Bithomiæ congregatis agitabatur. Multæ passim difficultates oriebantur, & veteribus compositis semper nouæ nascebantur. Tandem tamen diuina gratia intercedente, & Legatorum, præcipuè Cardinalis, prudentia accedente, nono die Martij pax inter Polonos & sereniſſimã familiam Austriacam est reparata. Fuêre inter alias conditiones: Vt Maximilianus liber sine lytro discedat: Offensiones Christianæ tranquillitati condonet: Libloniam restituat: Titulo Regio Poloniæ renunciet: Ad fines Sileſiæ deductus securitatem, seu iuratoriam cautionem, de non vindicando præstet: Damna mutuo compensentur. Fœdera inter Poloniæ, Vngariæ, Bohemiæ Regna, & totam domum Austriacam reuouentur? Rex Poloniæ ad maioris honoris significationem, ad Sacram Cæsaream Maiestatem, præteritarum offensionum ἀμνηστίαν, & transactionis cõfirmationem petitum,

Conditiones pacis.

Legatos

Legatos mittat: Sacra Cæsarea Maiestas iuxta formulam conceptam præsentibus legatis Polonicis (sicut vice versa Rex Poloniæ præsentibus Legatis Cæsareis) iureiurando pacem & fœdus confirmet. Anno 1589.

Cùm itaq; Legatio Polonica ad Cæsarem venisset, honorificeque suscepta esset, fœderi subscripsit, & iuramento suo confirmauit. Forma autem iuramenti hæc est: *Insolitares; Rudolphus II. D. G. electus Rom. Imper. semper Augustus & Cæsar iuro, spondeoq; ac promitto, per hæc sancta Dei Euangelia, quod omnia ea, quæ S. D. N. & Legati eius delatere, Reuerendissimi Cardinalis Aldobrandini interuentu, inter Commissarios meos, ceteroſq; serenissimorum Principum, Patruorum & Fratrum meorũ, ex vna, & serenissimi principi DD. Sigismundi III. Regis Poloniæ, Magni Ducis Lituaniæ, &c. parte ex altera Bethomiæ & Rendzonij congregatos pacta sunt, in omnibus eorum clausulis firmiter, inuiolabiliterque obseruabo: ijsq; satisfaciam, pacem & amicitiam cum eodem serenissimo Principe Regnoq; Poloniæ, Magno Ducatu Lituaniæ &c. cæterisq; coniunctis prouincijs & ditionibus iuxta eandem transactionem pacta perpetua, & fœdus perpetuò constanterq; colam. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euãgelia.* In eadem verba Rex & Poloni quoque iurarunt. *Formula iuramenti Cæsarei.*

His ita peractis Archidux Maximilianus à Rege Sigismundo primùm honorificè salutatus, deinde ad constitutum in Silesiæ finibus locum à Polonis deductus est. Antequam eò perueniretur esset, Poloni certiores facti ab Vngaris, *Maximilianus liberatus restituitur.*

Anno 1589.

nondum iusiurandum datum esse, Archiducem è via in custodiam reducunt, è qua tamen non multo interposito tempore, cautione de Vngarorum consensu secuturo facta, dimissus, & ad designatum iuramẽto præstando locum comitantibus Polonis peruenit. Atque ita Sigismundus Tertius Sueciæ Princeps Regnum tranquilla possessione obtinuit. Maximilianus verò, qui non modò nomine patrem refert, sed & facie eundem repræsentat, moribus quoq; & fortuna illi simillimus est (vterq; enim Poloniæ Rex electus, vterq; post electionem exclusus, vterque magnanimus, iustitia, fortitudine, alijsque egregijs animi dotibus clarus) post infeliciter tentatam belli aleam Regno excidit, promissóque se nec viuo Sigismundo, nec illo defuncto, virtute huius electionis Regno molestum fore, aut titulum, seu ius in illud aliquod vsurpaturum. Sunt tamen qui scribunt eum cùm ad locum iuramento constitutum peruenisset, bonitate causæ & Equitum Cæsarianorum cohorte Polonica firmiore fretum, ob iustas & graues, quas causabatur, rationes, superiorem translationem, se inscio vt plurimum consutam, ratificare, & iusiurandum de non vindicanda iniuria præstare negasse, Poloniscque nil tale expectantibus relictis, rectà Pragam ad Imperatorem fratrem contendisse.

Vide Lindebergiũ.

Geertrudomontani tumultuantur.

In Belgio præsidiarij qui in Montib. S. Geertrudis Ordinibus militabant, ob multis mensibus non solutum stipendium tumultuabantur, in naues Hollandorum, Zelandorumque grassabantur, bona & mercatorum mercimonia di-

ripie

ripiebant. Ordines per legatos suos tumultum sedare cupiebant; conditiones proponebantur, aliquot mensium offerebantur stipendia. Placari non poterant præsidiarij, & totum sibi debitum solui postulabant: quod nisi fieret, vrbẽ se Regi reddituros minabantur. Comes Mauritius Principis Orangij ex Saxonica filius, cõfœderatarum regionum Gubernator, ipsíque Ordines non obscuris argumentis intelligentes, quò res tenderet, cùm ærarium esset exhaustum, & modum tumultuãtem militem pacandi non haberent; armis coercendum decreuerunt. Visum est, vrbem terra mariq; obsidere: fit apparatus; classis instruitur. Interim milites quotidie maiores turbas excitant. Anno 1589.

Non ignorabat hæc Parmensis, qui Marchionem VVarenbonium militem fortissimum & Principem (si quis alius) singulari virtute præditum, cum expedita militum legione in Gelriam quasi Gubernatorem, præmisit. Is 20. Martij Bruxella discedens, paulò pòst in Gelriam venit. Triduo post Parmensi tristis ad fertur ex Italia nuncius, patruum scilicet eius, Cardinalem Farnesium, Principem grandæuũ, virtute, consilio & opibus pollentẽ, gratum bonis, graue improbis; qui plurimas cum laude obierat legationes, ex hac vita sublatum. Parmensis, licet mœstus, vt officium suum faceret, Regisque sui negotia promoueret, ex omnibus vicinis oppidis & vrbibus, Mechilinia, Diestemio, Lira, alijsq; pluribus præsidia euocat, exercitumq; cogit, vt bellum prosequatur. Metuebant hostes, & quid Princeps meditaretur ignorabant; quidam

26. Martij VVarenbonius in Gelriam ablegatur.

23. Martij. Moritur Cardinalis Farnesius.

Anno 1589. quidam Ostendę, quidam Montium ad Zomam obsidionem, alij aliud iuspicabantur. Ordines interim munitiones aliquot in territorio Græningensi intercipiunt. At Parmensis, postquam Verdugio 14. peditum signa misisset, ea breui recepit.

24. Martij.

Hollandi Montes S. Geertrudis obsident.

Initio Aprilis Comes Nassouius Mauricius tumultuātes in Montibus S. Geertrudis milites vt in eos exemplum statueret, ne & alij prædiarij simile quid tentarent vrbem vndiq; obsidione cinxit, & certis conditionibus milites ad deditionem inuitauit. At cùm illi pertinaciter in proposito permanerent, multa tormēta bellica diuersis in locis disponuntur, quibus muros acerrimè concusserunt. Qui in vrbe erant, fortiter se defenderunt. Biduo tanta cum contentione continuis tonitruis, cùm mœnia verberassent, latissimas ruinas strauerunt, & se ad oppugnationem parauerunt. Oppidani abiecta sese defendendi spe, de deditione agere cœperunt. Mittunt in castra Concionatorem cum alio Tribuno, qui cum Mauritio paciscantur. At postquam conditiones, quæ offerebantur, duriores viderentur, in vrbem reuersi sunt. Spetamen sanioris deliberationis oppugnatio est intermissa, & in sequentem diem dilata. Sed noctis beneficio, & incredibili labore, qui in vrbe erant, ruinas omni materiarum genere restaurārunt. Interim excreuerunt aquæ, vt iam nullus esset machinarum bellicarū vsus. Sed & facilè animaduertebat Mauricius, oppugnationem fieri non posse, sine summa suorum strage & detrimento. Desperata igitur obsidione

maior

maiori vi se abstinuit. Dordracēses vicini, quorum vel maximè intererat, hanc vrbem in obedientia Ordinum retineri, cum Geertrudomōtanis amicis conditionibus agere, sed frustra, cœperunt. Anno 1589.

Parmensis interea, qui sibi ex hac tragœdia commodi aliquid sperabat, Bredam venit, deinde Montes Geertrudis profectus, ante vrbē, in loco vbi Hollandi castra sua iam ante fixerant, substitit, animosque præsidiariorum oblata ingenti pecuniæ vi, ad deditionem solicitauit. Vtrinque itaq; muneribus tentabantur. Sed quia Rex plus dare potuit, quàm subditi, vicit maior pecuniæ summa: tum etiam quia præsidiarij Regi potius, quam Ordinibus, quos nunc bis offenderant, fidebant, cum Parmensi deditionem certis conditionibus ciuibus & militibus non iniquis pacti sunt. Hollandi & Zelandi vrbem munitissimam, & commodissimo loco sitam sibi ereptam audientes, indignati, omnes præsidiarios istos proscripserunt, & tanquam homines sceleratos & proditores, vbicumque & quandocunq; inuenientur, suspendio necādos proclamārunt. Quare multi dicto Regi sacramento fortissimè sæpè cum hoste dimicarunt; Regiq; fidelem operam præstiterunt: multi quoque capti & in furcam acti sunt. *Parmensis Montes Geertrudis recuperat.*

Lubet autem hoc loco conditiones, quibus tam ciues, quàm milites in potestatem Regis transierunt, obiter recensere. 1. Rex ciuibus ignoscit omnia, quæ durante hoc ciuilis belli tempore quoquomodo in Regem crimina perpetrarunt, quocunq; illa nomine possent appellari, *Conditiones quibus ciues Geertrudomontani in potestatem Regis redierunt.*

Anno 1589.

lari, ea perpetua obliuione sepelienda promittit, non aliter quàm si acta nunquam essent: interdicit omnibus Iudicibus, & qui in officijs sunt, ne ciuium personas aut bona lędant, nihil ab illis siue de iure, siue de facto exigant. 2. Omnibus ciuibus & incolis à die huius pacti restituit plenam omnium bonorum suorum mobilium & immobilium, vbicunque ea sita sunt, & sub Suæ Maiestatis imperio reperiũtur, possessionem. 3. Nullus magistratus, aut qui in administratione fuerunt, in ius vocari poterit, ratione resolutionum, placitorum, subsignationum, iudiciorum, sententiarum, actorũ, & obligationum à se factorum & pronunciatorum. Omnes similiter Præfecti ærarij & Quæstores, si quam pecuniam in vsum belli rè cepissent, ab omni molestia erunt liberi, nec vllius pecuniæ in eos vlla fieret inquisitio: nisi eandem pecuniam in vsus proprios conuertissent. 4. Vrante Princeps re ipsa demõstret, sibi decretum non esse vrbem hanc ciuibus spoliare & desolare, permittit eis vt in ciuitate ædibusq; suis biennio integro maneant, sine vlla inquisitione in illos facienda, hac conditione, vt politicè & sine scandalo viuant. Biẽnio transacto si qui aliò migrare voluerint, id eis conceditur, omniaq; bona sua mobilia, omnes itẽ merces secum auferant, quod vt commodius facere possint, naues ex Hollandia vel Zelandia sibi procurarẽt. Immobilia verò bona venderent, oppignorarent, vel absentes alijs administranda, qui in locis neutræ parti addictis habitant, traderent. Eadem quoq; libertas data fuit ciuibus absentibus,

tibus, si modò semestri post hanc conuentionē Anno tempore redirent. 5. Omnibus priuilegijs & 1589.
immunitatibus, quæ ante hos tumultus habuerant, deinceps quoq; fruerentur, nisi examinata Regis authoritati & cōmuni patriæ saluti contraria deprehenderentur. 6. Omnibus in prouincias & loca nondum Regi recōciliata proficisci, vt negotia istic expediant sua permissum est, ea tamen lege, vt post sex menses reuertantur, & ad loca Regis imperio subiecta, aut quæ neutri parent parti, prout voluerint, se transferant. 7. Quia durante hoc bello ære alieno grauati erant, nec essent soluendo, annuit Parmensis vt biēnio nemo illos in ius vocaret, aut quoquo modo ratione debitorū vexare posset. Atq; his conditionib. ciues ad obedientiam sui Regis redierunt, & in gratiam recepti sunt.

Conditiones præsidiariorum Geertrudebergensiū.

Militibus verò concedebatur. 1. eadem quæ ciuibus omnium delictorum, scelerum, deprædationum & iniuriarum obliuio. 2. quia multi inter illos erant, qui imperio Archiep. Colon. Epīsc. Leod. & Ducis Cliuensis & Iuliacensis, aliorumq; principum erant subiecti, easq; prouincias continuis excursionib. & depopulationibus fœdè vastārant, promisit Parmensis, se apud hos Principes interceſſurum, vt & ab his ἀμνηστίαν & remissionē obtineant. 5. Si qui Regi militare velint, his liberale stipendium promittit, & in fidem suam recipit, & omnia bona, quæ belli tempore sibi erāt erepta & fisco subsignata reddit. 4. Qui diutius militiā sequi nollent, hi illæsi quò vellent abirent, neque minùs ꝙ alij bonorum suorum possessione fruerentur.

Præte-

Anno 1589. Præterea si qui in vrbe aliquandiu morari vellent, id ipsis sex mensibus liceret. 5. Porrò quia spõte & ex bona in Regem voluntate obsequiũ suum offerrent, præter decem mensium stipendia, quæ illis debebantur, & oblata erant, Princeps pro Regia magnificentia, & in illos benevolentia, adhuc alia quinque mensium stipendia pollicetur, vt vrbe exeant, & sibi eam tradant. 6. Transfugis, qui relictis suis signis ad hostem defecerant, delictum hoc ignoscit, propterea quod ciues pro illis intercederent. 7. Omnes captiui, de quorum lytro iam cõuentum erat, post solutum illud dimitterentur, exceptis militibus & hominibus Ecclesiasticis, hi absq; vllo lytro libertati restituerentur. 8. Dominus Ioannes VVinkeluelde & Carolus Honning, cum familijs sarcinis & impedimentis, quò vellent abirent, vtq; id sine omni periculo fieret publica fides illis scriberetur.

Elizabetha Angliæ Regina tum vt opem ferret Antonio Lusitaniæ notho, qui sibi Regnum Portugalliæ iure deberi venditabat, & Gallos primùm, deinde Anglos inuocabat, tum etiam vt se de Hispanis vindicaret, eorumque vires frangeret, nouam hoc tempore classem instruebat, qua æstate proxima Regẽ oppugnaret: Hispaniam totam quasi iam amissa classe desolatam & inermem, spe deuorans, an verò suis, an aliorum etiam Principum sumptibus, incertum est. Nam & fœdus illam cum Turcarum Imperatore pepegisse tunc constans apud multos fama erat. Augebant suspicionem hanc litteræ Imperatoris Othomannici ad Reginæ legationem

nem responsoriæ, quæ tunc Latino Germanicoq; idiomate Ingolstadij excusæ typis circumferebãtur, in hunc modum. Anno 1588.

Exẽplar literarum Sultani ad Regẽ nam Angliæ datarum.

Honorata à Domino legis Christianæ Matrona, culmen castitatis, inter castissimas fœminas populorum, qui seruiunt Iesu, ornata splendore dominationis ac regiminis, Regnorum Domina, magnitudine & laude maxima, in Nazarena natione reputata, Elyzabetha Angliæ Regina, cui fœlicem & prosperum finem exoptamus.

Ex literis nostris sublimibus & Imperialibus ad te datis intelliges, quemadmodum Orator vester, residens in excelsa mea, & sublimi aula præsentauerit throno magnitudinis meæ scriptum quoddam, in quo nos certiores fecit, quemadmodum à quatuor iam præterlapsis annis, bellum intuleris Hispaniarum Regi ad minuendas & frangendas vires eius, quib. minas intẽtat omnib. alijs Principib. Christianis, statuitq; se facere eorum ac præterea totius mundi Monarcham: itẽ quemadmodum D. Antonio, legitimè creato Regi Portugalliæ, idem Rex Hispaniæ per vim abstulerit regnum, & quod intentio vestra sit, vt naues, quæ in Indiam proficiscuntur, & inde redeunt, impediantur in posterum ab hac nauigatione, in qua singulis annis deportãtur in Hispaniam gemmæ, aromata, aurum & argentum, multis milionibus æstimata, quibus rebus, vt etiam magna pecuniæ summa prædictus Rex ditatus est, habetque commoditatem molestandi quosuis alios Principes Christianos, quam si continuauerit, seipsum inlè debilitari queat. Deinde dictus vester Legatus nostræ amplitudini supplicauit, vt ineunte Vere

Anno 1589.

mittam Imperialē nostram classem, cum sit certum Regem Hispaniæ ei non facilè resturum, eò quod à vestra classe ingentem iam cladem acceperit, & cùm tibi soli vix resistere possit futurum, vt, si à compluribus partibus inuadatur, necessariò succumbat, cum omnium principum Christianorum emolumēto, & etiam nostræ sublimis aulæ. Ad hæc cum præfatus Dominus Antonius, vt antea dictū est, vi sit pulsus & priuatus Regno suo, vt nos nostrorum anteceſſorum felicis memoriæ exemplo, quorum Deus sepulchra illuminet, qui recursum habuerunt ad ipsorum sublimem aulam, vt & nos opem nostram & auxilia subministremus, fuit nostrę aulæ excelsæ. In summa hæc & alia per multa, quæ dictus Legatus vester prolixè narrauit, Regio nostro throno, omnia intelleximus, & alta mente tenemus.

Nos itaque, cùm tot abhinc annis bellum gerimus in Persia, animo ac intentione occupandi, & prorsus vindicādi regnum illius hæretici maledicti Persiani, eaque adiungendi nostris antiquis Dominijs, qua in re permagni Dei gratiam & auxilium Sanctissimi nostræ Prophetæ iā paulatim in propinquo est, vt satisfiat nostro desiderio. Quo tempore, omnibus, quæ à nobis desiderasti & postulasti, prouisio debita assignabitur. Proinde si purè & syncere fœdus amicitiæ continuaris cum nostra sublimi aula, securius refugium, securiorem beneuolentiæ portum reperies nullum. Sic demùm omnia bella cum Hispanis ex toto prosperè succedent, sub vmbra felicis nostri throni. Cūq; Rex Hispaniæ dolo ac fraude occupauerit, quicquid possidet, indubiè isti fraudulēti impostores, Deo dāte, citò de medio tollētur.

Te
sioner
beas, &
exhib
stam,
bella
niæ i
Po
& di
post
done
cum
strum
mere
altari
los ho
est, sin
cipuu
celsa
offici
biliss
tegra
Bene
Ga
it: Vi
gione
legē
lum
Cōfo
Alter
ligio
taria
Franc
bant,

Te interim adhortamur, ne tempus atq; occa- Anno
sionem amittas, quin te perpetuò vigilatem præ- 1589.
beas, & iuxta noſtras conuentiones, fauorabilem
exhibeas amicis noſtris, & hoſtibus noſtris infe-
ſtam, noſtræq; hic excelſæ curiæ ſignifices omnia
bella noua, quæ intelliges de dicto Rege Hiſpa-
niæ in fauorem noſtrum & veſtrum.

Porrò Legatus veſter, poſtquam omni ſtudio & diligentia ſuæ legationis munus expediuiſſet, poſtquam ſuo hic loco reliquiſſet Edoardũ Bardonem, pro ſuo Commiſſario & Agente, nunc cum licentia noſtra diſcedit verſus Regnum veſtrum, qui ob fidele ſeruitium, quod hic præſtitit, meretur abs te æſtimari, honorari, & præ alijs exaltari: & poſtquam conſecutus fuerit omnes illos honores, & præeminentias, quas promeritus eſt, ſine mora cũ veſtris literis ille, aut alius præcipuus quiſq; Legatus deſtinetur ad noſtram excelſam curiam ad continuandum hoc legationis officium. Hoc te certiorem fieri volumus per nobiliſſimum noſtrum ſignum ſeu ſigillum, cui integram fidem præſtabis. Datum decimo quinto Benedicti Rhamaram.

Sciſma in Francia.

Gallia hoc rerum ſtatu in tres partes ſciſſa fuit: Vna erat eorum, qui veram & ſinceram Religionem Catholicam inuiolatam: quiq; ſecũdùm legẽ Salicam & veteres Regni cõſtitutiones nullum Regem niſi Catholicum agnoſcere volebãt; Cõfœderati dicuntur, & horũ caput erat Mẽnius. Altera eorũ, qui res nouas quærebãt, qui verã Religionẽ cæde & ſanguine perſequebantur, qui altaria Dei euertebant, tẽpla, monumenta ſanctorũ Franciæ Regum ſpoliata ferro & flãma exſcindebant, qui nullum alium Regem quàm alienum à

Anno 1589. Religione Catholica quærebant: hos Hugonottas vocant, & eorum Dux est Nauarræus. Tertia denique pars illorum est, qui Religionem susque deque habent, à legitimo Rege toti pendent, quicunque tandem ille sit, futurusue sit, Catholicus an hæreticus: Politici hi & Regij vocantur, Regemque supremum Principem agnoscunt Senlisium oppidum 10. circiter miliaribus Lutetia distans partes Confœderatorum sequebatur. Politici huc miserũt legatos, qui animos ciuium tentarent, eisque rationibus persuaderent, vt renunciato fœdere ad Regem reuertantur. Hi contra officium & iuramentum ciues feciſſe docent; allegant noui veterisque testamenti scripturas, addunt & Philosophorum sententias, quæ testantur subditum à Principe suo legitimo deficere non posse. Quod si malus sit, orandum esse subditis Deum, vt mentem illi det saniorem: Regem Galliæ esse Catholicum, cædem Guisiorum non esse defectionis causam sufficientem: habuisse Regem suas cur id fecerit rationes. Quid multis? ad saniora vt redeant hortantur consilia; Deum enim legitimos Magistratus tueri, non passurum vt rebelles subditi contra illũ prævaleant; apud Regem adhuc locum esse misericordiæ: Imperio itaque Regis se denuò submitterent, & alijs ciuitatibus bonum exemplum præberent. His similibusque verbis persuasi oppidani se Regi dediderunt, & Thoræum Merlinium*que* Montmorantij fratrem cum centum nobilibus, & quadringentis circiter peditibus Regijs in vrbem receperunt.

Senlisium per suasionibus politicorum se Regi reddit.

April. 23. Mompenserius circa idem tempus Alenconio profectus est, vt Faloizam, Argentonium, aliaque nonnulla Confœderatorum oppida expugnaret.

In ita-

In itinere Touchetum cum exiguo peditum nu- Anno
mero intercipit, & duabus cum machinis pergẽs 1589.
Faloixam obsedit & oppugnauit: sed cùm illi
præter opinionem fortissimè se defenderent, ob-
sidio in multos dies est protracta. Interea Comes
Brisaacus, Couetius, Escaffonius & Tubeffius, mul-
tis equitum & peditum collectis copijs eas iuxta
Argentonium in tres pagos distribuerunt, vt Mom-
penserium ex improuiso adoriantur, aut cædant,
aut saltem obsidionem cogãt soluere. Mompen-
serius tantum Confœderatorum metuens exer-
citum, suos conuocauit, & quid faciendum, ho-
stine obuiam eundum, aut eum in castris expe-
ctandum interrogauit. Placuit omnibus obsi-
dione relicta hostẽ in suis stationibus quærerent,
& clam inuaderent. Primum igitur pagũ (vulgo
Pierrefite) adorsi sunt. Qui in eo erant, initio for-
titer pugnarunt, sed tandem maiorib. auditis tor-
mentis statim trepidarunt, inde fugientes multi
trucidati, multi capti sunt. Eodem modo & qui in
alijs duobus pagis erant excepti sunt, & Beauli-
eurius captus est. In hac pugna, vt ipsi Politici
gloriantur, cæsa sunt Confœderatorum tria mil-
lia, capti mille ducenti, & inter eos multi Nobi-
les. Brisaacus eam equitibus celerem & inopina-
tum Politicorum aduentum intelligens, Argen-
tonium se citatis equis recepit.

Maxima erat ob hanc victoriam vbique apud 25. *Aprilis.*
Regios lætitia, sed quæ in limine erat clades, eam
mox in luctum conuertit. Mænius enim Lutetia
discedens, postquam cum exercitu suo Vendomi-
um veniffet, per exploratores didicit, quomodo
Candalius, Comes Briennius, Alborunius, alijq;
Politici non procul ab Amboisio cum 17. signis

Anno 1589.

peditum, & cohortibus aliquot Nobilium equitum castra metarētur, locumq; biduo aut triduo absque multis tormentis bellicis posse occupari. Quam occasionem minimè sibi negligendam ratus Mœnius, intempesta nocte cum 800. lectissimis equitibus, peditibus verò 2000. & duabus machinis bellicis ad hostem summa cum celeritate contendit, eoque adegit, vt certis conditionibus cum eo paciscerentur. Briēnius Principi cuidam à Regijs capto libertatem impetraret. Quod nec ipsi nec Nobilitas, gregarijq;, qui cum illo erant, toto anno contra sanctum fœdus militarent. Quare multi ad Mœniū defecerunt. Parta hac victoria Mœnius eā prosequitur; Politicos vbicūq; potest bello lacessit, nunc victor, nunc victus. Regi multum facessit negotij, ita vt Rex fœdere cū Nauarræo feriendo cogitare cœperit. Sciebat enim Nauarræo nihil fore gratius, & si nūquam antea scisset, quod multis non potest persuaderi, certè ex eo scire potuit, quòd cū exercitu quotidie magis magisq; appropinquabat, Castelloralto litteris ad Regem Regiosq; missis sua hostiumq; consilia dilucidè explicabat, Regiosq; multis blanditijs ad pacē inuitabat. Multi hæc omnia simulatè fieri (vt sunt hominū iudicia varia) arbitrabātur. Alij nullam simulationē hīc subesse affirmabant.

Vt vt est, legatis Castelloraltum ad Nauarræum missis de inducijs primum inter Reges actum est, reliq; ita transacta. Induciæ inter partes essent annuæ: Hugonottæ patriæ bonisque restituerentur: libera vbiq; conscientia viuerent. Religionē nisi ijs locis, quæ tum à Rege Nauarræo tenebantur, publicè ne exercerent. Regi Nauarræus armis suis auspicijsq; adesset, Saumurium oppidum ad

Ligeris

Ligerim cum imminente arce haberet, idque sibi Anne ad traijciendas, & si opus esset recipiendas copias firmaret. Interim de certis æternæ pacis rationib. inter Reges tractaretur. 1587.

Rex non ignorans pactum hoc & hanc cũ Nauarræo initam amicitiam quàm plurimos homines, imò & Principes externos offensuram, vt qui cum publicè excõmunicato & in hæresi sua perseuerante, qui tot iam annos Catholicam Ecclesiã afflixerat, tot prouincias desolauerat, propterquem, vt in ordinem redigeretur, tot tantiq; thesauri erant absumpti, tot exhausta æraria, qui infinita altaria profanauerat, tẽpla euerterat, sacramenta Dei proculcârat, tot Sanctorum reliquias exufflerat, cineresq; in aquas sparserat; cum hoc inquam Regẽ Christianissimum ab infantia hæret corum persecutorem fortissimum fœdus inijsse, & impijs eius armis in interitum Religionis vti decreuisse: hæc non ignorans Rex statim publico programmate in hunc modum factum illud excusat.

Aprilis 26. Regis purgatio cur cum Nauarræo fœdus inierit.

Quod si probatio cuiusque rei à tecmirijs & signis externis (interna enim soli nota sunt Deo) sumi debeat, neminem de zelo suo, quo est erga Catholicam Romanam Religionem, debere dubitare. Argumenta enim quàm plurima in promptu esse omnibus qui labores, pericula & incommoda, quæ in tuenda Dei Ecclesia & Religione iã à puero vsque huc sustinuerat, vt eam ab hæreticorum furoribus tueretur, perpendũt. In hoc tam sancto proposito se non tam impeditum ab ijs, qui nouam sectantur Religionem, quàm à quibusdam alijs, qui sub prætextu zeli, quem se erga Catholicam Religionem habere simulabant,

Anno 1589.

populum à suo principe alienarant. Quem infinem clamdestinum pactum inter se fecerant, sub fuco quasi non aliud quærerent, quàm vt maiori pro Religionis securitati Principes alterius Religionis, si Rex sine prole discederet, Regno excluderent: cùm reuera nihil quàm Regnum & diadema ipsi affectarent. Quod vt commodius facerent, eos plerosque subditos in partes suas protraxisse, quibus Regem omniaq; eius dicta & facta suspecta reddiderant. At quia moræ pertæsi nimium properabant, arma publica in Regem sumpsisse, idque ad perniciem fidelium subditorum & magnam hostium Ecclesiæ vtilitatem. Initia quidem huius belli fuisse noxia, sed maiora in progressu fuisse metuenda: ciuile bellum cruentissimum, extremam Regni vastitatem, authoritatis suæ contemptum, cuius etiam vitæ insidiabātur, diadematis tam florentis dilacerationem: & quod præcipuum est, Catholi. Rom. Ecclesiæ maximum detrimentum. Per bella namque intestina bonos mores corrumpi, & animos omni charitatis affectu vacuos, ad omnē pronos reddi impietatem.

Vt autem his omnibus malis prudenter occurreret, in hoc se totum fuisse, vt Catholicos suos subditos omnes summo cum animorum consensu, ad sui obedientiam reduceret. Cæterùm nihil se proficere potuisse, imò ad maiora audenda hac sua lenitate irritatos fuisse: Officiarios Regios cuiuscunq; conditionis, ordinis, generis & ætatis eos occidisse, in carceres detrusisse, etiam viros Ecclesiasticos Sigillum Regis violasse, insignia erasisse: Magistratus pro suo arbitrio elegisse, aerarium expilasse. Quid multis? omnia hostiliaRegem

Regem ſuum exercuiſſe. In hoc ſcelere non ſo- Anno
ciorum tãtùm, ſed& exterorum hæreticorũ, quo- 1589.
rum ſe hoſtes iactitant, opera vſos fuiſſe: vt con-
iunctis viribus fideles ſubditos Catholicos oppu-
gnarent. dum interim hæreticis ſuam relinquant
libertatem, oportunitatemque dilatandi ſua po-
mœria, armaque vlterius proferendi præbeant.
Quò factum, vt dum Rex bellũ aduerſus hos per-
duelles molitur. Nauarr. Rex Niortium, Samme-
xantium, Caſtelloraltum, Mirebellium, Landō-
nium, Inſulam Bochardi, Argentonium & Blan-
cum occupârit. Dum itaq; ab vna parte furori re-
bellium vi & armis reſiſti non poſſit, quo minus
fideles ſubdi ab ijs diuexẽtur; ab altera verò par-
te Rex Nauarræus obuia quæque perdat, ſubditi
quotidie opem à Rege contra huiuſmodi mala
petunt, vt vel tandem ab hoſte liberentur. Quin
etiam multi harum calamitatum pertæſi ad Na-
uarræum deficiunt.

In hoc tam ancipiti rerum ſtatu Regno conſti-
tuto, Principes ſanguinis Regij Conſiliar. & Re-
gni Officiarios conſuluiſſe, quid tam dubio tem-
pore faciẽdum eſſet. Non aliam inuentam viam,
quam vt cum Rege Nauarrẽo inducias paciſceretur, quo populo aliquid ſecuritatis, tempuſq; reſpirandi daretur. Eas nunc in annum pactas eſſe. Initium huius anni fore tertio Maij; his inducijs comprehendi omnes ſuos ſubditos & quicunque ſuo parent imperio, etiam Auenionem & Veniſſenſem Comitatum, ac Sanctiſſimum Pontif. Rom. pertinentes: his conditionibus Regi Nauarræo durantibus his inducijs non licebit bello aliquid vel in Regno, vel extra illud tentare, niſi cũ expreſſo Regis mandato, cauebit quibuſcunq;

Anno 1589.

modis possit, ne quod Regnum ab hostibus detrimentum accipiat: Nihil in Cat. Rom. Religione mutabit, aut ab aliquo mutari permittet; omni studio accurabit, vt subditi omnes tam Ecclesiastici quam seculares ab omni iniuria defendantur. Quòd si Nauarræus aliquas vrbes, oppida, arces vi aut astu occupauerit, ea statim Regi tradet. Qui Nauarræi partes sequuntur, his omnia bona fortunæq; hactenus fisco Regio subsignata restituentur, vti & his, qui Regem secuti sunt, tam Ecclesiasticis quàm secularibus, ea quæ à Nauarræo & suis occupata fuerunt. Tandē Rex seuerè mandat, huiusmodi inducias seruari, & si qui violauerint, hos grauiter puniri, scripto tradi, & omnib. in locis diuulgari. Deinde protestatur Rex, se ad has inducias inuitū cogi, vt se, suumq; statum aduersus rebellium vim & iniurias tueatur; eas tamen vtiles fore Catholicæ Religioni, cùm prohibiturę sint, ne Nauarræus bello progrediatur, plures q; vrbes suo imperio subijcere, populumque miserè hactenus afflictum diuexare pergat. protestatur & coram Deo, & coram vniuerso mūdo, se calamitatum, desolationum, rapinarum, & cædium, quę ex instanti bello essent deriuatura, non se, sed rebelles & conspirantes inter se principes authores esse. Tandem (quod iam toties fecerat) denuò repetit, Se vsq; ad vltimum spiritū in Catholica & Romana Religione perseuerare decreuisse: huius fidei constantiam & perseuerantiam à Deo supplicem quotidie flagitare.

Huius programmatis Rex varia ectypa confici mandauit, per omne regnum misit, & in vrbe Turonēsi primū; deinde in alijs similiter, quæ Regis imperio parebant, publicè populo prælegūtur.

Eodem

Eodem tempore Catharina Caroli Lotharingij Ducis filia Ferdinando, Magno Duci Hetruriæ, siue Florentiæ nuptura prope Florentiam in castrum quoddam die vigesimo nono Aprilis venit, & postridie à Domino Cæsare, Ducis cognato, diademate redimita 15. Episcopis multisque principibus & nobilibus vtriusque sexus ad portam, quæ Prata dicitur, comitata, Florentiam venit. vbi insigni cum triumpho à sponso accepta in Ecclesiam deducta, & magna Hetruriæ Ducissa renunciata est. Anno 1589. 29. April.

Rhemis in Champania sub idem tempus puella erat forma & ætate integra, quæ ibidem ciui cuidam ancillabatur. Hæc apud Magistratũ, quod partum suffocasset falso accusata est, filia siquidẽ heriliis infantem (vt stuprum occultaret) perimerat & famulæ dormienti supposuerat: Magistratus puellam insontem comprehendit, & quæstionibus durissimis subijcit: illa tormentorum acerbitate victa factum fatetur, extra tormenta verò palam negat, & cruciatibus victam se fateri asserit. Magistratus verò hoc fœmineæ ascribens inconstantiæ, capitis in illam fert sentẽtiam, & suspendio damnat. Illa cõmendans se Deo & B. Virgini Mariæ obnixè rogat, vt immeritò damnatæ suscipiant patrocinium. Ad mortem parata suspenditur: suspensa toto triduo viua & incolumis in patibulo hæret, donec viatores illac transeuntes re indicijs quibusdam intellecta miraculum hoc ad Magistratum deferunt. Senatus cum populo accurrit; rem vt nunciatum erat veram comperiunt, laqueum præscindunt, & viuam, valentemq; puellam in vrbem reducunt. Herum cum coniunge & filia comprehendunt, qui miraculo victi

Anno 1589.

victi scelus suum fatentur, & innocentiam puellæ produnt. post confessionem omnes viui combusti sunt. Hæc Aitzingerus.

Romanus Pontifex Sixtus V. postquam intellexisset Galliarum Regem Henricum in proposito suo perseuerare, Regnique & Religionis statum quotidie deteriorem facere, & nunc tandem cum Nauarræo à Sede Apostolica excommunicato fœdus inijsse, armaque & copias suas armis & copijs illius coniunxisse: vt iunctis viribus Catholicam Religionem, Catholicosque persequatur, opprimat, & extinguat; quinto die Maij in Senatu Cardinalium res Gallicas iterùm proposuit, ac ventilauit. Initio potestatem à Christo Petro eiusque successoribus datam commemorat. Deinde se ad onus hoc à Deo vocatum, vt hanc potestatem exerceat, Ecclesiæ, omniumque eius filiorum curam gerat, peccatores ad pœnitentiam hortetur; pœnitentes absoluat, in peccatis perseuerantes gladio spirituali, vt putrida membra abscindat. Deplorabat turpe factum Henrici Galliarum Regis, quantopere illum semper amauerit, quàm piè ac blandè illum ad pœnitentiam inuitauerit, recensebat. Tantum tamen abesse, vt illum facti poeniteat, quòd Cardinalem quoque Borbonium & Archiepiscopum Lugdunensem ad huc captiuos detineat. Posse quidem se in Regem, rigore iuris animaduertere, sed pro paterno suo affectu & honore Regio hactenus id facere noluisse. In quantum vsq; mensem se eius pœnitentiam expectasse. Nunc diutius expectare, nec posse nec velle, tum propter ipsius Regis salutem, tum etiam ne desit suo officio, vt cui concredita est Ecclesia, Ecclesiasticorumque & totius gregis Christiani de-

fensio.

fensio. Quam si negligat redditurum se aliquan- Anno
do Omnipotenti rationem. Non ferendum esse, 1589.
Cardinalē Borbonium & Archiepiscopum Lug-
dunēsem in Ecclesiæ Romanæ ludibrium diutius
captiuos detineri. Se igitur de consilio confra-
trum Cardinalium decreuisse, Regem per omnia
sacra rogare, & ex authoritate sua monere, imò
etiam eidem mandare, vt eosdem Cardinalem &
Archiepiscopum infra decem post mandatū hoc
acceptum dies sine vlla excusatione, aut prætex-
tu, libros dimittat, suisque dignitatibus resti-
tuat; vtque propria manu & sigillo, aut alio in-
strumento publico infra 30. dies subsequētes Ro-
manę Sedi significet idipsum effectum esse. Quod
si Rex obedire noluerit, se Regem excommunica-
re, à corpore Christi, vt membrum affectum &
putridum resecare. Præcipere se quoque omnib.
Christi fidelibus, vt à consortio illius se abstineāt
& ipsum quasi ab Ecclesia damnatū fugiant. Præ-
terea Pontifex Regem eiusq; complices & mor-
tis Guisij, captiuitatisque aliorum Ecclesiastico-
rum authores fautores, & impulsores citat, vt se-
xaginta dierum spatio Romam veniant, Rex qui-
dem aut ipse, aut per legatum suum, alij in pro-
pria persona, ibique causam & rationem reddāt,
cur ob cęsum Cardinalem & captos alios suppli-
cia in Canonibus constituta non mereantur: de-
clarent insuper, cur subditi sacramento, quo Re-
gi obstringuntur non sint soluti. Quòd si non ve-
niant, aut si venerint, & causam sufficientem red-
dere non potuerint, contra illos procedendum
esse secundùm antiqua iura, Canones, & Consti-
tutiones: Regemq; secundùm præscriptum illo-
rum damnandū, fiduciarios eius clientes omnes-

que

Anno 1589.

que subditos sacramento soluēdos. Neminē posse eum ab hoc excommunicationis maioris anathemate absoluere; siue is Sacerdos sit, siue Laicus, cuiuscunq; ordinis aut dignitatis, nisi Pontifex ipse; ne quidē in agone mortis, nisi fortè manifesta verè pœnitentiæ signa ediderit. Nullas indulgentias, nulla Iubilæa illi in hoc statu profutura. Quia verò periculo plena res erat, hoc mandatum ad ipsum Regem deferre, Romæ consuetis locis publicè affixum est, & exemplaria nonnulla in Gallias missa, vt vicinis circa Regem locis omnibus legenda exponerentur.

Mænius interim non quiescebat. Audendum verò aliquid ratus antequam Nauarrei vires cum Regijs coniungerentur, Lutetia cum expeditis excedit, rectaq; Regem petit, quem destitutum à suis, & fortè etiam proditum se occupaturum sperabat. Vindorinum, & in eo plerosq; è iudicio aulico (magnum iudicium vulgò dicunt) capit. Postridie profunda nocte cùm 2. tantùm mill. Turonensium vrbe abesset, intellexit Regis copias in suburbio, & circa Pontem castra metari numero circiter 3000. inter quos plurimi Nobiles, & exercitatissimi erant belli Duces. Visum est Mænio cum illis manum conserere, & suburbium occupare: hoc enim modo futurum, vt non tantum milites suos, sed & existimationē amittant. Quod si sibi bene succederet, fieri posse putauit, vt simul & vrbem occuparet, mittit qui suburbia lustrent, indicentque qua parte inuadendum esset. Qui reuersi cùm nunciarent difficilem esse aditum, Mænius primò cum hoste aliquamdiu velitatur, inde duo tormenta bellica in illos iaculatur, & subfumo submittit lectissimorum militum copias, qui

29. Aprilis.

6. Maij.

qui sine vlla trepidatione in hostem feruntur: vt iam cominis cum hoste pugnarent, pedem pede premerent, & manum manui iungerent. Pugnatum est acriter à prima hora pomeridiana, vsque ad septimam vespertinam: neutra pars cedere volebat. Tandem victoria ad Mænium inclinante, Regij in vrbem fugiunt, & confœderatis victoribus victi suburbia relinquunt, qui pontem quoque occuparunt. Dicuntur in hac pugna desiderati ex Regijs plus quàm 50. Centuriones & præfecti, inter quos numeratur Grillionius, Rubenprerius, Iarzaius Chiliarchæ; D. Bõneuallius Vicarius Aumontij. Aliorum gregariorum militum, qui aut cæsi sunt, aut capti, ingens fuit numerus. Ex Mænianis duo Cẽturiones & quinquaginta pedites occubuisse, & totidem circiter capti feruntur. Trepidabat Rex, qui in vrbe erat, & iam iam elabendi occasionem quærebat. Sed de Nauarr. aduentu certior factus, animum resumpsit, & in vrbe mansit. Anno 1589. Victoria Mænij.

Mænium enim copias eduxisse continuò fama volat. Nauarræus itaque oblatam sibi rei gerendæ occasionem haud prætermittendam ratus (sciebat enim Regem periclitari) cum paucis equos conscendit, ad Mænium properat. Cùm vero ad Amboſium veniſſet, certior fit Mænium præsentem esse: & Regem rebus suis diffidentem cursores diuersos hinc inde ad se accersendum dimisisse. Mutato igitur itineris consilio, duobus à Turonum metropoli miliaribus ad Ligerim castra locat, postquam amplius viginti quatuor horas armis onustus equitasset, Regem de aduentu suo facit certiorem. Si progredi extra vrbem velit, venturum se ad colloquium,

Rex

Anno 589. Rex hoc nuncio lætus Mareschallum Aumôtium ad eum mittit, qui referret Regem cum comitatu aulico Plessæi esse: petere vt & ipse eò, amne trajecto veniat. Est autè Plessæum arx Regia ad portas vrbis. Hic Nauarræus cum Aumontio & Nobilitate sua relictis instructis ad Ligerim copijs Plessæum contendit. Solent Reges Procereſq; in Gallia arcbus adiunctas habere syluas amœnas varijs deambulationũ spacijs distinctas: has muris cingunt, ijsq; nobilium ferarum greges clausos tenent. Huiusmodi nemus Plessæo adiacet, in quo deambulans Nauarræi aduentum Rex expectabat, & complexum cupidè expetebat. Conuenerat Procerum, nobilium, plebisq; multitudo, quam rei insperatæ fama exciuerat, tantaq; aderat turba, vt postquam Nauarræus aduenisset, dextras iungere, & mutuo se complecti Reges diu prohiberẽtur. Tandem in mutuos effusi complexus admirandum, sed omnibus Catholicis deplorandum, præbuêre spectaculum. Admirabantur pleriq; Nauarræi hanc confidentiam. Cùm enim nihil Caluianis soleat esse peculiarius, magisque proprium quàm diffidentia: multi ex hac intrepida Nauarræi securitate clamdestinam ante annos inter Reges fuisse amicitiam suspicabantur.

His peractis Rex duas legationes in Angliam, aliam in Germaniam misit, opem vbiq; aduersus Cõfœderatos implorans. Nauarræus copias suas ter mille sclopetarios & octingentos equites cũ copijs Regijs coniunxit. Heluetios quoq; stipendiarios suos Rex euocauit, omniaque ad iustum bellum necessaria præparauit.

Diximus paulò ante de classe Anglicana, quam Regina instinctu Norreysij & Draci adornabat. Ad

Ad hanc classem instruendam Ordines Hollandiæ cum suis quingentos equites miserunt, 70. quoq; naues Hollandicæ, quæ negotiationis causa Angliam præternauigabant, à Regina detentæ, & classi sunt adiunctæ. Præparatis omnibus orta est quæstio; An expediret magis in Hispaniam, aut Lusitaniam, aut in Indias traijcere? Aderat tũ fortè Antonius Portugalliæ Nothus cum duobus filijs. Hic docet nobilitatem, plebemq; omnem Lusitanicam se Regem reducẽ repetere; sibi Lusitanos omnes pecunia, armis, comeatu opem laturos, nihilq; ipsis defuturum pollicetur, sese nihil aliud ab illis petere, quàm vt in patrium solum, ipsum tantummodo exponant. Decretũ itaque est in Lusitaniam velificandum. Exercitu, qui quatuordecim Legionibus constabat instructo, Douerum Norroysius, Dracus, & Antonius cum præcipua Nobilitate Angliæ contendebant, & spe omnia Regna Regis Hispaniarum deuorabant. Plymnutham 28. Martij appulerunt. Hic cùm aduersis ventis coacti plus quàm integrum mẽsem hæsissent, ventus tandẽ felicior spirare cœpit. Cõsules igitur summa cum festinatione pœna capitis classico omnibus edixerunt, naues conscenderent, easq; è portu educerẽt. Velis itaq; passis, flãte Africo vigesimo octauo April. in altũ prouehuntur. Classis autem cõstabat sex nauibus Regijs, 20. bellicis, & centũ quadraginta onerarijs bene instructis. Post alterũ diem, sub noctẽ ex alto Axantam conspexerunt: inde postridie flante Choro, relicta Axanta, Hispaniam versus rectà contẽderunt, & sequẽte die flante Vulturno eodemq; procelloso Coronim versus impelluntur. Postridie Calendarum Maij ex alto Ortingallæ promonto-

Anno 1589.

Classis Anglicana in Hispaniam expeditio.

Sunt qui viginti tria millia peditum, equitumq; numerant.

Alij 227. naues numerant.

Anno 1589.

montorium, in Galicia cõspexerunt, & non vltra duodecim millia passuum aberãt à terra. Statim consilio habito ibi totam noctem laxis velis hærere decreuerunt. Prima luce Coronim perrexerunt, vento admodum remisso, & post meridiem in portus parte Orientali in anchoris steterunt, vbi Hispani plurimos ictus ab oppido & arce suis tormentis bellicis eiaculati sunt. Ad octo millia militum in terram exposita sunt Oppidi præsidiarij, lecta militum manu, leuibus prælijs hostem excepêre. Norroysius festinandum ratus ad oppidum occupandum animum adiecit. Coronis in duo oppida diuisa, suis quoque distinctum est mœnibus; alterum in decliui montis, quod superius vocabatur, vndique mœnibus cinctum; alterum in plano situm, quod mare vtrinque, quasi peninsulã alluebat, ex vnica parte superiori continens, vnis mœnibus munitum, inferius dicitur. Oppidũ igitur inferius cùm tribus locis diu oppugnatum esset, fortiterque à præsidiarijs defensum, tandem in potestatem Anglorum non sine cæde & sanguine peruenit. 8. deinde Maij ad superius quoq; oppidum expugnandum se præparant, loca oportuna ponendis tormentis lustrauerunt, aggeres, munimentaq; pro ijsdem defendendis fieri curauerunt. Mœnia verberant, cuniculos agunt, nihil non experiuntur; Sed frustra dum præsidiariorum opera & diligentia ruinæ mox restaurantur, & ignis cuniculo subditus eis murum erumpit, nullo oppidanis incommodo. Defatigati Angli, & de vrbe potiunda desperantes, conuasatis omnibus naues repetunt, & turpiter, multis nobilibus & egregijs viris, inter quos Syndenhamus, Spencerus, Godvvinus, deſ-

Coronis oppugnatur.

8. Maij.

15. Maij.

derati

deratis; Coopero & Iacobo Haylso vulneratis ab vrbe recedunt. Cum Comite tamen Dandrada nō infeliciter ad pagum, qui Borghos appellatur, pugnasse quidam asserunt, vbi 700. Hispani cæsi perhibentur, qua in pugna ex Anglis Edouardus Norreysius lethaliter vulneratus, & Cooperus cū Hiberno quodam Nobili, præter reliquos, occisus est. Anno 1589.

Angli post pugnam hanc, tormenta, omniaq; impedimēta, saucios præsertim & ægrotos) quorum non exiguus erat numerus) ad naues comportant: omnes naues conscendunt, postquam oppidum inferius Coronis totū & funditus concremarunt. Dum exercitus anchoris nititur, Consules conuentu Tribunorum habito quam in partem deinceps tenderent, deliberandum statuunt. Varijs sententijs certatum est: alij Biscaiam, alij Lusitaniam petendam contendunt. Tandem de Lusitania tentanda decretum, sublatisq; anchoris vela ventis dantur. 17. Maij.

Post infortunium classis Hispanicæ, post infelicem Montis ad Zomam obsidionem, æmulatio quædam orta dicitur in Regis Hispaniarum aula, quibusdam Parmensem quasi minus diligentem traducentibus. Parmensis igitur vt causam suam ageret, Richardotiū in Hispanias ad Regē mittit. Et quia aduersa ipse esset valetudine, Petro Ernesto Gubernationē Prouinciarū Belgicarū ad pempus committit: ipse medicorum consilio ad Spadanas aquas, quæ medicæ sunt, 8. Maij Bruxellis proficiscitur, & à Sereniſſimo Principe Electore, Eburonū Episcopo, Ernesto Bauaro in arce Frācimontana, Spadanis fontib. proxima, honorificentissimè exceptus est, atq; ibi quasi priuatus vsque *Parmensis ad fontes Spadanos proficiscitur.*

Anno 1589.

ad Richardotij reditum ex Hiſpanijs vixit, omniſque militia, haud ſecus quàm ſi induciæ fuiſſent, ceſſauit. Siluanectum (vulgo Senſilium) oppidũ nuper Regi proditum ſuprà commemorauimus. Pariſienſes & Picardi nequaquam è re ſua fore conſiderantes, ſi ea ciuitas diu in poteſtate hoſtiũ relinqueretur, propter incommoda, quæ ex illo ſibi poſſent inferri, communicato conſilio Ducem Aumalium & Balignium rogârunt, vt Senſilium obſiderent; antequam hoſtis ſubſidia mittere poſſet, caperent, munirentq;. Vt autem maiori violentia oppidum inuaderent, oppidanoſq; magis terrerent, 14. maxima tormenta bellica ipſis miſerunt. Collecto igitur 4000 peditum, & 1500. equitum exercitu, vrbem obſederũt. Cumq; crebris tormentorum ictibus latam ruinam ſtraſſent, mox oppugnare cœperunt. Qui in oppido erant, fortiter reſtiterunt, & hoſtes ſummâ cõtentione à muris propulsârunt. Fit ad ſecundam expugnation ẽapparatus. Præſidiarij dubij an ſecundò hoſtium vim poſſent ſuſtinere, colloquiũ cum hoſte poſtulant, & certis conditionibus deditionem offerunt. Dum hæc fiunt, quidam è præcipua Nobilitate Picardiæ, qui Regias partes ſequebantur, numero circiter ſexcẽti equites, quorum ductores Dux Longeuillius, Comes Chaumius, Dominus Lanous cum inſigni equitum, peditumq; manu, aduenĩunt. Lanous ſtatim mittit exploratores, qui caſtra hoſtium luſtrent. Aduentum horum Principum cùm intellexiſſet Aumalius, ſtatim ſuos in ordinem redigit, & hoſtis aduentum in armis expectat. Regij attractis tribus maioribus tormẽtis Aumalij caſtra cæperunt oppugnare; Aumalius & Balignius exercitum in

Senlis obſidetur.

duas partes diuiserant. Lanous suos in vnam par- Anno
tem primò ducit, eamq; cædit fugatq;. Deinde al- 1589.
teram adorsus simili fœlicitate strauit, ita vt tru- Clades Con
cidato omni penè peditatu, Aumalius & Balieni- fœderatorũ.
us paucis equ s comitati, amissis tormentis belli-
cis, omnibusq; impedimentis vix salui elapsi ad
Sandonxsium peruenerint. Vix quarta pars Con-
fœderatorum euasit: ceteri aut capti, aut occisi.
Lanus eos insequitur, & parum aberat, quin Ba-
lignium ab equo suo læsum comprehendisset.

Rebus in Turonum, Andium, Pictonumq; ciui- 22. Maij.
tatib. compositis, Rex Nauarreum longius à se di-
mittere, haud tutum sibi, suisque rebus arbitatus,
cum eo Lutetiam versus agmẽ ducit, Iter illis fe-
rè ad Baugenciacum, quod oppidum septem mil-
liaribus Gallicis infra Aureliã in fide Regis per-
manserat.

Inde copijs præter Aureliã ductis, Gergolium,
super Aurelianũ miliarib. quatuor, obsidere vi-
sum: Eo occupato flumẽ in potestate futurum, &
pressos Aurelianenses, saniora fortasse consilia
capturos sperabat. Admota igitur torrmẽta, disie-
cta munimẽta, oppidanus, & præsidiarius miles,
desperatis auxilijs. Regis se arbitrio dediderunt.

Territa vicina oppida, Gianum (quidam Gena-
cum Cæsaris arbitrantur) Caritas, aliaq; quæ ha-
ctenus nec in Confœderatis, nec extra Confœdé-
ratos fuerunt, misère, qui deditionem facerent,
& ciuium voluntates facultatesq; offerrent: Pe-
cuniæ ijs imperatæ, & annonæ.

Gergolio præsidio munito, in Belsiam, (seu Beo-
tiam mauis) perrectum. Hic primũ Regi Nauar-
ræo (ducebat is primam aciem) Pluuiarium) Plu-
uiers vulgo dicitur in fertilissima Belsiæ parte si-

Anno 1589. tum) obuium fuit. Spem ciues mileſque de deditione primùm facere: Ita tempus extrahere, dum auxilia à Mænio veniunt. Dum de conditionibus agitur, Ecce nuncius, appropinquare miſſum à Mœnio militem. Sic rupto colloquio, ille ſe in oppidum feſtinantes recepêre; Nauarræus hoſtē inſequitur, & aſſequitur. Sed illorum expectatio fruſtra fuit: at non militis Nauarræi diligentia. Nam oppidum illo impetu captum & direptum eſt. Huius rei fama, oppida aliquot vicina ad deditionem traxit.

Et hoc ferè tempore Caſtillonæus cum paucis Carnutum verſus excurrens in Saueuſam ignarus ignoratuſque incidit. Ducebat Saueuſa Confœderatæ nobilitatis florem ad trecentos & amplius equites. Non prius penè vtrinq; hoſtes adeſſe cognitum, quàm ad manus vētum eſt: Magna virtute vtrinque pugnatum. Sed Confœderatorum ea pertinacia fuit, vt ne victi quidem abſtinerent: quotcunque conuenerant, etiam quinq;, ſex, ſeptemue, agmen fecerunt, & in Regios incurrerunt, tanquam mori, quàm viuere præoptarent. Ita omnes aut cæſi, aut capti ſunt; nullus verò inultus qui non vnum aut plures ſecum abripuit. Tanta illorum erat erga Religionem & patriam amor, tanta conſtantia.

Regius exercitus, capto Pluuiario, compluribus oppidis receptis, Belſia peruagata Stampas venit, Lutetia miliaribus 14. Ad deditionem inuitati, ferociter reſpondent. Igitur oppugnatio cœpta. Poſtquam impares ſe vident, quamuis ipſis præſidiarius miles adeſſet, colloquium petunt: nec duces negant.

Sed teneri miles, qui & ipſa pugna & ſpe præ-

dæ in

dæ incaluerat, non potuit, quin per ruinas, Anno quas tormenta fecerant, intrarer, vrbemque di- 1589.
riperet.

Hinc circa Lutetiam arces multæ oppida quædam, alia vi, alia deditione in potestatē Regis venerunt. Pontisarenses (Pontoise oppidum ad Isaram, quo fluuio in Sequanam, inde Lutetiam pleraque ad victum vitamq; necessaria deuehuntur) firmo præsidio, quo tenebantur, & vicinia Mænij freti (namque septem exiguis miliaribus Lutetia disiuncti sunt) parēre noluerunt. Probra etiam non dicenda, non cogitanda in Regem iecēre: &, si dedere se velint, quod pignus toties fractæ fidei daturus esset? Dixisse Regem aiunt, cùm relatum hoc ad eum esset: si de fide sua dubitarent: sponsorem se Regem Nauarræum daturum.

Blienbeka à VVarēbonio expugnatur.

Dum hæc in Gallia geruntur, Marchio VVarenbonius in Belgio Princeps omni laude maior, proprijs penè expensis Blienbekam (Gelrorum, qui miserè à castris istius prædonibus vexabantur misertus) tam arcta obsidione pressit, totiesque, & tam violenter oppugnauit, vt tandem qui in ea erant, certis se conditionibus dedere 24. Maij.
compulsi sint. Arcem hanc munitissimam Martinus Schenckius, cognato suo Hoenio excluso astu occupārat. Sed cùm Ordines Belgici eum defendere nollent, ab illis ad Regias partes defecit: præmiatores in hac arce alebat, itinera reddebat infesta, & omnia circumquaque depopulabatur, donec ob negatum Nouiomagensium Gubernationem iterum à Rege bis perfidus, ad Ordines transfugit. Tunc quos antea vt amicos coluerat, vt hostes maximos ex arce illa persecutus est. Quare necesse erat, si Gelrorum res saluæ,

Anno 1589.

essent, arcem hanc expugnari. Memorabile est in oppugnatione inuentam esse mulierem nobilé, cæsam; quæ multos annos miles Ordinum castra secuta erat, inter prædones semper fuerat præcipua, in pugna fortis & ferox, nec vnquã ne à commilitionibus intimis agnita, nisi cùm à Regijs interfecta vestibus exueretur.

Mulier miles

3. Iunij. *Legatio Parmensis in Daniam.*

Paulò pòst Princeps Parmensis magnificam legationem in Daniam misit quam obierunt Ferdinandus Loqer, arcis & territorij Karpẽsis Gubernator, Meroda Comes Montensis, Domini Petersomij filius, & Georgius VVessendorpius Regiæ Maiestatis in Frisia Cõsiliarius, & ærarij tribunus.

Dum in itinere Bremam veniunt, petunt Magistratum, neà partibus inimicorum, sed potius Regis Hispaniarum, tãquam vicini principis esset. Magistratus se excusans partem se nullam eligere posse profitetur: neutri inimicum, sed vtrique amicum se offendere velle, Profecti deinde Legati ad Comitia Danica, quæ iunior Rex Coppenhagę 14. Iulij indixerat, honorificentissimè in Dania excepti sunt. Quæ autem legationis causa fuerit, occultum est.

Anglica expeditio in Lusitania.

De exiguo classis Anglicanæ fructu diximus antea. Decretum erat in Lusitaniam nauigare: Expansis igitur velis vicesimo quinto Maij ad Penicham arcem peruenerunt, quam summis viribus oppugnatã præsidiarij Antonio dediderunt. Consilium rursus ineunt, quid deinceps faciendum commodissimè videretur. Tandem omnium suffragijs & sententijs in eo conuenit, vt Norreysius cum exercitu Vlyssiponem pergat, quæ ad quadraginta octo millia passuum à Penicha abest. Dracus cum classe, bellico apparatu, re frumentaria,

taria, & impedimentis eò versus veniat, & apud Cascalim consideat, vt exploraret, an ibi aliqui essent, qui ab Antonij partibus starent: vt ad omnē euentum exercitui subsidio esset, vt comeatum, omniaq; auxilia ab Vlyssipone præcluderet. Datis dextris Norroysius exercitum. Dracus classem instruit. Norroysius castra mouet, & cum Antonio, Emanuele filio, & comite Essexiæ in vico Lorygna nomine consedit. inde in alium pagum *Torres vedras* perrexit. Hic quinquaginta equites Hispanos, quos obuios habebant, Angli in fugam coniciunt. Post Ancharam & Fanum Sebastiani profecti. Initio Iunij litteræ à Draco ad Norroysiū perferuntur, quibus significat, se cum classe venisse, & mille quingentos milites in terram exposuisse: cui ille viciſſim rescribit, monetq; diligenter excubias agat, militem in armis habeat: hostem enim cum exercitu in suburbijs Vlyssiponis considere. Ea nocte Lusitani in Draci & Vmptoni legiones impetum faciunt: paucis vtrinque desideratis pugna dirempta est. Norroysius Alueladam iter instituit. Mittit in omnem oram, qui hostem quærant: sed nullum inueniunt. Prudenter enim Lusitani oppida & arces suas custodiebant. videbant namq; se palantem hanc calonum ferè & lixarum turbam, sine cæde & sanguine facilè posse vincere, nec opus esse fortissimos, nobilissimosq; viros propter exoticam hanc gētem inedia morbisq; varijs penè extinctam, quæ magis ex desperatione, quàm virtute pugnandi occasionem quærebat, periclitari. Anno 1589. Iunij 3.

Angli nihilominus Vlyssiponem rectà contenderunt, & in suburbijs, quæ *Bona vista* vocantur, per stationes diuisi sunt. Iuxta meridiem e-

Anno 15.9. quites aliquot selecti oppido exiliunt, & ijstatio-
nem Bretti Tribuni irruunt, aliquot vigilum in-
terficiuntur. Accurrunt Angli, pugnatur vtrinq;,
cadunt vtrinque. Oppidani in vrbem reuertun-
tur: insequitur eos Comes Essexiæ. Hic Brettus
cominus hasta pugnans ictus est à sclopetario, &
Carrus Centurio occubuit. Norroysius, vbi se ab
Antonio delusum vidit, tormentisq;, & puluere
egere cœpit, hostium copias de die in diem coq;,
& augeri, suas ægritudine & æstu minui, Lusita-
nos perpaucos, eosdemq; intermes ad Antonium
venire, cùm nulla subsidia speraret, cum exercitu
Iunij 4. post meridiem ad Cascalim tendere statuit. Anto-
nius spe sua frustratus, semper aliquid noui spe-
rans, postulat eam noctem maneat. Norroysius
habito consilio ex omnium consensu postulatis
Antonij annuit. Nox illa nihil noui peperit, exer-
Iunij 8. citum mane ex *Bona vista* eduxit, castraque mouit,
& postridie ad Cascalim posuit. Paulò post exer-
citum lustrant, censusque militum habetur: ex la-
nis erant peditum circiter quatuor millia, & qua-
draginta equites. Cum his Comitem de Fontibus
Petrum Guzmanum, militum Lusitaniæ ducto-
rem, eiusque exercitum aggredi statuerant. Ar vi-
dens hostem abitum moliri, cum illis Vlyssipo-
nem redierat. Arx erat prope Cascalim, hanc An-
gli deditione capiunt. Deinde Hansiaticarum vi-
bium naues annona & mercibus onustas, ex mil-
tibus piratæ facti (quid enim iuris est Anglis in
vrbes Hansaticas?) quinimò viginti insuper Bri-
tannicas intercipiũt, & in eas militem residuum,
numero exiguum, ægrotum, & fame propemo-
dum euectum imponunt. Postridie eius diei o-
mnium consensu ad naues acclamatum est, singu-
lis

lis singulæ, designatæ: annona distribuitur. Decimo quarto deinde Calẽdis Iulij arce Cascali pulsa nitrato penitus euersa, flante Borea mari se- Anno 1589.

Angli in Angliam reuertuntur.

se committentes, tandem mense Iulio cum lacera classe & vix 4000. qui residui erant militibus, occupatis, incensisque quatuor arcibus, quas tot Nobilium & fortium virorum sanguine quadruplo emerant, nulla alia re laudabili confecta in Angliam reuertuntur. Hæc est illa celebris expeditio, quam insignis ille Buccinator O. H. fortè Onager. Hammonius, ex genere siluestrium illorum Asinorum, iuxta Hammonem Lybiæ suo libello tam magnificè decantauit. ex quo libello hæc, quæ narrauimus, compendio desumpsimus. Quod si tanta sit hæc victoria, cur eam Angli non prosequuntur? cur Draco. cur Norroysio honores & triumphi non decernuntur? Cur vnà cum expeditione hac etiam nomen eorum euanuit?

Iacobus Clemens interfector Regis quomodo cõsilia sua captauerit.

In Gallia Iacobus Clemens, natus in pago cui nomen Sorbonna, qui quatuor circiter millibus passuum à Sentio, vulgò Sens, abest, & in Dominicanorum familia educatus, eiusdemque post ordinis monachus factus, cùm vidisset tyranni dem, quam Rex in Guisios exercuerant, & perpen deret quantum Religionis Catholicæ intererat Guisios viuere: morte enim illorum eam plurimum labefactatam existimans, quotidiè Deum obnixè rogabat, suam in Gallijs custodiret Ecclesiam, ne instar Anglicanæ à sincera fide deficiat. Quin & tantoperè illi salus Catholicæ Religionis cordi erat, vt præter assiduas preces crebrò ieiunaret, peregrinationes religionis ergò susciperet, in processionibus nudis pedibus, linea tantùm veste indutus incederet, imò media hyeme,

Anno 1589.

hyeme,& in Ianuario proximè elapso visus est lineo tantum vestimento tectus nudis pedibus ob ambulare. In vigilijs,ieiunijs & orationibus assiduus,solius fidei Catholicæ conseruationem optabat,& quàtum potuit procurabat. In hac deuotione constitutus quendam Angelum ad eum venisse fama est, & dixisse; Frater Iacobe surge & præpara te,vt coronam Martyrij consequaris. Tu tu Catholicam Religionem in Franc a contra omnes persecutiones defendes,atq; adeo Regem ipsum,qui eandem Religionem perdere conatur, interficies. Hac visione & his dictis Iacob. obstupefactus, doctos Theologos consuluit, quid sibi in hac re faciendum esset. Hi diligenter reponderata aiunt,non omni spiritui credendum: posse fieri,vt spiritus hic fuerit bonus; posse quoq; vt sit malus. Prohibitum lege homicidium; exempla tamẽ in sacris litteris inueniri,vt Phinees, Iudæ Machabæi,& Iudithę,qui ob homicidia laudantur,eò quod ad diuinũ cultum ab impijs vindicandum pertinebant. Cùm itaque res tam dubia sit, certi se nihil statuere posse dicunt; sed eũ ad propriam mittunt conscientiam, suadentq; vt eius habeat rationem,diligenterque discutiat zelum,quo feratur,& obseruet inspirationes, quas deinceps Deus immitteret, nec in negotio præceps nimium festinaret. Paruit eorum consilijs aliquamdiu Iacobus. Interea sæpe fratrib. suis dicebat, Henricum Valesium nullius manu, quàm sua, interiturum: se illum interfecturum. Quod dictum illius alij monachi vt stolidum explodebant,eumque delirare existimabant.

Vide libellũ Parisijs impressum apud Theodoricũ Millet.

Postea cùm bellum incresceret, & Confœderati aliquoties de Politicis & Regijs triumpha-

rent,

rent, de hoc suo zelo Iacobus aliquâtulum temi- Anno
sit, sperans fore, vt sine sua ope Regis conatibus 1589.
obsisterent, Regemq; in ordinem redigerent. Ceterùm clade Siluanectensi, seu Senlisiana, pristinus ille zelus exarsit. maximè cùm diuulgatum est, Nauarræum Regi reconciliatum, & fœdus inter vtrumque pactum. Obseruabat diligenter an Rex Pontifici pareret, captiuos dimitteret, pœnitentiam ageret. Tempus à Pontifice constitutum iam erat elapsum, mandata, minasq; Pontificis Rex aspernabatur. Augebant hæc omnia Iacobi institutum, ita vt palam diceret; Se velle Catholicis opitulari, Regem à nemine quàm à se occidendum, quod nisi fiat, Religionem in Gallia periclitari. Pergit in inceptis & consuetis orationibus, vigilijs, & ieiunijs: orat Deum vt ipsum confortet, ipsi occasionem tribuat, vt quod decreuerit perficiat. Proposuit, & cogitationib. suis profundissimè impressit, exemplum illud, quod in libris Iudicium legitur, de Aod & Eglon. Hic e- *Iudic. 3.*
nim cum Moabitarum Rex esset & tyrannus populum Israël miseris modis affligebat. Accessit ad eum Aod, habensque sub sago in dextro femore gladium ancipitem, ait; Domine Rex, verbum Domini habeo ad te. Cumque surrexisset Eglon, extendit sinistram manum, & tulit sicam de femore, infixitque eam in ventrem illius tam validè, vt capulus ferrum sequeretur in vulnere. Ex illo exemplo sic philosophabatur Iacobus: Eglon erat permissione diuina Rex Israël, vti Henricus Valesius Rex Galliæ: Eglon significabat vitulum (ein kalb) & Henricus nunc factus est Caluinista. Suscitauit, ait textus, Israelitis saluatorem, qui Eglon interficeret, suscitauit &

me

Anno 1589.

30. Iulij.

me Catholicis, qui Henricum interficiam. Hac armatus cogitatione Iacobus cultrum ancipitem acutissimum sibi fieri iubet, atque tricesimo Iulij Lutetiam venit. Erat is dies Dominicus. Cùm celebrasset, cõfratribus suis valedicens, ait; fratres mei Aureliam proficiscor, omnino tamen mihi persuadeo me facies vestras non visurum denuò. Orate igitur pro me, vt mihi iter hoc felix faustumq; sit. Valete. Non Aureliam, sed rectà ad põtem S. Claudij seu Clodouæi, vbi Rex in obsidione adhuc hærebat, profectus est; habebat enim litteras publicæ fidei à comite Briennæo, qui Lutetiæ captiuus detinebatur. In castra veniens ductus est ad Procuratorem generalem, Questre nominatum, cui dixit; Se habere varias litteras, inter alias etiam Harlæi præsidis Parlamenti, ad Regẽ deferendas; aliaque arcana quædam, quæ literis credi non poterant. quæ scire tamẽ Regis vel maximè intererat dicenda. Erat autem Harlæus huic Regi & fidelis & amicus, ideoque Lutetiæ captiuus. Procurator hæc ad Regem defert. Rex procuratori mandat, vt ea nocte Monachum in suo hospitio excipiat, & humaniter habeat vsque in posterum diem. Postridie Rex Iacobum ad se vocat, in conclaue, remotis alijs, ducit. Hic Iacobus profert varias litteras, quas Rex cùm auidè legisset, interrogat, habeatne plures? habere se plures ait, & fingens se eas quærere, cultrum promit, & capulo tenus in ventrem Regis adegit, adactumque in vulnere reliquit. Rex vulnus sentiens, cultrum confestim dilatando vulnus eduxit, & Iacobum circa guttur grauissimè vulnerauit, vimque sibi inferri clamauit. Accurrunt domestici, atque inter alios Nobilis quidam Bastidæus, qui &

1. Augusti. Rex Galliæ à Monacho interficitur.

7. mens

7. menſes cum alijs 44. Guiſium interfeciſſe dicitur. Hic educto gladio Iacobo lethale vulnus infixit: accurrit alius, & bipenne aliud ſuperaddidit. Moriens tandem Iacobus Deo ſummas egit gratias, quod tam mite & facile genus mortis ſibi deſtinaſſet: ſe multo atrocius & grauius expectaſſe. Mortuum feneſtra eijciunt, & haud multò poſt carnifici quatuor equis dirumpendum, ac igni comburendum committunt. Anno 1589. *Iacobi Clemēti mors.*

Rex accepto vulnere initio quidem nihil periculi ſubeſſe ratus eſt: ſeſe militi ſpectandum præbuit, bene ſperare iubet; vulnus non eſſe lethale, & ſanari intra paucos dies poſſe. Interim Regi Nauarræo parerent. His dictis animus, qui Regis præſenti periculo aberat, cunctis redit. Circa veſperem verò vulnus cœpit intumeſcere, & dolor augeri. Vocati medici cùm vulnus inſpexiſſent deſperarunt. Quod cùm Regi dicerent, initio is credere noluit. Sed cùm in horas magis magiſque langueſceret, Rex Nauarræus, alij Principes, procereſque accerſuntur. Rex illos ad conſtantiam hortatur. Arma ne ponant niſi purgato latronibus Regno petit: Vltionem ſceleris & ipſis, & Regibus, Principibuſque omnibus, quorum maximè interſit Reges Principeſque ſacroſanctos eſſe, commendat, eam perſequi illis & decorum & in exemplum vtile fore. His dictis cùm agona extremum ſpe citius appropinquare animaduerteret, Henric. Nauarr. ſucceſſorem deſignat, Franciæque Regem ac hæredem ſalutat, ei omnes Galli vt pareant, eum obſeruent, colant, ament præcipit. Miratur hic quidam, & cum B. Nazianzeno Conſtantium Iulianum Apoſtatam, ſibi ſucceſſorem deſignantem *Vilhelmum Roſſeum.*

Anno 1589. tem iucrepante exclamat: *Quid tibi accidit Constanti* (Henrice diu quidē rebus contra hæreticos gestis florentissimè) *quodnam hoc consilium suscepisti?* quo in adolescentia Galliæ *prouincias per gyrum repurgabas tyrannesq; intestinos* Condæum, Colignium *armis tibi subijciebas: ad quem legationes & supplicationes vndecum* ex Italia, ex Polonia, ex vltima Sarmatia, Thraciáque *confluebant*; cui primo tuo ad Regnū Gallicanum accessu Galliarum *populi ciuitatesq; omnes*, non Catholicæ tantū, sed ipsæ quoq; Hugonoticæ *partim iam dicto audientes erant, partim iam iamq; futuræ erant, vt in eodem timore essent omnes ij, quorum expugnatio in proposita erat, ac si iam domiti, & in potestatem tuam redacti essent*: cùm in hoc esses felicissimo rerum gerendarū cursu, *quis Dæmonum ad hanc deliberationem tuam irrepsit*, vt repētino quodam impetu & nimis obstupenda mutatione parta simul, ac sperata decora euerteres vniuersa? *Quomodo magnam illam hæreticatem, Christianos intelligo, illud patris tui, decus atq; ornamentum*, nec patris tantummodò & aui, sed omnium ab auorum & maiorum tuorum, qui vel à Capeto, vel à Carolo magno, vel etiam à magno Clodouæo in Gallia ad hanc tuam ætatem regnauerunt, *quomodo gentem illam Catholicorum toto pectore lucentem, regale sacerdotium, multo labore, multisq; laboribus* veterum Galliæ Regum auctum, & pro cuius amplificatione Clodouæus ille, filius eius Childebertus, Martellus, Pipinus, & alij quàm plurimi Reges, tot bella fortissimè sanctissimeq; gesserunt, *tam breui & exiguo temporis puncto huic pestiferæ furiæ*, Nauarræo Caluineano tradidisti? Hæc ille. Sed ad historiam redeo.

Nazianzenus Orat. 1. in Iulianum.

Rex Galliā moritur.

Cùm Rex finem sibi instare videret, Capucinium monachum, qui ei à confessionibus erat, voca-

vocariiussit, sed antequam is veniret, mentis & loquelæ impos, paulò pòst duodequadragesimo anno nondum exacto, spiritum emisit. Atque hęc cataſtrophe est Henrici Valesij, Galliarum in ordine Regis sexagesimi secundi, qui ex sacro baptisterio susceptus, primùm nominatus est Alexander Eduardus: postea verò Henricus, Quem biothanatum futurũ plurimis abhinc annis Gabriel de Maruisia sequentibus versiculis prædixit. Anno 1589.

Cùm Rex Henricus regnabit in ordine natus,
Hic Rex bis factus, tam re quàm nomine gratus, *Semel Poloniæ, iterum Galliæ.*
Lilia vir fortis propriis auellet ab hortis.
Rex cadet, & vulgus, militia, Francia, clerus,
Ense, fame, & flamma, luctuq; sitiq; peribunt.

Postridiè à Regis Henrici morte, Hericus Nauarræus in ipso tumultu Rex Franciæ proclamatus, præsentibus in castris Principibus solenni iuramento se Cathol. Roman. Religionem in ijs, quibus nunc est Franciæ locis saluam conseruaturũ; nihil in ea innouaturum, legitimi generalis Concilij decretis & cognitioni staturum: Coronæ officiarijs, proceribus & reliquis statibus priuilegia sua confirmaturum ac firmaturum adfirmauit. Econtrario Galliæ pares Principes, Nobilesque præsentes Nauarræo, tanquam Henrico eius nominis IIII. Franciæ ac Nauarræ Regi suo ac Domino fidem & obedientiã iurãt, omnemq; opem & humillimum obsequium vitæ ac fortunarum ad cędem Henrici Valesij Regis sui vindicandam, & rebelles exterminandos, sponte offerunt. *2. Augusti. Nauarræus à suis Rex Galliarum proclamatur.* *Na iura præst.*

Bercka oppidum Diœcesis Colonienſis, in sinistra Rheni ripa situm, adhuc à Nuenario & Ordinib. occupabatur. Parmensis iam annos aliquot *oppu- Schenckh. Berckẽsib- comeatu- subuehit.*

Anno 1589.

laxa obsidione premebat. Deficiebat nunc oppidanis comeatus, & res ad deditionem spectabat: Schēckius intellecta Berckensiū necessitate, contractis aliquot copijs, summa celeritate, omnis generis comeatū aduerso flumine vno ab oppido milliari comportauit. Inde terrestri itinere astu, summoq; silentio in oppidū intulit: Dum his occupatur Schēckius, Parmēsis lectissimas aliquot peditum, equitumque copias in Frisiam misit, vt Verdugio contra Nassouium opitularentur. Hæ iter per VVestphaliam & Comitatum Lippiensem faciunt. Postquam Schenckio suboluit has copias in Frisiam profecturas, subitò exercitum suum, vocatis vndequaque è vicinis locis militibus, auxit, & in ericeto Lippiensi Regios assecutus, ex improuiso adoritur, cædit, fugatque, & omnem thesaurum, quem ad solutionem militum in territorio Groeningensi merentium asserebant, intercepit. Vtranq; hanc expeditionem vna septimana perfecit. Confestim reuersus secundo Rheno descendit, & in propugnaculum suum ad caput VVahalis extructum, cui nomen Brilla, venit, iterumque auctis copijs, ijsque nauibus impositis cum myoparonibus quinque maioribus minoribusque nauigijs circiter viginti quinque in tempesta nocte soluit, & secundo flumine iuxta pagum Oyensem, in quo Nouiomagenses habebant præsidia, nauigauit. Qui in præsidijs Oyensibus erant, explosis aliquot tormentis, oppidanis signum dabant, sed quia vasa picea non accendebantur, vti conuentum erat, signum hoc negligebatur.

7. Augusti. Schenckius Nouiomagū occupare tentat.

Ventus erat admodum lenis, fluuius altior quàm vt naues cōtis, & naues ipsæ minus idoneæ quàm

Pōs Schēckius in con-

quàm vt remis possent impelli. Tardius igitur Anno
quam Schēckius volebat classis prouehebatur,& 1589.
iam diei crepusculum erat in proximo. Tandem, *Spectum Nociuibus nihil horum præscijs, circa medium ter- uiomagensib*
tiæ nocturnæ, ponto, formam habens liburnicæ, *venit.*
militibus ita in vnum constipatis, vt quid veheretur partim iniuria nebulæ, partim noctis caligine videri commodè non posset, ad orientale vrbis propugnaculum appellitur tacitéq; ripam sub ipsam vrbem legit. Vigiles strepitum remorum audientes, Et vos, inquiunt, vnde venistis,& qui estis? Acclamant illi: Amici sumus: hoc dicto summis viribus remis incumbunt. Nouiomagenses vicissim, vt in terram descendant, vlterius ne progrediantur. Illi nihili mandatum hoc faciunt,& tanto alacrius remos impellunt. Vigiles contra eos, qui in vicinis stationibus erant admonent, allabentem nauim obseruent; simul & arma expediant. Dum tam celeri cursu pergit hæc liburnica, ecce rarescentibns tenebris apparuerunt vela maiorum nauium: sed ob venti lenitatem tardius descendentia. Hic statim in vrbe tumultuatur: emittuntur in meditullium ciuitatis, qui hostem adesse vociferentur: stationarij maiori tormento signum dant: excubitor in turri S. Stephani tuba canit; trepidi ciues è lectis desiliunt: seminudi arma corripiunt,& VVahalim versus procurrunt. Hæc dum fiunt, qui in liburnica erant, non procul à porta, cui à Maio nomen est, *Schenckiam vrbem oppugnant.*
in terram exponuntur: illos cum actuaria naui subsequitur Schenckius: qui iuncti vlterius procurrentes, pars duo b. arietibus portam quandam exiguam S. Antonij, quæ & Mulencomia vulgò dicitur, eratque oppositio pariete obstructa, concu-

Anno 1589.

tere : pars cancellos ferreos, è quibus ex ædibu
ciuium (nullus hic inter VVahalim & ciuium a
des murus est) in ipsum præterlabentem fluuiu
patet respectus euellere immanibusque tudibu
comminuere cœperunt. Vtrisque res initio fa
cessit. euulsis aliquot clatris, & disturbatis fen
stris, aditum in vrbem sibi patefecerunt: vnam
domum occupârunt. Interea maiores naues p
pelluntur. In scaphas hostes desiliût. Schenck
spe totam vrbem deuorans, in perforatâ domu
suos ducit: exhortatur timidos orat detrectante
castigat ignauos, laudat strenuos: nulli aut sexu
aut ætati parcât iubet, & amplissimorû spolio
præmio omnes ad fortissimè pugnandum inuita
Nondum ciues coierant, nondum in ordinẽ era
redacti: nondum mandata Consulum, qui omni
bus locis aderant, suorum animos erigentes & vo
res armaque subministrantes acceperant. Class
cum in nauibus canitur: balistarij vtrinq; summa
contentione rem agunt. pilæ prægrandes ex vrbe
in naues, & ex nauib. in vrbem iaciuntur. cælum
boatu rumpitur, terra tremit, & fumus conspe
ctum vrbis & classis dirimit: lacerantur naues
hostiles, conuelluntur & perforantur multorum
ciuium ædes: sed ob interpositum vallum oppo
dani minus cõmodè in hostes, qui in terram de
cenderant, maiora tormenta intorquere potu
runt. iniquissimo namque ciuibus loco, sibi vero
commodissimo hostis pugnabat. Conueniũt ta
dem ciues vnà cum præsidarijs Belgis, & Gallis
qui tunc in vrbe numero pauci erant, exhorta
tesq; sese mutuò ad occupatam domũ accurru
quò cùm venissent, repererunt hostes iam in vr
num forum eruptionem parare, & duos ex

Ciues conue niunt, & vrbem gnauiter defendunt.

in plateis deprehendunt: quorum vnum vulneratum capiunt, alterum occidunt; sed in ipsam domũ irruere tergiuersabantur, ignorantes quid hostis intus machinaretur. Eadem centurionum exhortationibus exemplisq; moti ciues & præsidiarij in domum irrumpunt: dant, accipiuntque vicissim vulnera, atq; eminus diu, dubioq; euentu pugnatur. Erat enim domus valdè angusta, & multa habebat receptacula: ita vt oppidanis consultum nõ esset, denso agmine irruere. Tandem duæ machinæ bellicæ, qualium in pugnis campestribus ferè vsus est, attrahuntur; vnaq; domui opposita disploditur, globusq; per obuia quæq; penetrans, magnum hostibus terrorem incussit. instãt oppidani, cedunt hostes: atrox fit pugna, sed ciuium res meliori loco cœperunt esse. Nec minus pugnatur ex vicinis fenestris: lapides certatim in confertissimos hostium cuneos effunduntur, contis & sudibus Schenckiani muris depelluntur: Horribilis initio vtrinque clamor, ouantium similis: sed mox apud hostes lamentabilior. Cæsim punctimque feritur, & de summa rerum prælio decertatur: nec segnius inter classiarios, & qui in vrbe erant balistarios maioribus tormentis res agitur. Anno 1589.

Dum hæc à Schenckio ad VVahalim geruntur, peditates paulo infra vrbem è nauibus expositi, equitibus mixti, portam Hessiam adoriuntur. Sed & stupendæ longitudinis ponto, peditibus refertus, impetu fluminis vlterius prouectus, sub turrim S. Huberti, frustra qui vehebantur laborantibus, fertur. Oppidani, qui in turri & adiecto propugnaculo erant, tantum lapidum imbrem moenibus deuoluũt, vt iam remorum nullus amplius

Portam Hessiam equites & pedites Schenckiani adoriuntur.

Anno 1589.

esset vsus pondere lapidum nauis penè deprimeretur; & qui in ea erant, omnes, paucis elapsis, aut saxis obruti sunt, aut aquis absorpti.

Adhuc ad portam Hessiam fulminabant hostes; auctæ enim erant eorum vires quorundam accessione, qui paulò infra vrbem, in Iudæorum, seu vsurariorum (vt fama est) quondam habitationem erant exposti. Hi iam cataracta portæ superauerant, & iam portarum seras conuellebant; ciues desuper lapidibus atque omni genere telorum portam fortiter defendebant: donec hostes vno semianimi relicto, tandem pedem retraherent, & portam desererent. Obequitabant interim equites instar luporum circumeuntium ouile, & lustrantium, si qua irrumpendi pateret rimula.

Portam Hessiam deserũt hostes.

Mulierũ Nouiomagẽsiũ in vrbe defendendæ fortitudo.

Non reticenda est hîc mulierum fortitudo, quæ viris haud ignauiores & tympana pulsabant, & lapides telaque viris administrabant: necnon & machinas bellicas attrahebant, omniq; deposito muliebri timore, & ipsæ in præsentissima pericula ruebant, & maritorum animos ad iui, iuorumq; defensionem exhortabantur.

Nullus erat in vrbe hominũ sexus, nulla ætas, nullus ordo aut hominum conditio, qui nó proposita sibi aut morte, aut læta pro patria victoria, extremo animi feruore ac diligentia & muros tuebatur, & hostes propulsabat. Iamque lux clara aderat, crescebant animi ciuium, hostium decrescebant; ædibus enim antea occupatis erant eiecti, & nudi in ripa stantes vndequaque oppidanorum telis erant expositi: frendebat Schẽckius, vrgebat suos, & certam illis victoriam promittebat: illi instar desperantium cedere, Imperatoris sui

Schenckiani vrbe iterum eijciuntur.

sui temeritatē accusare, dicere, se iam quartò ad Nouiomagensium lanienam adductos. Ciues hostē cedere conspicati, multò fortius ac vehementius instant; donec effusa tandem fuga in cymbas tanto, & tā incōdito impetu vnà cū Schenckio ruunt, vt oneris impares quatuor aut quinq; cymbæ depressę sint: ceterę multis desideratis euaserunt. Anno 1589.

Schenckius cum suis a quis absorbetur.

Mox receptui canitur, leguntur anchoræ, & quartam post horam naues laceræ secundo amni defluxerunt, dimidioque ab vrba miliari, nō procul ab Oosterholt in anchoris iterū constiterunt. Ciues, pugnando defessi, sed victoria læti, sibi mutuò gratulantur, & vulneratos, cæsosque suos inquirunt. Inuentus est vnus VVilhelmus Loēnius, vir plebeius, grandæuus, & integer; alius itē non ciuis, sed ex vicino pago inquilinus; vnus itidem miles præsidiarius: duo vel tres (sed non letaliter) sauciati. hostes extra teli iactum suos quoq; recensentes, initio antesignanum suum Schenckium desiderarunt; ex ducibus qui plures desiderati sint, liquidò tunc non constabat: ex gregarijs militibus 500. aut 600. aiunt interijsse, & sanè plures trucidati fuissent, si apertis portis oppidani eos insequi potuissent, vnus etiam ex aquis è Nouiomagensibus extractus, captus est.

Ex ciuibus qui desiderati.

Hostiū clades quanta.

Portis deinde apertis, ciues collectis omnibus scaphis pars harpagonibus, quibus situlæ ex puteis extrahūtur, pars retibus, quo loco pugnatum erat, non pisces, sed homines piscatum eunt: extracta est exiguo tempore maxima cadauerum multitudo, quæ detractis exuuijs iterum in profluentem proiecta sunt: tympana quoque, galeæ, enses, thoraces ferrei, scelopi, similiaq; arma quā plurima.

Spolia hostibus detracta.

Anno 1589.

Tandem circa sextam horam maturinam, quinque nautæ exigua scapha vecti, harpagonem eiiciunt: Dumq; attrahunt, sentiunt pondus; attollentesq; splendidam conspiciunt armaturam & vestes pretiosas: prædam opimam clamitant. Accedunt propius alij, qui faciem eius inspicientes, Schenckium esse clamitant. Cadauere itaque in littore exposito accurrunt multi; Schenckium agnoscunt; & in vrbem deferunt. Dici non potest quanta in vrbe fuit lætitia: eum enim in potestate sua, & quidem mortuum habebant, qui dicere solebat; se Nouiomagensium hostem in vtro matris creatum esse. Circa meridiem capti in conflictu duo in publicum producti, suspendio necati sunt. Cadauer autem Schenckij, postulante hoc populo tumultuante, tam indigna ab illo perpesso, fecuri (erat enim Eques auratus Anglicus) capite dejecto, in quatuor partes dissectum est. Caput hastæ præpilatæ infixum, portæ S Antonij, vbi ea nocte facinus perpetrârat, impositum est; cætera membra per turres, aliasque portas distributa sunt. Atque hic est exitus ille celeberrimi istius prædonis Schenckij.

Schenckius ex aquis attrahitur.

Defuncto Schenckio præsidiarij, qui in propugnaculo illius Brilla erant, cœperunt tumultuari, multorum mensium stipendia postulantes. Venit ad eos Adolphus, Comes Nuenarius, & post multa colloquia sic inter illos conuenit, vt quinque septimanis in fide permaneât, interea omnibus satis factum iri.

Sub idem ferè tempus Carolus Comes Manfeltius cum selecta militum manu in insulam inter Mosam & VVahalim sitã, vulgo *Bommelerwert* dictam, traijcit, & castrum *Heel* munitum, oportunoq;

Comes Manfeltius aliquot castra capit. 15. Aug. 24. August.

tunoq; loco situ obsidet, oppugnat, & expugnat. Anno
lade Brackelium deditione recuperat. & Rosse- 1589.
mium ab Ordin. relictum capit.

Interea Nauarræus, vt sibi stabilem Regni Gal- *Nauarræus*
lici possessionem faciat, nihil intermittit. Cumq; *ad Ordines*
non omnia armis commodè fieri posse videt, lit- *Galliæ scri-*
teris & promissionibus rem tentandam esse arbi- *bit.*
tratus est. Ad omnes itaq; Ordines ciuitatesq; Re-
gni litteras misit, quibus initio significat; se quo-
tidie Deum Opt. Ter. Max. rogare, vt gratiã suam
ipsi largiatur: qua fultus vitam suam sic instituat,
vt inter Reges probatos, non inter reprobos ha-
beatur. Optasse quidem se aliam conditionem, a-
liudq; exercitium, quo patriæ nimis afflictæ gra-
tificari, & beneuolentiam sibi demereri (nihil e-
nim sibi antiquius esse, quam omni studio incum-
bere, vt inconditum Regni statum in meliorem
formam redigat) potuisset. Sed Deo aliter visum
esse, atq; ad Regni fastigium se vocasse. Inuitum
se quidem illam dignitatẽ tot molestijs plenam
acceptare; sperare tamen Deum gratiam datu-
rum, vt sub onere non succumbat. Deum sibi sce-
ptrum in manu dedisse; additurum eundem ani-
mũ & robur, vt quæ sui muneris sunt, ad salutem
Reip. exequatur. Se nihil aliud toto vitæ suæ cur-
riculo quæsiuisse & optasse. Sed quia hæc res de-
penderet ab ope & consilio Principum Regij san-
guinis, Procerum Regni, Nobilium & præfecto-
rum prouinciarum, qui ipsi sacramento erant de-
uincti, & ad quos, non minus quàm ad se, cura Re-
gni suaque authoritas pertinebat, necessarium
sibi videri, omnes hos ad generalem conuentum
euocare, consilia eorum audire, & certi aliquid
ad conseruationem Regni, corporisq; tam mor-

Anno 1589.

bidi sanitatem statuere. Omnes itaque Ordines prid. Cal. Nouemb. in Turonensium metropoli conuenirent.

Nauarræus bellum prosequitur.

Nauarræus his literis in omnes prouincias missis, & in oppidis quibus potitus erat præsidijs relictis, in tres partes copias suas distribuit. Robur exercitus Longenillio Duci attribuit, vt in Picardia, & in circa Parisios bellum administret. Cum altera parte Aumontium in Campaniam, ad exopiendum hostem, & retinendum in fide ciuitates ablegat. Tertiam secum Diepam, quæ maximæ opportunitatis ex aduerso Angliæ in Normanniæ

20. Augusti. vrbs est, abducit. In itinere Rotomagum veniens vrbem quidem non oppugnauit, sed molas aliquot iniecto igne exussit pecoraq; abegit. Oppidani eruptione facta in Nauarræos irruunt, eosq; occisis circiter 300. à mœnibus repellunt. Mœnius cùm intellexisset Nauarræum Rotomagensem agrum infestare, cum octodecim millibus peditum, & tribus millibus equitum Rotomagum contendit: Sed in itinere enunciatur Nauarræum istinc Diepam exercitum abduxisse. Gornachum itaque Mœnus suas copias ducit. Oppidum hoc à Nauarræo stabat, aduenientique hosti fortiter restitit. Captum tandem à Mœnio, & spoliatum est, trucidatis omnibus, qui in armis inueniebantur.

Vrbs Turonêsis frustra tentatur.

Dominus de Chartres eodem tempore Confœderatorum nomine, cum turmis aliquot equitum, peditumque vrbem Turonensem tentauit, sperans se Inuillæum, Guisij Ducis filium, aliosque captiuos posse hoc modo liberare. At qui in vrbe erant ciues & præsidiarij erumpentes, illum a vrbe propulsarunt.

In

In Italia, & potissimum in Marca Tarui∫ina tanta hoc tempore cæle∫tium aquarum vis decidit, quanta retroactis no∫tra memoria annis nunquam. Anno 1589. *Aquarum inundatio.*

Romę quoque hoc anno Tiberis tanta exundabat aquarum copia, vt cùm intra aluei ∫ui ripas contineri non po∫set, bis ex∫patiatus tam longè lateque Vrbem inundauerit, vt ∫caphis, cymbi∫q; per multas plateas nauigaretur. Imbres autem illi continui incredibile damnum multis Italiæ locis intulerũt; ita vt nece∫∫e fuerit ∫ementi prima & ∫ecũda corrupta, tertio & quarto agros denuò ∫eminari. Tandem accedentibus priori malo noxijs ventis, & nebulis den∫is, ij∫que lethalibus tota penè me∫∫is perijt. Quam calamitatem magna illa ∫ubsequẽtium annorum mi∫eria, fames, annonæque caritas, de qua ∫uis locis dicemus, e∫t ∫ubsecuta. *Tiberis Romæ inundatio.* *Initia famis in Italia.*

Venetijs (quæ octo, te∫te Neandro, in circuitu miliaria Italica, in∫ulas viginti quinq;, parochias ∫exaginta duas, mona∫teria quadraginta vnum, ponte∫que publicos quadringentos comprehendit, quæ quotannis è ∫olo vectigali vicies centena ducatorum millia capit, quæ ∫uper palos & palũdes in medijs aquis ex∫tructa vrbs e∫t, ∫ine muris & portis potenti∫∫ima, ac multis nominibus per orbem vniuer∫um celeberrima) in tantum mare Adriaticum ∫uccreuit, in tantũ vrbis canales continuo cataclysmo exuberárũt, vt nõ modò omnia mercaturam facientium promercalia, ∫ed etiam vrbem totam vndis obrutum iri iurares. Hui∫ce tam diutinæ & crebræ eluuionis culpam in Chymicum quendam Emmanuelem Grauum, ac ∫i magicis incantationibus eam excita∫∫et, plebs *Venetiarum laus.*

Veneta

Anno 1589. Veneta coniecêre. Is enim per id tempus Venetijs commorãs, multis verisimilibus circunstantijs, se certò post varias variorum impostorũ fraudes, metallis imperfectis suam perfectioné redditurum, plumbumque & Mercurium in aurum siue solem, vt ipsi loquuntur, conuersurum amplis. Senatui, cuius opem implorabat, pollicebatur.

Magi & Magæ combusti. Augustæ Treuirorum, Osnaburgi, in Sueuia, Dania, &c. magnus Magorum numerus tam pleborum, quàm Sacerdotum, LL. Doctorum, Comitum, & eorum qui existimationis & opum nota clari exstitêre, Vulcano instar noui holocausti oblati sunt. Quos interfuit vir prædiues & celebris IV. Doctor Flattenus, Electoris & Archiep. Colopi Treuerensis Cõsiliarius, qui post 6. mensium custodiam, Maij 16. publicè in rogum missus & combustus est. Nec nõ peruersissimus quidã prestigiator, de quo in oppidulo Bebber, tria millia passuum Colonia distante, sub comite VVarnero à Rifferscheid supplicium sumptum est. Qui præterquam quod insolitis aëra sudum fulminibus ciere, tonitru grandinem, & tempestates insperatò excitare, homines detrimento graui afficere, fruges excantare, segetem aliò transferre, marib virile robur adimere, etiam se ex homine in lupum, cingulo, quod remunerationis loco, abiurata Christo fide à Dæmone acceperat, cinctus, toties, quoties voluit conuertere potuit. In qua sua metamorphosi seu Licandropia tredecim homines laniauit, & deuorauit. Circa hoc ferè tempus

Colloquiũ infantium Iacobus Badẽsis. 20. Augus. Iacobus Comes limitanius Badensis, postquam de Lutheri doctrina, quam hactenus profitebatur, dubitare cœpit, doctos viros vtriusq; Religionis

Protestan

Protestantium & Catholicorum conuocauit, & Anno colloquium præsente Comite Mompelgartensi, 1589. & nobilibus alijs, instituit. Præses Catholicorum erat Pistorius, ex Lutherano Catholicus factus; Protestantiũ Smidelinus. Quid ex tali colloquio secutum sit, suo loco dicemus. Galli confœderati circa idem tempus legatum Romam miserunt, Dominum Commendatorem *de Diu*. Qui cùm 13. Septem. Romam venisset, à Pontifice petijt, Gallos omnes qui in castris Nauarræi erant, sub excommunicationis pœna reuocaret, ijsq; arma deponere mandaret; Cardinalem Lutetiam mitteret, qui Confœderatis à consilijs esset, authoritateq; sua nouam noui Regis electionem promoueret. E contrariò Nauarræus, vt suas res stabiliret, Legatum Venetias ablegauit, qui antiqua fœdera inter Gallos & Venetos renouaret. Legatus hic nõ aliter, quàm legitimorum Regum solent, à Venetis exceptus est.

Legatio confœderatorũ ad Pontificẽ.

Legatio Nauarræi ad Venetos.

Sabaudiæ Dux, vt agrum dominicum à lolio repurgaret, exercitum conscribit, & Geneuam obsidet. Sed Geneuenses omnes amicos & cõfœderatos suos inuocantes, tam fortiter restiterunt, vt parum abfuerit, quin omni prouincia Fosinga na exueretur. Castrum namq; S. Catharinæ ad fines laci Lemani, & aliud Buringum occupârunt, totamq; prouinciam Fosinganam ferro, flammaque perdiderunt. Inde Bonuillam contendentes, quidquid obuium fuit infestârũt. Dux Augustam Taurinorum se conferre, vrbem munire, comeatum vndequaque comportatum in illam inferre, & vicina loca exurere coactus est. Bernates in hac expeditione fidelem Geneuensibus operam præstiterunt. Sed & Geneuenses ipsi erumpentes, omnia

Sabaudiæ Dux obsidet Geneuam.

Anno 1589.

mnia propugnacula, quæ ad Soriam erant, Italis Hispaniſq; circiter ſexcentis trucidatis, euerterunt. Bonuillenſes Bernatibus ſupplices occurrebant, & claues oppidi tradebant. Inde Bernates Camberiam profecti, iactabant ſe loco iſto expugnato Auguſtam Taurinorum quoq; tẽtare velle. Sed peropportunè accidit Duci ſimultas & diſcordia inter Geneuẽſes & Bernates orta. Hi namque ſub prætextu ſubſidij illis ferẽdi occaſionem quærere videbantur, ditionem Geneuenſem ſuo imperio ſubijcere. Quod cùm Geneuenſib. ſubduciſſet, Bernatibus reſtiterunt; dicentes, ſe ſub tutela Regis Nauarræ, & nunc Galliæ, manere velle. Bernates hoc reſponſo accepto, Geneuẽſes deſerunt, & cum Sabaudo inducias paciſcuntur. Sabaudus confeſtim inſtructo exercitu omnia loca ſibi adempta recuperauit, & Geneuam rurſus obſedit.

Inter Geneuenſes & Bernates ſimultas.

Balignius Cameracẽſium Gubernator multos dubio metu in ſuſpenſo relinquebat; vt ſciri non potuerit, quam partem, Nauarræi, an verò Confœderatorum ſequeretur. Confœderati à Rege Hiſpaniarum opem & auxilium flagitabant, oppidaq; Guiſium & Peronam illi in remunerationem offerebant. Rex Cameracum poſtulabat. Sed cum Balignio hæc conditio non placeret, Parmẽſis Marchionem Renthium & Mottæum cum exercitu Cameracum miſit; fortè vt eminus vrbem obſiderent; & ne comeatus inferretur, prohiberent. Paulò poſt quidã Gallici iugi pertæſi, Rhentium inuocare, & vrbem Regi Hiſpaniarum reddere conati ſunt. Sed detecta proditione capti & necati ſunt.

16. Sep.

Dum hæc fiunt, Carolus Mansfeltius cũ lectiſſimis

simis aliquot copijs Mosam traijcit, & in insula Bommelensi propugnaculum, *Die Voorn*, obsidet, triduoq; frustra oppugnat. Initio Octobris Noviomagum mittit qui imperent, panem & cereuisiam coqui: Berckam enim obsidere decreuerat. Cumque Octobris die quinto Grauiam proficisceretur, quidam ex hostibus in silua delitescentes Comitii insidiabantur, & sclopetis aliquot ictus in eum eiaculabantur. Comes confestim siluam cingi, triginta quos inuenerat pedites trucidari, reliquos captiuos abduci iussit. Dum Mansfeltius se ad expugnationem Berckensium parat, Comes Nuenarius copias aliquot colligit, vt oppidum contra hostem tueatur. Sed dum Arenaci, seu Arnhemij in armamentario, qui sibi necessaria fore sciebat, præparat; ecce ignis in puluerē tormentarium cadens, partem ædium incendit, Comitemq; Nuenarium lethaliter ambussit: ita vt paucos post dies moreretur.

1589. *Voorn obsidetur.* 5. Octob. *Mors Comitis Nuenarij.*

In Gallia cū Nauarræus Diepam veniisset Mœnius cum omni suo exercitu vrbem hanc obsedit, & sub ipsis mœnibus tormenta bellica disposuit. sæpe in vrbem pilas misit, sæpe vicissim pilis ipse ex vrbe salutatus est. Nauarræi erumpentes aliquoties in castra Mœnij impetum faciunt, & à Mœnianis repelluntur. Fluuius vrbem interluit, per quem oppidanis necessaria aduehuntur. Fluuio hoc ponte strato Mœnius hanc commoditatem ciuibus impedire cœpit. Quod vt minori suorum incommodo faceret, collem vicinum è regione arcis Arkensis munitæ, & quæ à Nauarræis custodiebatur occupauit. Ingens hic orta est pugna, dum neuter cedere voluerit, Nauarræus equitibus, Mœnius peditibus præualebat; & nunc

Mœnius Diepam obsidet.

huc

Anno 1589.

huc, nunc illuc victoria inclinabat. Vicêre tandem Nauarrẽi, eò quòd Nemourij equites, turbatis ordinibus fugerent. Mœnius hac clade accepta, cùm intellexisset Ducem Longeuillium & Lanoum cum suis copijs aduentare, vt Nauarræ subsidio essent, obsidionem soluit, & milites reducens in hyberna distribuit.

Cosacci in Turcas.

Per eos dies Cosacci more suo latrocinia exercentes, naues quasdam Turcicas deprædantur, Isslauium, vnius à Kaffa diei itinere oppidum maritimum subita impressione opprimunt. Tabernas plurimas diuersis ijsq; pretiosissimis mercib. Turcicis refertas partim inflammant, partim diripiunt, & prædæ vi maxima asportata ad lustra sua retrocedunt. Quibus iniurijs Tartari & Turcæ irritati vicissim magno agmine in Podoliam & vicinas Poloniæ Prouincias irruunt, homines miserios numero innumero prosternunt, obuia omnia incendijs corrumpunt, totum ferè districtum ad vastitatem redigunt, rapinis deuastant, & multa millia captiuorum abducunt, quorum tamen maximam partem Poloni, hostem insigni strage designata fugientem, persequentes, maxima sua virtute ex vnguibus eius iterum eripiunt. Dum hæc aguntur, Reualiæ cum patre Ioanne Suecorum Rege, Reipublic. causa, Rex Sigismundus resideret, qui ea re subditis aurib. accepta, haud longè post, patre, filium in Sueciam secum abducturo, inuito, ad Polonos reditum eius ferme desperantes iter suum conuertit, & Legatos Constantinopolin pacem renouatum mittit. Turcæ pacem expetitam Polonis non abnegat, sed & hereditariam fore pollicetur, si vel Catholicam religionem eiurare & Mahometicam idolomaniam ampl-

Simultas inter Polonia.

amplecti; vel annuum tributum vectigales pendere parati sint. Quod vtrumque illis facere non fuit integrum, qui extremam belli aleam emissis diffidationum seu renunciationum litteris hostiliter sibi denunciatam subire, quàm libera sua colla seruitutis iugo submittere malunt, minimè nescij tyrannum Persicis bellis satis superque districtum teneri. Sed hic paroxysmus, per totam Europam supra modum eleuatus, citò euanuit, constituta inter Turcam & Polonum per Angliæ Reginæ Legatum firma pace, vt ex litteris à Turca ad Polonũ & Anglam missis manifestò liquet. Anno 1589.

In Conuentu, ab Equestri Poloniæ regni tribu in ciuitate Colo celebrato de Duce belli potissimum in ordinem redigendo actum est. Vt idem posthac Legatos peregrinos non audiat: Absque consensu Regis cum hoste non agat: Cohortes temporarias non alat: inscio Rege militem non conscribat: Insignia victoriæ tanquam regalia monumenta Regi, parta victoria, tradat. Redituũ rationem in Comitijs reddat: Cùm sit limitum custos, in finibus inter regni subsistat: Neque ipse se, aut submissas personas in posterum in actum electionis ingerat. Vocatus equestri ritu triginta ad summum hominibus stipatus veniat. Inter regni tempore in potestate senatus sit: Votis & suffragijs Regis & procerum, tam ipse, quàm Cancellarius eligatur. Actum est itidem de libera Regis abeundi vel manẽdi potestate, de minuendis tributis, de modo legitimę electionis Regum, de legibus & iudicijs bene constituendis, & nonnullis alijs imperij grauaminibus; quod tempus palam faciet.

Nauarrẽus paulò pòst totum exercitum in Pa-

Anno 1590.

Nauarræus suburbia Parisiensium spoliat. 26. Nou.

risiensis duxit, suburbia quædam occupauit, spoliauitq;, & multos secum captiuos abduxit. Terruit hæc res Parisienses; at Commendator Mordonius Lutetiam à Parmensi cum ingenti Thesauro, & promissionibus Regem Hispaniarum, omnem opem illis laturum, venit. Cuius aduentu ciues denuò consolabatur.

Germani à Lotharingo cæduntur.

Germani equites & pedites, quos Nauarræus expectabat, inter Basileam & Argẽtoratum Rhenum traiecerant, vt rectà ad Nauarreũ tenderent, vt vires suas viribus illius iungerẽt. At Lotharingię Dux cum expedita manu illis obuiam processit, atque inter Peenfeldiam & Markolsheimium eos assecutus strauit, fugauitq;, & ne in Galliam venire possent, iter præclusit, paucis exceptis, qui iuxta Basileam iter instituerãt. Dux, vt victoriam prosequeretur, in Burgundiam cum exercitu pergit. Quo in itinere quendam Nuncium Apostolicum obuium habuit, qui illi equos aliquot generosissimos obtulit, quos Pontifex Duci miserat, petẽs, vt Catholicam Ecclesiam propugnare non desinat.

Burdegalen. gubernãtorẽ suũ eijciunt.

Burdegalenses postquam intellexissent Cardinalem Ioieusium, Nuntium Roma missum Lugdunum aduenisse; sperabãt Confœderatis omnia felicius successura. Profilientes igitur ad arma Gubernatorem suum, qui à Nauarræo stabat, eiciunt. Dux quoq; Aumalius aliquot oppida rapit. Nec otiatur Nauarræus: sed Ianuillium oppidum, cuius præsidiarij multa incommoda illis exercitui inferebãt, obsedit, sed dispositis machinis maioribus oppidani se dediderũt. Præsidium in arce relinquens, Vendomium contendit; cius ad obedientiam & fidem per internuncios hortatur.

ratur. At illi inter Confœderatos se esse, nec pos- Anno
se cũ hoste paciſci, responderunt. Indignatus Rex 1589.
Chastodunum se confert; summa celeritate vrbẽ *Vendomium*
& castrum obsedit, oppugnauit, & expugnauit. *expugnatur.*
Quod cùm vicina oppida viderent, vt Lauerdinium, Montoyrium, Mons Richardotij & castrum in Ligeri situm, Turonibus summoperè noxium, vltrò se Nauarræo dediderunt.

His expeditis Nauarræus in Turones profectus, *Nauarræus à*
in metropoli vigesimo primo Nouembris, sub *Turonensib⁹*
vesperem magnificentissimè à Cardinale Vendo- *excipitur.*
mio primùm; deinde à Parlamento, alijsq; Regni Principibus exceptus est: Paulò post ad illum *Legatio Hel*
venerunt Heluetiorum Legati, qui in mandatis *uetica & Ve*
habebant, dicerent Regi, se à morte Henrici III. *neta ad Na-*
sacramento veteri solutos esse: nescire se quid *uarræum.*
nouus Rex de ipsis fieri velit. Si ipsorum opera Regi aut vtilis aut necessaria sit, cupere se in antiquo fœdere & amicitia permanere, & non minùs Nauarræo, quam Valesio fideles esse. Eodem quoque tempore Legatus Venetus ad Nauarræum veniens, fœdus & amicitiam inter Gallos & Venetos renouauit. Vigesimo quinto Nouembris Turonibus relictis Nauarræus primarium in Mon- *Monstrausia*
strausia vrbem obsedit. Præmiserat Dominum de *obsidetur.*
Fergis, qui iam Regis nomine deditionem postulârat. Sed Boisdalphinius vrbis Gubernator respondit: Se vnà cum militibus suis in vrbe sepeliri malle, quàm vrbem dedere. His dictis emisit, qui suburbia incenderent. Interea Marescallus Bironius cum Charillonio, totoq; exercitu aduenit, fossasq; in suburbijs occupauit. Erant hæ profundæ, ità vt in ijs tuti essent ab oppidanorum eiaculationibus. Vigesimo deinde octauo die 28. Nouemb.

Anno 1589.

Nauarræus in ſuburbia exercitum ducit, iubet omnia ſuburbia (vno S. Ioannis, quod vltra fluuium Saile eſt, excepto) occupari. Conſumptis aliquot diebus in caſtris muniendis, mach niſque collocandis, 2. die Decembris muros diſturbare coeperunt. Deiectis aliquot turribus, qui in vrbe erant trepidarunt, & ſe Nauarræo obtulerunt. Comes Briſaacus cum duabus legionibus in ea nere erat, vt vrbem obſidione liberaret: Sed clamorem tormentorum tonitrua audiret, pedem retraxit. Oppidani cùm diligentiam hoſtium viderent, iamque omnia ad oppugnationem eſſent parata, certis conditionibus vrbem poteſtati hoſtium tradiderunt, non obſtante, quod ducenti ea Nobiles, & 20. ſigna peditum in præſidijs eſſent. Confeſtim ſupplex venit Lanſaccus, & Beaumontium cum Tuteuoiſiam Nauarræo dedit. Sed & alia nonnulla oppida in fidem Nauarræ venerunt.

2. Decemb.

Victoria Nauarræi.

Vndecimo Decembris Nauarræus Lauallium profectus eſt, vt Dombæſium, qui eius colloquium optabat, conueniret. Bironium verò cum exercitu Alenconium miſit, vt illud occuparet. Ipſe de Mœnium profectus, in eo quoque magnifice exceptus eſt, vrbemq; & arcem præſidio munit. Bironius Alenconium tandem poſt quatuor dies venit. Rex enim 24. Decembris ſecutus, mox ad urbia cæpit, & in vrbem impreſſionem fecit. Caturio, qui cum 400. peditibus in vrbe erat, in arcem ſeceſſit, ſperans ſe id tueri poſſe contra vim hoſtium. Sed tantus erat hoſtium ardor, vt vrbe deſperatis poſtridie arx quoque dederetur.

11. Decemb. Alenconium deditur Nauarræo.

Mœnius eodem die Pontiſarenſes, vulgò Pontoyſi, qui nuper in poteſtatem hoſtium tran-

rant, obsedit. Lanous vt Mœnium castris exuat, & à mœnibus pellat, omnem mouit lapidem. Mœnius prius arcem Boisium oppugnat, quam post 500. ictus maioribus tormentis factos occupauit. Inde ad Pontisaram consedit, & ruinam ducentorũ pedum strauit: mox bis impetum in vrbẽ faciens, fortiter (sed desideratis multis egregijs militib.) oppugnauit. Buyus Gubernator vrbis cùm se imparem cerneret, atq; vim sustinere non posset certis conditionibus vrbẽ dedidit, quas eò Mœnius libentius acceptauit, quòd Comes Brisaacus à Nauarræo in oppido Faleise arcta obsidione premebatur. Maturabat igitur deditionẽ, sperans Comitem se posse liberare. At priusquam Mœnius aduentaret, oppidum captum, & Brisaacus Regi traditus erat. Atque hæc sunt, quæ commemoratu digna hoc anno 1589. in Gallia, Belgio, alijsque Europæ partibus contigerunt. Ad annum sequentem venio.

Anno 1589. 25. Decemb. *Mœnius Pontoyse occupat.*

Comes Brisaacus capitur.

Anno 1590.

LIBER TERTIVS MERCVRII GALLOBELGICI, CONTINENS EA, Quæ anno à partu Virginis 1590. in Europa gesta sunt.

1. Ianuar. Nouiomagę strena.

NOuiomagum Gelriæ metropolis à Regis Hispaniarum præsidio custodiebatur. Erant in vrbe trium signa peditum. Inter alios Snaterus vnus erat ex centurionib. Et hic miles fortis & imperterritus; Vicarium habet tali Centurione dignum, militesque omnes Regi fideles, quibus nihil tam curę est, quam cum hoste, vbicunq; inuenerint, confligere. Hi cùm intellexissent, Arnhemienses bonam pecuniæ summam nauigio, aduerso Rheno, in propugnaculū Schenckianum subuehere, quinquaginta circiter pedites in insidias miserunt. Signum militū Ordines addiderant, qui pecuniam custodirent. Hi insidiarum nescij, in manus Nouiomagęsium inciderunt, qui tantam in illos impressionem fecerunt, vt Arnhemienses abiectis armis deditionem implorantes, fidei Nouiomagensium sese tradiderint. Signifer trucidatus est, vnà cum mesonactis quibusdam, qui in naui erant. Nouiomagenses cùm in ardore pugnæ fidē hosti promittere nolent, quidam exijs in templum Elstense irruunt, putantes se illic fore tutos. Sed Nouiomagenses cū fortiter instarent, hostes se dedere coacti sunt. ipsi autē parta victoria, pecuniā omnem, & septuaginta duos pedites captiuos secum Nouioma-

gum

gum abduxerunt. Fuit hæc quidem læta initio nouæ anni strena; sed non eodem successu hic annus ad finem decurrit. Anno 1590.

Ianuarij tertio Ernestus, Serenissimus Dux Bauariæ, Coloniensis Elector, Iubilæum Sixti Quinti in Nouembri iudultum, & missum Coloniæ iubet proclamari, serioq; rogare vt omnes subditi gratiæ summi Pontificis rationem habeant. Dominica die post Epiphaniam in vrbe; extra vrbē Dominica sequenti concionatores, seu pastores populo hoc suum mandatū significent, iubeantq; post peccatorum suorum confessionem, & sacrosanctæ Eucharistię susceptionem, Iubilæi participes sese efficiant: orentq; pro statu Ecclesiæ Catholicæ, saluteq; Reipublicæ tam in Gallia, Belgio, quàm in alijs locis vicinis.

3. Ianuarij. *Ernestus Elector, Coloniæ Iubilæum iubet proclamari.*

Nauarræus ægerrimè ferens Lotharingiæ Ducem Germanorum copias, sibi subsidio venturas, fudisse, bona Episcopi Metensis Ducis filij fisco iussit subsignari. Idem & de ijs statuit omnib. qui sub titulo sacri fœderis militabant. Quinetiam edicto publico mandauit, Lotharingum bello incessere, & quocunq; modo possent hanc iniuriam vindicare. Missi sunt itaque Centuriones duo, sub Espernonio merentes, Columbrierius, & Oliuerius, qui Lotharingiam infestarent. Hi cùm fortè in manus ducentorum equitum Sedunensium incidissent, eos penè omnes trucidârunt. Sed & Metenses, Langresij, & Cassi clam excurrentes, multis in locis Lotharingis damna non contenenda intulerunt.

Nauarræi odium in Ducem Lotharingiæ. 14. *Ianuar.*

Bercka in ripa Rheni iam multis annis à Rege Hispaniarum obsessa, & fortiter ab Ordinibus Belgicis ope & industria nunc Schēckij, nūc Nuenarij

Bercka oppugnatur à Belgijs.

Anno 1590. 30. Ianu.

narij defensa: vtroque mortuo, extrema laborans comeatûs inopia, in potestatem Comitis Caroli Mansfeltij hoc mense deditione pervenit. Militibus cum Tribunis & præfectis suis cum armis, impedimentis, & expansis signis exire permissum est. Ciuibus omnia condonata, manere vel abire cuiq; fuit liberum.

Liberalitas Pontificis Rom.

Per eosdem dies Pontifex Sixtus quintus multis Cardinalium conuentibus multa & Ecclesiæ & Reipublicæ Christianæ vtilia decreuit. Inter alia illud vel maximè laudandum, quod centena ducatorum millia in ærarium quoddam inutile, non alium in vsum, quàm pauperum, eorum qui matrimonio iungendi dotem non haberent. Alia quoque aliquot centena millia restaurandis templis, aliisq; ædificijs assignauit.

Magna Sixti in miseros liberalitas.

Ducenta quoque coronatorum millia numerauit, quibus frumenta, aliaque ad victum necessaria comparari vndique & in vrbem importari iussit, ad annonę difficultatem prohibendā. Quin etiam Archiconfraternitati *del Confalone* tria millia coronatorum annua donauit, quibus captiuos redimi, & alijs miserorum hominum necessitatibus subueniri voluit. Cùm iam antea ad Tiberim insigne Xenodochium pro mendicis debilibus vulneratis, cœcis, mutilis, ijsque omnibus qui labore suo sibi victum comparare non possunt, extruxisset, quindecimque coronatorum millium perpetuo censu dotasset. Aedes autem ipsæ tam amplæ sunt & spatiosæ, vt bis mille homines capiant tanta cum commoditate, vt vnus ab alio non impediatur. His omnibus victus datur & amictus.

Sexto deinde Februarij Nauarręo, cui alea bel-

li tur-

li tunc felix erat, & benigna, rursus alia quædam Anno
oppida, inter quæ Hausluer, Cillebecum & Cille- 1590.
uesium se tradiderunt: ita vt nunc omnis pene *Victoria Na-*
Normannia Rhotomago, pauciſque aliquot op- *tarræi.*
pidulis exceptis, eius paterent imperio. Quine- *6. Februar.*
tiam Eſpernonius & frater eius Valletius, Mom-
morantius, Lanous, qui Nauarreum ſequebantur,
alijs in prouincijs multa oppidula vi & deditio-
ne ceperunt, adeò vt res Confœderatorum pene
deploratæ viderentur, & conclamatum eſſe pu-
taretur. Plus tamen proditio interna, quàm vis
externa hac in re potuit: cùm in ſingulis oppidis
fuerint, qui Nauarræo, eiuſque religioni fauerẽt,
quorum ope ſeditiones excitatæ: Catholici victi,
arceſque & oppida Nauarræo tradita ſunt. Ex-
emplo eſt Lutetia, in qua multi Hugonottarum
religioni deuoti, omnem quærebant occaſionem,
vt hoſti vrbs dederetur. Et hoc eodem mẽſe, eiuſ-
dem farinæ homines, circiter centum, Rhotoma-
gi idipſum tentarunt. Eſt autem Rhotomagum *Rhotomagẽ-*
Normanniæ metropolis, vrbs populoſa, empo- *ſe caſtrum.*
rium celebre, & opulentum, caſtro munitum. E- *proditur Hu-*
rant in eo caſtro centum ciues, centum item Hu- *gonottis.*
gonotti: cæ factionis præſidiarij. Horum opera vi- *21. Febru.*
geſimo primo Februarij, primo diluculo Hugo-
nottæ caſtrum occupârunt; Catholicos omnes,
qui à Confœderatis ſtabant, trucidârunt; qui du-
bij erant, in ſuam ſocietatem reſeruârunt; & paſ-
ſim *Viuat Rex*, quaſi victores clamitârũt. Vicarius,
quem noſtri Locum tenentem vocant, audito tu-
multu, & arcẽ videns ab hoſte occupatam, è turri
ſe funibus demiſit, atque in vrbem ad Magiſtra-
tum, populumque veniens, eis, quo loco res eſſet,
expoſuit: & vt ſumma cum celeritate arcem de-

Anno 1590.

nuò oppugnent, hortatur. Paret Senatus, populusq; : concurritur ad arma, machinæ bellicæ octo attrahuntur, quibus muri vsq; in sequentem diem continuis tonitruis verberantur.

Postridie circa meridiem, cùm latissima strata esset ruina, territi qui in arce erant, certis conditionibus se, arcemq; dediderunt. Centurio vnus & quinquaginta circiter ex ijs, qui è ciuib. arcem occuparant, capti sunt, & paulò post extremo supplicio affecti : alij præsidiarij alijgenæ dimissi sunt.

23. Febr.

Tumultus Hispanorum in Belgio.

Hispani aliquot in Belgio Regi militãtes, cùm multa ipsis stipendia deberentur, nec vlla fieret solutio, tumultuari cœperunt. Cessabant arma, Parmensis se vt priuatum gerebat. Hispani itaq; vt quoquo modo solutionem sibijpsi procurarẽt, Centronum, in Flandria, vrbem (Cortracum vulgò) vi occupârunt, magnamq; in ea petulantiam & audaciam exercuerunt donec datis vadibus, stipendia promissa & numerata sunt. Dum hæc aguntur in Flandria, Groeningenses ab hostibus vndique cincti, periclitabantur, & opem quotidie à Parmensi implorabant. sed (nescio quo fato) res Regiæ tunc parum solicitè gerebantur. Interim VVilhelmus Comes Nassouius propugnacula quæ circum vrbem erant, vt Ime, Til, Sont, & Camp in suam potestatem redigit, totiq; territorio Groeningensi graue tributum imperat. Tandem vrgente Verdugio Parmensis aliquot copias Hispanorum, aliorumq; peditum mittit; quibus Verdugius cum comite Tsherenbergio, & 22. Ignis peditum ad Rhenum obuiam processit. Iter verò Groeningam propter felices hostium progressus non est acceleratum. Oldenzaliam deinde

Groeningenses periclitantur.

inde cùm veniſſent, per Tventam Amiſium verſus profecti ſunt, vt tandem Groeningâ venirent. Anno 1590.

Dum Verdugius in itinere eſt, Naſſouij exercitus quingentis equitibus, & aliquot copijs peditum, ductore Oberſteinio, augetur. Sed dum alter alterius vires metuit, nihil præclari actum eſt, niſi quod territorium Groeningenſe, cũ vicinis prouincijs, & VVeſtphalia miſeris modis ſpoliatæ, vaſtata, diuexataq; ſunt.

Comes Naſſouius Mauritius Bredę, patriæ vrbi *Comes Mauritius inſigni ſtratagemate Bredã capit.*
inſidiabatur. Profectus ſub finem Februarij cum Comite Holachio & exercitu Seuenbergã, Montes Geertrudis obſidere velle ſimulat. Inceſſerat hic rumor per omnia loca vicina, & iam iam vrbem fore obſidendam putabatur. Gubernator vrbis Bredanæ eò profectus, omnia ad defenſionem præparauit. Peroportunè hoc accidit Naſſouio, & abſente Gubernatore conſilium ſuum maturãdum arbitratus eſt. Erat nauta quidam, qui ceſpites (quibus nutriendis ignibus vtuntur) ex more in arcem Bredanam aduehere ſolebat. Cum hoc Naſſouius conuenit, ſeptuaginta lectiſſimos milites, quorum præfectus erat Carolus de Harauguere in aluo nauis abſconderet, ceſpiteſque ſuperimponeret, atque Bredam velificaret. Sed quia ventus erat contrarius, biduo tardius Bredam venit, quàm ſperabatur. Tertio itaque Martij ſub veſperem in vrbem appulſus, nauim per emiſſarium, ſeu cataractum in arcem ſubuehit. Quia verò hyems erat aſpera, ceſpitibuſq; in arce egerent, ſtatim nauem cœperunt exonerare. tandem nocte imminente, reſiduis ceſpitibus in naui relictis, diſceſſum eſt. Quin & nauta ſe ex itinere defeſſum dicebat; ſumerent tot ceſpites, quot

Anno 1590.

quot ea nocte in excubijs, suisq; stationibus egerent: reliquos postridie exportarent. Consilium enim nautæ erat, vt hoc modo baiulos domum remitteret, ne exonerata penitus naui, proditio detegeretur. Milites qui sub cespitibus latitabãt, vbi gentium erant, ignorabant: Tunc Præfectus eis consilium stratagematis exposuit, & vt se viros præberent exhortatus est: esse namque eos in loco, vbi ante auroram insignem parere victoriã, prædamq; opulentissimam sibi possent comparare. Profunda nocte, cùm præsidiarij omnes, exceptis solitis excubijs, altum dormirent, milites naui egressi, facili negotio, pauciscq; desideratis omnes vigilum stationes occupârunt: & postea totum castrum in potestatem eorum venit. Extemplò dato Nassouio & Holachio signo, quale inter ipsos conuenerat, subsidia venêre. Holachius primò summa celeritate aduolat, eum Nassouius secutus, & per posticum in arcem intromissus est. Eruptione deinde facta in vrbem, Itali, qui in ea erant, improuisa arcis occupatione territi, & animo consternati, non expectata pugna, turpiter vrbe relicta fugerunt. Ciues certis conditionibus Nassouio se dediderunt; quibus multa pecuniaria ad solutionem militum imperata est.

Mansfeltius Ordinum milites fugat.

Martij decimo Comes Mansfeltius Carolus, cum lecta militum manu Antvverpia profectus est, vt Ordinum copias, quæ in Oosterholt & vicinis locis considebant, Campiniamq; miserè depopulabantur, aut cæderet, aut fugaret. Cùm Ordines aduentum Comitis intellexissent, diuisis dimissisq; copijs, ad sua reuersi sunt. Comes suos in Seuenbergenses ducit, qui oppidum initio, mox etiam

etiam arcem dediderunt. Deinde & propugnaculum vicinum aliquot diebus oppugnauit: sed quia illud in littore excitatum, facilè ab Hollandis, nouo milite & comeatu defendi posset, relicta obsidione aliò exercitum deduxit. Anno 1590.

Dictum est antea Parmensem Commendatorem Morræum, cum pecunia & milite Lutetiam misisse: qui etiam id in mandatis habebat, quod promitteret, Regem Hispaniarum plures copias missurum, omnibus modis & vijs Confœderatis auxiliaturum. Cùm itaque res Nauarræi quotidie nouis partis victorijs augerentur; celeritate opus esse arbitratus Mœnius, à Parmẽsi noua subsidia flagitauit. Parmensis nouas easque paratas prælio manus, sub imperio Comitis Egmundani, in Galliam misit. Egmundanus magnis itinerib. summaque celeritate suos mouet. Mœnius re intellecta, Egmundano, ne quid detrimenti ab hostibus accipiat, occurrit, vt iunctis viribus tutiores essent. Nauarræus Druydarum oppidum (vulgo Dreux) in Nortmannia arcta obsidione premebat. Eam vt solueret, suos vndequaque euocat Mœnius, exercitumq; cogit validissimum, quem nono Martij in Druydensem agrum ducit. Marescallus Aumontius, qui Iurij ad fluuiũ Houre, fortè Eureux, castrametabatur, cum suis copijs ad Nauarræum tendit, & se eius exercitui iungit. Castra ad præterfluentem amnem locârunt. Nocte fama ad Mœnium perlatum est, Regem machinas bellicas à mœnibus retraxisse, & castra sua inter duo flumina, oportuno admodum loco, quo vndiq; illi subsidia mitti possent, fixisse. Dominus itaque de Suntes cum parte exercitus Mœniani, ad Nauarræum contendit, belli aleam periclitatu-

Subsidia sub Egmundano Parmensis Mœnio summittit.

Nauarræus Dreux obsidet.

Anno 1590. riclitaturus; an cum eo manum conferere, exercitumque illius carpere posset. Cùm in conspectum Nauarræorum veniisset, eos longè quidem à Druydarum muris castrametari, sed equites leuis armaturæ, in ripa Haudani fluminis dispersos, pontem deiecisse deprehendit, & ad Mœnium in castra reuersus est. Mœnius illo die & nocte sequenti nihil tentauit. Postridie intellexit Nauarræum Nouaucouertium (fortè Nouaucourtium) cum suis contendisse. Dux itaq; decimo tertio die per pagos Yurium & Gareinæum profectus est.

13. Martij. Hic nũciatur illi, Regis aliquot copias visas esse. Exploratum itaq; emissi sunt Rosnęus, Gessanius, Boisdalphinius. Interea Vicecomes Tauanneus ordines instrueret, exercitumque componeret, iuxta prescriptum à Duce Mœnio acceptum. Rosnæus citato equo à reliquis longius ferebatur, & quadringentos hostium equites, in 3. turmas distributos, conspexit. Quamobrem suos stitit. Sed cùm videret Nauarræos se petere, & celeriter aduentare; item pedites quoq; instructos subsequi, suos in pagum vicinũ abducit; ipse ad Mœnium redit, nunciatq; hostem in armis cum toto exercitu pugnam expectare, & iam iam appropinquare: locum prælio aptum esse, nullas esse siluas, nulla flumina. Nauarræus, quia Mœniani in duas partes diuisi erant, pugnam accelerabat, priusquam denuò coniungerentur. Interea aduenit Mœnius, aciemque in duas alas ex sclopetarijs, intermixtis hastarijs composuit: equites in medio inter duas alas constituit. Maiora tormenta extra aciem in parte sinistra vehebantur. Eadem ferè erat & Nauarræi exercitus forma. Vterque hic exercitus ab hora secunda pomeridiana,

vsque

vsque ad vesperum in acie stabat: nullæ dispo- Anno
debantur machinę nulla fiebat velitatio. Sub no- 1590.
ctem omnes in sua castra reuersi sunt. Vix vnius
leucæ spatium inter duo castra intererat. Postero
die Rex Nauarræus suos castris educit, rursus a-
ciem instruit, & in hostem fertur. Antequam ad 14. Martij.
pugnam ventum est, & Rex à suis moneretur, ne
vitam nimis temerè periclitaretur, belli aleam
esse dubiam; multum interesse, vt diu viuat inco-
lumis; ipse vicissim eos omnes ad constantiam
& fortitudinem hortatus est: ab hac pugna pen-
dere salutem Reipublicæ Gallicæ & Religionis
(vt vocant) reformatæ. Se non metuere; primum
in acie fore, pugnaturum pro lege & grege; vin-
cere aut mori velle. Dum sic alloquitur suos Na-
uarræus, Mœnius suas quoque legiones instruit.
Pagus erat in vicinijs, hunc Rex occupare nitebā-
tur, vt suas res faceret meliores. Mœnius hoc im-
pedire volens, ratus se nunc occasionem turban-
di à latere ordines hostium nactum esse, Vicecō-
mitem Tauanneſi cum Hispanis, qui in dextra
ala erant, in latus exercitus hostilis cum impetu
immisit: sinistram quoque alam, in qua Germani
& Burgundi erāt, subsequi præcepit. Dux primus
erat in acie, increpans ignauos, laudans fortes, &
omnia, vt debito modo peragerentur, cōponens.
Videns Rex se à Duce peti, sistit gradum, aciem
vertit, & tormenta maiora omnia in hostem e-
iaculatur. Vicecomes metuens, ne qui in dextra
Regis ala erant, interea pagum occuparent, in
eos grandiores aliquot pilas mittit, & equites
nonnullos in eos irruere præcepit. Fit pugnæ in-
itium. Vicecomes cum Domino Bassompierio,
& centum equitibus, primus in hostem fertur:

putans

Anno 1590.

putans omnes alios subsecuturos, sed spe frustratus est. Nauarræus interea cum toto exercitu in Mœnianos impressionem facit: ad manus venitur, collato pede præliatur. Fit atrox pugna; cadunt vtrinque multi. Equitatus Domini de Sautes, Comitis Egmundani, & album Mœnij vexillum, fortè prætorium, fortiter pugnarunt: sed tandem vnà cum Egmundano cæsi fugatiq; sunt. Peditatus quoque trucidatus, captus, & in fugam actus. Ex peditatu Gallico multi abiectis armis euaserunt. Germani armis spoliati, in castra remissi sunt. Desiderati sunt è Confœderatis Egmidanus, Chastineraijus, Darconaquius, Caueronius, Bonderfautius. Captus Boisdalphinius. E Nauarræis iunior quidam princeps Condæus cæsus dicitur. Sunt qui pugnam hanc Yurienſem non tam grauem fuisse scribunt; sed statim post cæsum Egmundanum Mœnium receptui cecinisse, & exercitum saluum abduxisse. eum verò citatis equis Lutetiam profectum, cui vrbi maximè metuebat. Nec immeritò: rumorem nunc enim increbuisse, totum Mœnij exercitum deletum, ideoque in vrbe ciues tumultuatos esse: ita vt Mœnium excluserint, vrbemque Nauarræo dedere voluerint. Postea tamen melius de pugnæ euentu instructos, Mœnium receptum, & tumultum compositum esse. Hæc illi. Vt vt est, hoc constat, magnam hanc fuisse Nauarræo victoriam.

Pugna Yuriensis inter Mœnium & Nauarræum.

Nauarræus confestim litteras Duci Longeuillæo misit: quibus prosperum pugnæ successum nunciat, suis gratias agit, & vt omnes copias suas ad Sequanam, iuxta Pontisarēses ducat, præcipit. Ipse Melodunum profectus, oppidum capit, Præsidio munit, & comeatum inferri iubet. Mox ad

Nauarræus Melodunum occupat.

Druyda-

Druydarum oppidum reuersus, illud denuò ob- Anno
sidere decreuerat, sed qui in vrbe erant, eius ad- 1590.
uentu perterriti, cum clauibus Regi occurrũt: ve-
niam præteritarum offensarum, & vt vrbs sine
præsidio relinquatur, deprecãtes. Rex quia vltro
venerant, vtrumque ipsis permisit, nisi quod Gu-
bernatorem in vrbe cõstitueret. His peractis, sta-
tim Possijum exercitum traducit. Interea Druy- *Druydarum*
darum ciues Gubernatori, à Nauarræo ipsis dato *incol. e Na-*
claues vrbis denuò extorquent, ipsumq; vrbe eij *uarræo rego-*
ciunt. Fama ad Nauarræum perlata, exercitum a- *tio facessunt.*
ctutum reduxit, & per tympanistam interrogat,
an deditionem facere vellent. Respondẽrunt op-
pidani se deditionem subire nolle, nec Regem i-
psum Franciæ agnoscere. Quamobrem Nauarræ-
us sub ipsis mœnibus exercitum duxit, & bino
impetu vrbem oppugnauit. Ciues iterum cõster-
nati litteras ad Regem mittunt, vt ipsis nouũ de-
lictũ ignoscat, & à præsidio liberos habeat sup-
plicant, se Regi, vt fideles decet subditos sacra-
mentum dicturos. Primæ petitioni Rex annuit:
sed vrbem præsidijs confirmare voluit. Tandem
hoc Regi, licet inuiti, admiserunt; diemq; dixe-
runt, quo Rex in vrbem veniret, atq; ipsi ei fidem
iurarent. Ante diem hunc fama allatum est, Mœ-
nium exercitum iterum collegisse, eiq; supple-
mentum dare, atque in itinere esse, vt ipsis subsi-
dio veniat. Iterum à Nauarræo deficiunt, & datã
fidem violant. Nauarræus tertiò vrbem obsidio-
ne cinxit, expugnauit, & omnes penè ciues ingẽ-
ti cum furore trucidauit. Felix fuisset Nauarræus,
si eadem fortuna, quæ hoc anno fuit, sine vlla mu
tatione ipsi perpetua mansisset.

In tanta Gallorum Catholicorum trepidatio-

Anno 1590.

ne, Sixtus Pontifex Romanus spectator esse, quàm actor maluit: nec vlla penè subsidia labanti Confœderatorum parti submisit: quod ægrè ferebant amici, nec satis admirari potuerunt inimici præsertim cùm potestatem facultatemq; pecuniam subministrãdi haberet maiorem, quàm à multis seculis quisquam suorũ decessorum.

Aerariũ nouum à Sixto V. institutũ.

Anno enim Pontificatus sui primo nouum, & antea insolitũ ærarium in castro Sancti Angeli erexerat, & in illud confestim decies centena aureorum millia intulerat. Auxerat idem ærarium totidem centenis millibus anno Põtificatus sui tertio. Posterioribus annis eandem summam adhuc ter eidem ærario adiecerat. Quò factum, vt nunc quinque milliones (vt vocant) auri in hoc thesauro seruarentur. Legem autem sancierat, ne quis denarium vnum ex eo depromeret, nisi certa quædam pericula imminerent, certæq; necessitates id postularent. Ne quis autem suorum successorum necessitates ignoret, in eadem lege illas his nominibus expressit. Primò, si generali Principum Christianorum fœdere decernatur bellum pro recuperatione Terræ Sanctæ: in eo bello tunc ærarium aperiendum, cùm Christianorum exercitus mare traiecerit, & hostile littus tenuerit. Secundò, si tanta esset annonæ difficultas, vt extrema populi ruina esset metuenda. Idem etiam de peste & lue grauissima periculosissimaq; intelligendum. Tertiò, si qua prouincia Christiana vel à Turcarum, vel ab hostium Ecclesiæ viribus oppressa manifestè periclitaretur: vel si quod Regnum ab hostibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ occupatum esset recuperandum. Quartò, si bellum mouereretur ditionibus ad Sedem Romanam perti-

Leges huius Aerarij.

pertinentibus tunc etiam hoste iam in procinctu existente, idem ærarium aperiendum. Hisce & nō alijs casib. iurauit ipse Sixtus, & ab omnibus suis successoribus iurari voluit, ad thesaurum hunc esse refugiendum. Confœderati itaque mirabantur, cur cùm nobilissimum totius orbis terrarum Regnum iam periclitaretur, ne ab inimicis Ecclesiæ occuparetur, Pontifex contra suum ipsius iuramentum ærarium nollet aperire, & periclitanti Ecclesiæ, Regnoque Galliæ opitulari. Anno 1590.

Legatio Hispani ad Pontificem.

Sed & Rex Hispaniarum circa hoc idem tempus ad Pontificem legationem misit, rogans eum, vt pro paterna sua bonitate, officioque sibi credito, Gallicas res defendendas suscipiat. Audita legatione, conuentus 23. Cardinalium habitus est: sed nihil certi statutum est. Cur autem Pontifex Confœderatis Galliæ non miserit ea, quæ ipsi expectabant subsidia, variæ variorum fuêre suspiciones. Italum legi, qui nuper vitam Sixti à se scriptam edidit: is adfert has; Aut, inquit, quia metuit seu credidit Pontifex ne ruina partis aduersæ Hispanorum vires, qui à Confœderatis stabant, eisque non exiguam opem ferebant, in nimiam crescerent potentiam. Vincentibus enim Confœderatis Regis Hispaniarum auxilio, verebantur plerique, eundem Regem maioris alicuius potentiæ gradum consecuturum. Nam vt Cicero ait, *Bellorum ciuilium ij semper sunt exitus, vt non ea solùm fiant, quæ velit victor: sed etiam vt ijs mos gerendus sit, quibus adiutoribus parta sit victoria.* Et quia principum ea ferè est ambitio, vt semper sua quærant dilatare pomœria: arbitrabatur fortè Pontifex, Regem Hispaniarum parta pro Fœdere victoria, vtilitatis ex

Suspiciones cur Sixtus fœderi Gallico subuenire noluit.

Anno 1589.

ea cõsecuturæ partem sibi postulaturum: id si fieret, nimiam, & non ferendam eius fore potentiã. Aut fortè, quia Pontifex existimabat Nauarræum tranquillam Regni possessionem nactum, posse populum à sancta Christi fide aberrantem ad saniorem mentem, gremiumq; Ecclesiæ reducere: quemadmodum Lucenburgius Legatus Nobilitatis Frãciæ, qui per illos dies Romæ agebat Pontifici persuaserat: & alij Galli, qui castra Nauarræi sequebantur, quotidie ad illum scribebant. Aut denique, quia idem Legatus, & Nobiles quidam è Francia eum in modum vires, potẽtiamq; Nauarræi exaggerabant, vt impossibile videretur, Regnũ ex illius manibus extorquere. Omnes itaque impensas, quæ in subsidio Confœderatis mittẽdo fierent, perituras, nec ijs aliud effectum iri, quàm vt Nauarræus magis irritetur. Siue his, siue alijs motus rationibus Sixtus, nullam opem tulit Confœderatis: nisi quod semel quinquaginta coronatorum millia (vrgente suo Legato) numerauit, ad quod se quasi inuitum adduci non obscuris argumentis significauit. Displicebat vel maximè Hispaniæ Regi Philippo, Sixti in omnibus penè promotionibus patrono, Pontificem nulla confœderatis auxilia mittere, neq; Catholicos, eos qui Nauarræi castra sequebantur, velle excommunicare. Voluit autem Rex, vt hac de re aduersus Pontificem fieret protestatio. Sed Pontifex coacto purpuratorum Senatu, sese purgauit: ostendens se iuxta æquitatis rationisq; præscriptum semper in negotio Gallico sua consilia instituisse. Constitutis itaque inter Pontificem & Regem arbitris nonnullis Cardinalibus, nulla facta est vlterior protestatio. Paucis ante mensibus

Simultas inter Pontificẽ & Regem Philippum.

sibus inter Pontificem & Legatum Regium, Comité de Oliuares, principem prudentissimum, orta erat quædam controuersia. Quare intellecta Rex misit alium Legatum in rebus Gallicis, Ducem Sessanum; sed quo tempore is Romam venit, Sixtus cœpit ægrotare; ita vt rebus tam arduis tractandis minus esset idoneus, neq; postea diu superuixit, vt suo loco dicemus. Anno 1590.

Anno præterito ex Hellesponto Danico, cum classe bellico instrumento instructissima, comitantib. regni Thalassiarcha magno Petro Munck, Stenone Brade & Breidone Ranzouio, Henrici Vicarij filio, Senatoribus, multisq; alijs nobilib. Anna, Friderici II. filia, Connestablio, seu Archimarscalco Scotico, nomine Regis suis Iacobi VI. cui erat desponsata, Croneburgi summa solennitate ac regali pompa Augusti 20. iuncta, & solito, magnis procul absentibus dominis, more in communem lectum ad locata, Calendis Septembribus Scotiam versus, inauspicato admodum soluit. Præterquam enim quòd continuis procellis & dubijs ventorũ flatibus in mari sex hebdomadas fuerit iactata, semel atque iterum ad Scotię fermè promontoria delata, toties inde reiecta, etiam cum summo vitę discrimine, relicto tandem fatiscenti, quo vehebatur, nauigio, & ascenso alio, in Asloensem Noruegię sinum rursum appulit. Quod vbi sponsus Rex iuuenis à suis accepit, ipse vitæ prodigus, omni remora, omni periculo postpositis, ex Scotia in Noruegiam adductum sponsam condendit, quam in arce Aggershusiana propter Asloem ventis operam dantem inuenit, & matrimoniali copula suo à concionibus interueniente, 23. Nouembris eodem in loco sibi adiungit

Historia de nuptijs Regis Scotiæ & Reginæ Daniæ.

Anno 1590.

iungit. Inde in Daniam à socru & Regni quatuor viris inuitatus terra proficiscitur, ibiq; 21. Ianuarij Croneburgum appelleus hyemem maturius solito irrepentem exigit. Ad eum vere nouo Vdalricus coniugis auus maternus, princeps Megap. traijcit, vt & Henricus Iulius Brunsuigius, qui die Paschatis cum Iacobi Scotiæ Regis vxoris sorore Elisabetha regali magnificentia Croneburgi præsente affine Rege nuptias celebrabat. Quib. finitis, classe reparata, feliciore alite, vento secundo 20. Aprilis rursus oram soluit, & Calendis Maijs in Scotiam cum noua Regina, quæ non multò post ibidem à proceribus regni coronata est, feliciter peruenit. Iacobo Scotorum Rege abeunte, etiam Vdalricus Megapolitanus, & post eum Henricus Julius Brunsuicensis se recipiunt: ille in Megapolin, hic in ditionem suam Brunsuicensem, vbi tanto apparatu, tanta pompa, tant s tormentorum tonitribus, hastiludijs, tanta frequentia principum (quorum vni menſæ aliquando assidentes vtriusque sexus numerati sunt vnde quinquaginta) Reginam socrum nouam nuptam sibi adducentem, in arce sua Lycaonia exceperat, vt vix lingua exprimi queat, & latius sit supersedere, quàm leuiter delibare.

Mœnius Cameracum venit.
5. Maij.

Adhuc vtraque pars Balignium Picardiæ Gubernatorem obseruabat, dubij erant omnes quo tandem inclinaret. Mœnius ad eum iter instituit. Is intellecto Mœnij aduentu, alios Gubernatores minores vndique euocat, & insigni cum pompa Mœnio obuiam proficiscitur, eum honorificentissimè excepit. Causa aduentus Ducis erat, vt conuentu Ordinum habito, Parisiensibus subueniatur. Cùm enim Nauarræus agros circum

cum Lutetiam quaquauersum desolasset, o- Anno
mnemque in ijs annonam perdidisset, metuebat 1590.
ne tandem Parisiensibus comeatus deficeret. Visum igitur est quatuor curruum millia frumento onerare, & addito valido præsidio in vrbem deducere, priusquam Rex proprius ad vrbem accederet.

Status vrbis Parisiensis tempore victoriæ Yuriensis.

Dum Nauarræus in Yurienſi prælio victor metu Galliam vniuersam tenet, multæque ciuitates se illius imperio sponte subijciunt, Parisienses quasi lethargo correpti, nihil minùs, quàm Reipubli. suæ salutem cogitabant. Non erat in vrbe Gubernator, nullus cui parebant ciues Magistratus, nullus ordo, nulla politica administratio. Ciues erant seditiosi, effrenes, fastuosi, immorigeri. Nullus erat apparatus bellicus, tormenta nulla, nisi vnum ad defensionem aptũ. Mœnia quibusdam in locis fatiscebant, in alijs vetustate collapsa iacebant, vt ascensus decensusq; non esset difficilis. Omnium autem maximum erat, quòd annonæ, seu comeatus tanta in vrbe erat raritas, vt pleriq; arbitrarentur, eam vix quatuordecim diebus posse sufficere. Nauarræus postquam à Mantesijs acceptus, & pro Rege salutatus esset, quatuordecim diebus apud illos mansit, exercitumque restaurauit. Interea Parisienses omnia quæ ad vrbis defensionem, obsidionemque ferendam erant necessaria vndique comportant: frumenti, auenæ, vinique copiam è vicinis locis sibi comparant. Idem faciunt Sandionysiani. Mœnius è fuga cum se in Fano Sanct. Dionysij aliquamdiu refocillasset, in Picardiam profectus est. Commendator quoq; de Morea, relicta Lutetia, ad Parmensem citatis equis aduolat, vt ei totam belli

Anno 1590.

Gallici faciem deliniet. Nauarræus postquá diebus iam quindecim feriatus esset, vireſq; collegisset, Parisiensibus cœpit appropinquare. Corbeilium tentat, oppidum ad Sequanam Parisijs 17. circiter leucis ad ortum distans, tentatumq; occupat. Lagny quoq; ex oppositio ad Marnam fluuium sese Nauarræo dedidit. Interea Parisienses collatis consilijs tandem conueniunt, moriendi potius, quàm Regem hæreticum acceptandum. Quod si quis reclamaret, cum sine vllo vltèrioni iudicio expectando, in præterfluentem Sequanam præcipitandum. Neq; mora, mox viginti circiter comprehenduntur, qui hanc sententiam improbabant dicebantq;, expedire cum hoste pacisci. comprehensi mox in flumen detruduntur. Gubernatorem deinde sibi creant Ducem Nemourium, vrbemque circumquaque muniunt. Tandem & sponte præsidium petunt, missiq; in vrbem sunt confestim mille pedites. Nauarræus occupato Corbeilio, vlterius proficiscitur, & oppidum Montereau vulgò dictum, ad Sequanæ & Iounæ confluentiam situm, obsidere dum parat, à ciuibus pacificè susceptus est. Inde Melodunum vrbem aquarum abundantia, & natura loci munitam exercitum ducit, quæ in illius quoque fidem, vt iam antea diximus, concessit. Mox cum Sentium, vulgò Sens, veniisset, illud totis viribus statuit oppugnare; expeditis omnibus, cùm corona vrbem inuaderent Regij Gubernator, Dominus Chanuallonius & vicini, qui in vrbem migrârant nobiles, hostem tanta cum fortitudine reiecerunt, vt non sine ignominia atque damno receptui canere, vrbemque deserere coactus sit.

Nauarræus Corbeilium & Lagniacũ occupat.

Parisienses se ad defensionẽ parant.

Die

Die tandem 25. Aprilis, Marco Euangelio Cam- Anno
pitro, inde copias suas in agrum ducit Parisiensem. 1590.
In itinere Charentonium tentatum occupat, eo- April. 25.
demque die in conspectum Parisiensium venit, Parisios obsi-
arcesque aliquot, pagos & pontes, quæ in circui- det Nauar-
tu sunt, intercepit. Paucis post diebus Parisienses rænus.
cœpit lacessere, & in suburbia S. Martini dicti irruit. At ciues erumpentes tanto cum impetu hostem aggrediuntur, vt desiderantis plurimis pedem retraxerit: Lanouio equus, cui insidebat, sternitur: ipse in femore grauiter vulneratur. Interim in vrbe machinæ bellicæ fusili opere multæ conficiuntur, ferreæ quoque catenæ fabricantur, quibus flumen claudatur. Deinde ciuium, inquilinorumque capita recensentur, inuentaque sunt ducenta millia. Cumque annonæ facta esset inspectio, deprehensum est tantum frumenti, quantum tot hominibus ad mensem vnum sufficiat, si singulis quotidie vnius libræ panis distribuatur Iterum ciues conuocantur, conuentus fit generalis, in quo iterum determinatum, neminem pro Rege assumendum, qui non sit Catholicus: præterea diuulgandum, & ad præfectos vrbis deferendum omne clandestinum consilium, omnisque proditio, & quicquid alicui innotesceret huic vnanimi consensui contrarium. Quæ cùm singuli iureiurando confirmarant, dimissi sunt. Dominus de Vitry centum quinquaginta lectissimos ducebat equites; huius animum tentauit Legatus Regis Hispaniarum, illi aliquot coronatorum millia promittens, si equitatum suũ in vrbem introducat. Obtinuit legatus quod voluit; quo equitatu vires animique ciuium vehementer aucti sunt. Habebat tunc Nauarræus in

Anno 1590.

castris duodecim millia peditum, equitum verò tria, quibus vrbem diuersis locis, diuersisque stationibus, sed extra teli iactum, circumsedit. In hoc statu res vtrinque vsque ad Calendas Iunij permanserunt.

Hollandi Nouiomagum iterũ tentant.

In Belgio Hollandi, Zelandique & Confœderati reliqui, quotidiè consilia captabant, quomodo vrbem Nouiomagensem in suas partes pertraherent. Scriptis, seditionibus, promissis id fieri non posse videbant. Insidijs, dolo, & astu sæpè frustra tentatum erat, tamen Ordinum vel maximè intererat, vrbem hanc in sua potestate esse: tum quia nulla vrbs commodior ad prædandum, varijsq; variorum Principum prouincias infestandas; tum maximè quia præterlabens fluuius VVahalis, Isala Rhenoque est profundior, quæ duo posteriora flumina æstate vix sunt nauigabilia: VVahalis nunquam non nauigabilis. Cùm itaque felicitas Hollandiæ, Zelandiæque ferè à negociatione pendeat; negociatio autem sæpè propter Nouiomagum impediretur; omninò necessariũ arbitrabantur, vrbem hanc suam facere. Iterum nouo stratagemate tentandam rem statuerunt, si spe frustrarentur, ad apertam vim progrediendum. Maij itaque decimo intempesta nocte, magna militum manus, Tilæ clam collecta ad vrbẽ venit: aliquot instrumenta secum adfert. Erant autem instrumenta hæc maioribus situlis, quibus hauritur ex puteis aqua, non dissimilia: ligno crasso, ferreis vinculis compaginato. Vulgus *patersen* vocat. Hæc puluere tormentario plena portæ vrbis, quæ à pago vicino, *die Heyelpoort* appellatur, applicant, puluereque viam aliquot passibus sternũt, & ignile artificiosè factum pul-

Stratagema.

ueri

ueri imponunt, quod eminus cum funè traheba- Anno
tur, disilientibus rotulis nonnullis, ignem euo- 1590.
mebat. Omnia hæc à duodecima hora ad secun-
dam comportârunt, & composuerunt, tanto cum
silentio, vt vigiles nihil audire potuerint. Erant
domus quædam in ipsa quasi vrbis fossa contí-
nuo muro coniunctæ. Sub hoc muro latitabant
pedites, vt effracta porta, mox irrumperent, ad-
motisque scalis inter vtramque portam, muros
conscenderent.

Omnibus paratis hora circiter tertia ignile
trahitur; ignis excitatur, oritur ingens fulmẽ: sed
ad instrumenta (Deo sic disponente) ignis nõ per-
uenit. Excubitores vi / o igne, statim nola dant si-
gnum, ad arma clamitant; hostem, hostem adesse
vociferantur. Euolant è lectis, & vndiq; concur-
runt nudi & seminudi ciues, mœnia complent,
& omne genus telorum in hostem mittunt. Ho-
stis vbi intellexit insidias detectas, & ciues in ar-
mis esse, receptui canit, & relictis omnibus in ef-
fusam fugam se conijcit. Paulò pòst cùm iam o-
mnis hostis abesset, instrumentũ portæ applicatũ
(nescitur quomodo) ignem concipit, & portam,
pendula iq; aliquot trabes perrũpit, tanta vi, tan-
toq; fragore, vt cœlum disrumpi videretur. Ter-
riti ciues inaudito illo fragore, nescientes quid
monstri hoc esset, fortiter instant, & portam, mu-
rosq; defendunt; donec illucescente die apertis
portis instrumenta inuẽta, & in curiã illata sunt.
Magna erat ciuium lætitia, Deoq; passim ob con-
seruatam vrbem gratias agebant.

Ordines Belgici Nouiomagensibus aper tam obsidionem meditãtur.

Sed postridie tristissima rursus fama vrbẽ con-
sternauit; Ordines nimirum Belgicos spe sua fru-
stratos, cùm insidijs & astu nõ possent Nouioma-

gum

Anno 1590.

gum occupare, aperto id bello, & iusta obsidione tentaturos. Eum in finem vndique; militem euocari, validissimum exercitum cogi, triginta maiora tormenta nauibus imposita esse; naues VVahalim ingressas, & Tilam vsque subuectas esse. Initio hæc fama à multis contempta est: sed cùm quotidie augeretur, & testibus oculatis confirmaretur, credita est, donec tandem decimo quinto de Maij de Lunæ illucescente tympana hostium audita, signaque & vexilla visa sunt. Octaua circiter hora exercitus aduenit, ripam è regione vrbis, pagumque Lentium impleuit. Præsidiarij Nouiomagenses ex opposita ripa multas in hostes spærulas eiaculantur, & hostes rursum in illos. Hoc modo se mutuo aliquot horis salutarunt. Toto deinde die isto sepimenta extruxerũt, gerras vimineas collocarunt, terra iniecta oppleuerunt, tuguriola sibi confecerunt. Nocte maiora tormenta aliquod è nauibus extracta disposuerunt; ita vt postridie tribus machinis vrbem verberare cœperint. Quotidie numerus auctus, donec tredecim machinis diuersis locis collocatis, turres & propugnacula, domosque ciuium conuulserint. Vigesimo Maij sub nocte primum candentes globos in vrbem miserunt, totaque pene nocte idipsum continuârunt, donec centum & duodeuiginti à ciuibus reperti sint. Miserabile hoc erat spectaculum, præsertim eo tempore quo tantus erat æstus, & siccitas, vt vix aqua in puteis inueniretur.

15. Maij.

20. Maij.

Candentes globi in vrbẽ iaciuntur.

Pauci erant in vrbe milites, sed quadraginta Venlonensibus aucti, qui fortè fortuna ea nocte cùm postridie hostis aduentaret, ciuem in vrbem deduxerant. Hos magistratus promisso stipendi

detinuit, litteraſque & legationes ad omnes vicinas ciuitates, & ad Manſfeltium, qui tunc in Campania exercitum habebat, miſit, opem, ſubſidia & apparatum bellicum ſibi mitti flagitans. Venlonenſes puluerem tormentarium, Buſcoducenſes & Grauienſes militem mittunt. Ordines enim ſeſe in Batauia continebant, neque in alteram ripam venire, & Nouiomagenſes à ſubſidijs intercludere audebant. Sed ex oppoſita ripa nocte dieque in vrbem debacchabantur. Templum D. Stephano ſacrum præclari operis turrim habebat, ornamentum vrbis. In hanc diſpoſitis aliquot tormentis quatuor ſeptimanis tanto globorum nimbo Angli inſanierunt, vt vno ſæpe die quadringentos & vltra globos eiaculati ſint. Poſt quatuor millia ictuum (vt quidam numerarunt) ſuperior turris pars, nullo hoſtium commodo, & incredibili ſumptu corruit: vno tantùm vicinæ domus tecto, homine nullo læſo. Deinde tectum vnius portæ, & duarum turrium aliarum, in quibus ſtationes habebant milites, deijciunt: domoſque ciuium, quæ ex oppoſito flumini adiacent, lacerant, ruinam verò nullam toto tempore ſternunt.

Angli in turrim primarij templi inſaniunt. 4. Iulij.

Interea Mansfeltius cum exercitu venit, & ad Moſam in ericeto Moukenſi caſtra locauit: ipſe quotidie in vrbem profectus, animum ciuibus addidit, comeatu, puluere & tormentis bellicis vrbem muniuit, claſſiarios è myoparonibus iuxta Berckam in anchoris ſtantes euocauit: quotidie traiectum in Batauiam, vt hoſtem abigat, pollicetur. Hoſtis Regios cunctari videns, nocte VVahalim traiecit, & paulo infra vrbem, opere tumultuario propugnaculum ædificare cœpit.

Mansfeltius Nouiomagã venit.

Oppi-

Anno 1590.

Oppidani hac re territi, statim ad Mansfeltiũ mittunt, opem implorantes, vt hostem abigat, & in Batauiam reijciat. Nam ab ea parte omnes commeatus, & quidquid necessarium erat, in vrbem inferri debebat. Sed & ager suburbanus vberrimus hoc propugnaculo ipsis præreptus fuisse, ita vt nec serere, nec metere, nec pascere pecora, nec fœnum resecare potuissent. Mansfeltius, intellecta rei necessitate, cum toto exercitu Nouiomagum venit: sed hostis intellecto eius aduentu, relicto opere in Batauiam reuersus est, vrbemq; sine intermissione nunc frigidis, nũc ignitis globis infestauit. Cumque videret Mauritius, ciues esse concordes, nullam oriri seditionem, nec animos eorum deficere, de soluenda obsidione cogitauit. Ne tamen omninò Nouiomagenses liberos relinqueret, validissimum ex opposito vrbis extrui iubet propugnaculum. Qui in vrbe erant, maioribus tormentis rem noctu dieq; gnauiter agebant: plurimos hostes toto hoc tempore strauerunt, operas eorum distirbarunt, & sese egregiè defenderunt. Gubernatorem namque præsidiariorum in vrbem miserat Mansfeltius Comitem Nicolaum de Ciesa Italum, cum turma equitum: is nullam diligentiam, nullum studium, nullum intermisit obsequium: impedire tamen non potuerunt, quò minus hostis propugnaculũ perficeret.

Mauritius propugnaculum è regione vrbis extruit.

Dum Mœnius Cameraci moram trahit, litteras ad Parmensem mittit, quibus significat, si quædam arcana habere, quæ litteris credere minime consultum esset. Petere igitur quantocius ad se veniat, vt simul de ijs rebus colloquantur. Parmensis acceptis litteris statim se itineri accingit,

& 22. Maij Condæum oppidum venit. Profectus est eodē & Mœnius, vbi aliquot diebus soli omnibus remotis arbitris, de magni momenti rebus collocuti sunt. Anno 1590. 22. Maij. *Colloquium Parmen & Mœnij.*

Circa finem Maij Protestantiū quidam Coloniæ Magistratui supplicem libellum obtulerunt; multis, sed non firmis argumentis Senatui persuadere se posse rati; æquum omnino esse, vt ipsis publicum Religionis suæ permittatur exercitium: Magistratus verò, vt semper, prudentissimè, constantissimeq; hanc illorum petitionem reiecit. *Coloniæ Protestantes libellum petunt Religionis exercitium.*

Cùm autem aliquot annis tam Regis, quàm Ordinum milites continuis suis excursionibus vicinorum Principum prouincias, vt Cliuiam, Iuliacum, VVestphaliam, comitatum Bentheimēsem, Diœcesim Colonienſem &c. occupationibus vrbium, oppidorum, & arcium, hybernaculis, expeditionibus, latrocinijs, deprædationibus, adulterijs, stupris & incēdijs indignis modis agitassent, vexassent, expilassent, & depopulati essent; Circulus VVestphaliæ & inferiorum prouinciarum multum apud Principes Imperij de hac iniuria conquestus est. Quamobrem initio Iunij conuentus habitus est Coloniæ: sed nihil concluſum, nisi alios Imperij Principes, & præcipuè Electorem Moguntinenſem, & Germaniæ Archicancellariū, rogandum, vt mense Augusto Comitia in Imperiali ciuitate Colonienſi, Francofurdienſi, aut VVormatienſi edicat. *Circuli VVestphaliæ querela de petulantia militum.*

Diximus antea quomodo Nauarræus vrbē Parisienſem cœpit obsidere, occupatisque vicinis arcibus, pontibus, pagis & itineribus comeatum vrbi intercludere: quæ omnia ciues amore suæ Religionis facilè contempserunt. Interea Dominus

Anno 1590.

Beaumont deditur Nauarr. ipse vrbem Parisien sem oppugnat.

nus Pontricourtius Beaumontanam quoque arcem Nauarræo dedit; eò quòd comeatu laboraret. Paulo post Nauarræus tredecim maximis machinis æneis mœnia vsque in diem quartum continuè disturbare iussit, cui Nemourius sexaginta quinque respondit, apertisque portis quotidianas in hostem fecit eruptiones. Ecclesiastici deinde omnes, qui in vrbe erant, quoque recensentur, distributesque inter illos armis, sua quoque obire in vrbis defensione munia præcipiuntur. Illorum præfecti constituti sunt Episcopus Siluanectensis, & prior Carthusianorum. Loco vexillorũ præferebatur illis imago Christi in cruce pendentis, & alia B. Virginis statua. Professionis suæ vestes non abijciebant, sed galeas, loricas, thoraces ferreos superinduebant.

Ecclesiastici fiunt milites.

Paulo post à Magistratu, & his, quibus cura vrbis erat demandata, decretum est, vt pauperes, debiles, rustici, & qui ad bellum essent inepti vrbe excedere iuberentur. Horum numerus triginta circiter millium inuentus est. Manserunt nihilominus in vrbe, dum quibusdam mandatũ hoc nimis rigidum videretur, nec esset qui executionem magnopere pòst vrgere. Legato Pontificio, Episcopo Parisiensi, & Legato Hispanico visum est, omninò expedire, vt omne argentum factum, quod in templis & parochijs erat, præter ea vasa quorum quotidie in officio diuino erat vsus, in commune conferretur, comminueretur, inde pecunia cuderetur, vnde præsidiarij soluerentur: eo lege, vt tertio aut quarto post solutam obsidionem mense restituatur. Legatus insuper Hispanicus promittebat se ex suo peculio centum quinquaginta pauperibus panem, quantum ceteris dabatur

tur, distributurum: idque se toto obsidionis tempore continuaturum. Anno 1590.

Dum hæc in vrbe constituuntur, Nauarræus molas omnes, quæ in suburbijs erant, iecto igne in cineres conuertit. In vrbe confestim eriguntur nouæ, & molę trusatiles fiunt absque numero, quibus necessitati subuentum est. Nobiles deinde quidam, qui castra Nauarræi sequebantur, Dominum Sangouartium, qui paulò ante Roma è legatione redierat, supplices adeunt, orantes, vt cum Legato Pontificio agat, si quo modo pacis conditiones inter partes dissidentes possent concipi, confirmarique, & bellum componi. Sangouartius ad has nobilium preces in suburbiũ S. Germani profectus est, in ædes Gondij diuertit, Legatumque Pontificium ex vrbe euocauit. Auditæ sunt vtrinque tam propositiones quã responsiones: Sed cùm Sangouartius cum suis intellexisset, inter oppidanos communi consensu decretum esse; Mori omnes malle, quàm Regi non Catholico parere, re infecta discessum est. Quæ cùm intellexisset Comes Soisonius, occasione capta, significauit Nauarræo, quàm necessarium esset ipsius Maiestatem Catholicã amplecti Religionem. Respondit Nauarræus; se ob Regnum Religionem suam nequaquam alteraturum. Id sibi decretum esse: si cui hic suus animus displiceat, huic liberum esse aliò discedere.

Per eosdem dies in vrbe proditio detegitur, cuius author erat procurator quidã, nomine Regnaldus, de quo supplicium sumptum est: eius complices partim capti sunt, partim fuga elapsi ad hostem peruenerunt. Mœnius sæpè litteras

Proditio Parisijs detegitur.

Anno 1590.

nuncioſq; in vrbem mittit, & cum exercitu brevi ſe adfore pollicetur, vt hoſtē à mœnibus reiiciat, ciueſque libertati priſtinæ reſtituat. Quæ promiſſiones conſolabantur populum, mirificeque animos ciuium confirmabant. Reipublicę nomine in hac ſumma neceſſitate B. Mariæ Lauretanæ ſolenne votum vouetur, ſtatim ſcilicet poſt liberatam vrbem argenteam lampadem, & nauem argenteā magni ponderis & pretij Lauretum mittendū eſſe. Sed & diuerſis in templis particulares ſupplicationes inſtituebantur, in quibus pleriq; nudis pedib⁹ incedere viſi ſunt, quas hominum frequentauit numerus infinitus ſumma cum deuotione. In omnibus parœcijs oratio continua fiebat octo dierum, multaq; alia opera pia exercebantur, quibus iram Dei deprecabantur, & auxilium diuini numinis implorabant. Interea ciues cum præſidiarijs eruptione facta ſementem, quæ in vicinis agris erat, demetunt, & in vrbem, nequicquam id impedire volente Nauarræo, important. Cùm iam Legatus Apoſtolicus omnia ſua in pauperibus erogaſſet, peculiumque ipſius ad fundum veniſſet, Hiſpanicus ſuas eleëmoſynas cœpit augere. certum genus pulméti ſingulis quotidiè diſtribui iuſſit, & equos ſuos dedit præſidiarijs, quibus veſceretur. Conſumpſit itaque omnia, quæcunque habebat, & quicquid à creditoribus accipere potuit vnum tantummodo cochleare ſibi reſeruauit. Quibus omnibus tandem nihil niſi inuidiam & odium quorundam ſibi cōciliauit, quaſi per eum untummodo ſtaret, quo minus cum hoſte pacificeretur. Quamobrem & per dies aliquot ſe-

titare

titare debuit. Sandionysiani simili omnium rerum laborabant penuria, adeò vt quotidiè panis 4. vnciarum tantùm in singula capita distribueretur. Nemoriius omni diligentia conabatur hanc eorum miseriâ submisso comeatu paulum subleuare, sed irritus erat omnis eius conatus. Quare tandem consumptis omnibus deditionem facere, ijs tamen conditionibus, quibus ipsi volebant, compulsi sunt. In istius oppidi obsidione inter alios Dominus de Bregueu cęsus occubuit. Qui cùm iam penè expiraret, confessus est, nulla se re magis angi, quàm quod Regem hactenus secutus fuerat non Catholicum, & quòd Catholicos causa fidei persecutus ferro, flammaque, vbicunque potuisset, oppugnasset. Sangouartius non multò post iterum periculum facit, an non via pacis aliqua possit inueniri. Conueniunt denuò in suburbio S. Germani: sed cum nullus absolutum haberet pacisendi mandatum, nihil effectum est, nisi quod repeterentur illa priora; Parisiensibus omnibus decretum esse, mori potius, quàm Regi non Catholico parere. Dandalotius eo tempore, & vterque filius Domini Colygnij nuper capti in vrbe seruabantur: eratque summa in vrbe miseria. Vigesimo septimo Iulij Nauarræus omnia occupat suburbia, quo id effecit, ne quis amplius ad frumentandum posset erumpere. Defecit eo tempore apud vulgus panis vsus; ditioribus quotidie panis ex auena confectus dabatur, quo etiam Principes vtriusque sexus vescebantur, non ad satietatem, sed vix necessitatem: neque enim vltra dimidiam libram singuli accipiebant.

Anno 1590.

Sandionysiani se dedunt Nauarræo.

Iulij 27.

Anno 1590.

Equinæ carnis eum in modum augebatur quotidiè pretium, vt plebeij homines non haberent vnde possent emere. Quare coacti sunt canibus & crudis herbis sine pane victitare. loco vini bibebant tenuissimum potum, quem tisinam appellabant. Quæ calamitas cum cresceret indies, vulgus cœpit tumultuari, panem & pacem postulare. Sedato hoc tumultu, post aliquot dies nouus, isque sæuior exortus est, tenuioribus fortunæ hominibus ad arma concurrentibus, & pacem aut panem miserabili non minùs, quã horribili voce postulantibus. Qua in seditione centurio quidam è ciuibus cognomine Goesius, qui ad quietẽ eos adhortabatur, occisus perijt. Dum sic tumultuatur populus, accurrit cum suis Aumalius: omnes quos in armis inuenit, iubet comprehendi, & duos ex præcipuis authoribus, qui & centurionem Goesium trucidârant, postridiè suspendi. Harum tragædiarum impulsorem authoremque aiunt hostem; cuius consilium tamen hoc modo illusum est.

Tumultus in vrbe.

Principes & Magistratus quotidiè similia aut peiora metuentes, conueniunt, & quid factu opus sit in medium consulunt. Placuit plerisque Nauarræi animum tentandum esse, si fortè ad æquas pacis conditiones posset permoueri. Dicebant enim quidam in Germania Catholicos vnà cum schismaticis pacificè viuere posse. Alij contra, Fieri hoc quidem vel ex Catholicorum clementia, vel ex eorum negligentia. Ijs verò in locis, vbi schismatici rerum potiuntur, id minimè fieri ex eo facilè colligi posse, quæ fides ab hoste expectanda esset, etiamsi æquissima quæque pol-

licere-

liceretur. Constitutum nihilominus est, etiam reclamante Nemourio, sed extrema vrgente necessitate, duos Episcopos, Parisiensem & Lugdunensem in castra ad Nauarræum legandos, vt experiantur, si quo modo non iniquo pax generalis posset constitui. Ex tali necessitate legati vrbe exeunt, quibus Nauarræus ad portam vsque Antonianam occurrit: non tamen vt amicos excepit. Cùm mandatum suum exposuissent, dixerunt facilè posse Regem his malis remedium adhibere, omnemque discordiarum, bellorum, & miseriarum finem imponere, si ad Catholicam fidem redire vellet. Id si fecerit, Parisienses confestim eum Regem accepturos, in eius verba iuraturos; non eos tantùm, sed & alias ciuitates omnes. Quibus Nauarræus; Scire se, ait, eos vltima necessitate coactos pacem quærere: se tamen Parisienses in fidem suam accepturum, si se dedât: alias ciuitates hac conditione non fore comprehensas. Nolle sibi quæstionem moueri de abdicanda hæresi: decretum enim sibi esse Religionem, quam haberet, non mutare. Iniquum esse subditos Regibus conditiones præscribere. Regem autem subditis delicta sua ignoscere decreuisse. Cùm autem legati responderent sibi mandatum nihil certi statuere, nisi de sententia Ducis Mœnij, ideoque licentiam ad Mœnium proficiscendi peterent, repulsam passi, & in vrbem redire iussi sunt. Anno 1590.

De hac Episcoporum in castra legatione quidam paulo aliter scribunt, & quid inter illos, & Nauarræum actum sit, latiùs exponunt. Nos etsi eum secuti in hac re sumus, quem omnium, quæ

Anno 1590.

in vrbe acta sunt, spectatorem habemus, tamen ne lectorem defraudemus, etiam quid alij scribunt hac de re, licet ignoti, huic loco inferere, non grauabimur. Parisienses (aiunt) in hac summa rerum necessitate constitutos, sæpe conuenisse, & inuitis Duce Nemourio, Equite Aumalio, Duce Mompenserio, & alijs, consilia captasse, quid in tali rerum necessitate agendum esset. Consuluerunt initio Panigerolam, deinde Teriū & Bellarminum Patres societatis Iesu; An excommunicari debeant, qui in extrema necessitate constituti, vrbem Magistratui vel Principi non Catholico tradiderint? Cùm responsum esset, Non debere excommunicari, Cardinalem Gondium, & Archiepiscopum Lugdunensem in castra ad Regem miserunt. In conspectum illius adducti, infit Cardinalis: Optimos ciues Parisienses, qui nihil magis, quàm pacem optabat, se ad suam Maiestatem misisse; ei supplicatum, vt sua Maiestas illis opem in hac illorum miseria & calamitate ferat, eoque consilium & studium omne conuertat, vt vniuersalis Galliæ pax restituatur: ipsis autem permittatur, idem à Mœnio petere: se infra quatriduum ad Regem reuersuros pollicentur. Rogant, etsi Parisienses deliquissent, sua Maiestas tamen iræ habenas nimium non laxet, ne fortè illis in furorem & desperationem actis, maiora ipsi oriantur incommoda; quomodo quondam Regi Galliarum, & Comiti Flandriæ è Gandauensium rebellione oborta sunt. Neq; debere suam Maiestatem tantopere indignari, eò quòd Parisienses pro fide sua Catholica tam pertinaciter pugnauerint, cùm & antea

Legatio Parisiensium ad Nauarræum tempore obsidionis.

Sancer-

Sancerrenſes idipſum ad extremum vſque ſpiri- Anno
tum fecerint. 1590.

Rex audiebat legatos cum attentione. Deinde conſulto Senatu ſuo hoc modo reſpondit: Ex mandatis, ſermonibuſque veſtris intellexi, vos ad Regem Nauarræum miſſos eſſe, vt pacem impetretis. Quod ſi ego tantummodo Rex Nauarræus ſim, meum non eſt Lutetiæ, vel Galliæ pacem donare. Vtvt eſt, hoc ignorare vos nolo, me ſubditorum meorum interitum nõ affectare. digitum autem vnum præſcindere velle, ſi cum hoſte pugnandi mihi daretur copia: duos autem, ſi vniuerſali pace partes inter ſe poſſent coaleſcere. Quod autem vos flagitatis, nunc fieri non poteſt. Lutetiam meam amo, & diligo, magnaq; eius apud me eſt auctoritas. Maxima natu filia mea eſt, ideoque & illam zelatus ſum. Maiori illam beneuolentia proſequi volo, quam ipſa poſtulat. Sed & hoc volo, vt incolæ beneficium agnoſcant, & vt ſe obedientiam debere fateantur mihi, non Duci Mænio, non Regi Hiſpaniarũ. Porrò quod petijſtis vrbis deditionem vſque in Comitia regni differri, id ciuibus non expedit, cùm tot millia fame & inedia moriantur.

Optarem ego vt vera mater apud Salomonẽ, filiam meam non diſcindi. Ligiſtarum verò ſeu Coniuratorum alia eſt intentio, inſtitutum aliud. Etiamſi illa in mille diſrumpatur & dilaceretur partes, non eſt illis curæ: tantummodo vt partem quiſque vnam rapiat. Tuæ verò Domine Cardinalis oues ſunt; Deus eorum ſanguinem de manibus tuis repetet. Et heus tu Domine Archiepiſcope, nõ ego profundus ſum Theologus;

Anno 1590.

id autem scio, Deo displicere, quod in tãtam calamitatem miserum populum adducis. Idq; non alio fine facis, quàm vt Regi Hispaniarum placeas. Quapropter & pedes aliquando tui tibi calefient. Hispano Francici estis, si verum fateri velitis. Purgabat se Lugdunensis, & se Hispanum esse negabat. Respondit Rex; Tibi nunc ego hoc credam? Sed vtinam id re ipsa comprobares. Possem tamen proferre litteras, quibus Rex Hispaniarum mandat; Sua bene custodiatur Lutetia: quæ si amittatur, id sibi magno fore detrimento.

Post hæc Cardinalis orationem suam prosecutus est, ostendens quare expediat communem pacem promoueri. 1. ait, nisi huiusmodi pax componatur, metuendum fore, ne Mœnius cum Hispano arctiori fœdere iungatur, vt coniunctis viribus Gallos obruant. 2. nisi incolis spes pacis detur, aut ipsi potius de pace subsecutura securi reddãtur, fore, vt tandem furore & insania parciti, maior quàm tertia pars in castra Regis erumpat. Rex ad nobiles conuersus: Licet illud, inquit, quando lubet; discent fortassis, & quidem suo malo, Nobilitati Franciæ Martem nõ in lingua, vel pedibus, sed in pectore & manu esse. Addidit præterea: Miror, inquiens, vnde hæc Parisiensibus audacia, vt se iudices atque arbitros inter me & hostem meum Hispanum offerant, haud aliter, quàm si Lutetia libera esset Respublica, instar Venetorum & aliorum. Ad hæc Lugdunensis: Optatam, inquit, pacem toti Franciæ fore vtilem. Cui respondit Rex; Age, per id lubet nunc & tibi & vniuerso mundo falsam imaginatio-

ginationem vestram demonstrare. Putatis enim nobis decretum esse seueriter, dureque vos habere & cogere. Ecce medium inueni; quamuis id cum his, qui mihi à consilijs sunt, non expendi. Duo in Mœnio Duce considero: vnum, quia vos hac obsidione putat se posse virtute & armis liberare. Alterum, quod arbitratur se posse vobis vniuersalem pacem procurare. Vultis igitur Lutetia octiduo libera sit ab exercitu, & respiret? agite, conditiones offerte, fideiussores & obsides date; quod nisi interea Mœnias non veniat, & obsidionem vi soluat, aut vniuersalem pacē constituat, mihi deditionem facietis? Interea dabitur vobis potestas ad Mœnium proficiscendi, & cum eo pro arbitrio vestro paciscendi. Plura vobis permittere, aut polliceri non possum. Sin autem expectare maluerint Parisienses, donec vnius tantum diei superfit annona, vltimam illā cœnam cum iucunditate sumant, per me licet. Id autem eos scire velim, postridie *Misereis* negatum iri, & solum *Cordam* illis superfuturam. Ad id enim ratione officij mei, vt qui illorum sum Rex & iudex, impellor, vt supplicium sumam de his, quorum culpa tot homines innoxij perierunt. Hæc populo meo referetis. *Misericordiā Parisiensibus negandam.*

Anno 1590.

Quantum ad exemplum Sancerrense, non habet hic locum: de illorum enim vita, opibus & Religione agebatur: omnia enim hæc illis adimere voluerunt. Ego è contrario meis Parisiensibus dare volo, quod Mendoza Hispaniæ Legatus ipsis inuidet, & suffurari conatur. Quo ad causam Religionis, de ea testentur, qui apud me sunt, & se meo imperio subiecerunt, an eorum

Anno 1590.

conſcientias vel in minimo cogere voluerim? Magna quoque differentia eſt inter Pariſienſes, & Gandauenſes. quam enim illi magnanimi ſint, vidimus nuper, cùm eorum ſuburbia occupauimus. A me, laus Deo, plus quã 500. Nobiles ſtant, à me iuſtiſſima cauſa, &, cui maximè confido, Deus ipſe.

Archiepiſcopus Lugdunenſis inter alia commemorauit, quid in negotio tractandæ pacis inter Regem Henricum & Ducem Guiſium anno à nato Chriſto 1585. egerit. Cui Nauarræus, Illum iſtius pacis mentionem facere non debere: in ea enim ſe excommunicatum, & ad regni ſucceſſionem inidoneum eſſe renunciatum. Sed Deus, inquit, ad quem confugi, & quem appellaui, aliter iudicauit, aliamq; ſententiam pronunciauit. Sed & pax illa bellum fuit totius Franciæ, fons & origo mortis Henrici Regis. Ad hęc Lugdunenſis, Rogatu Regis iſtius pacis tractatio ſuſcepta eſt. Reſpondit, qui aſtabat, Nobilis quidam, id tantum non verum eſſe, vt contrarium poſſit facilè demonſtrari. Sub titulo namque hæretici, eum qui ſanguine & cognatione Regem proximè attingebat, iſta pace diademate ſpoliari. Deinde Rex oſtendit Legatis literas, non ita pridem a Mendoza Legato ad Regem Hiſp. datas. in quibus conqueritur, Theologos in admittenda hac legatione nimis fuiſſe præproperos. Tandē Nauarræus equum conſcendit, & relictis legatis in caſtra ſeſe recepit. Hæc quæ recenſuimus apud duos tantùm ſcriptores anonymos inuenio. Verāne igitur ſint, an ex compoſito ficta, cuique ſuum iudicium relinquo. Quemadmodum &

lam Villoranij, duorum Regum Secretarij legationem, quem postea ter ad Nauarræum missum scribunt, vt eum ad æquas conditiones pacis induceret. At Regem à nomine pacis abhorruisse. Dimissis Legatis Nauarræus confestim tredecim maiores machinas in mœnia, iuxta portam S. Germani conuertit, & muros sine intermissione verberare secum statuit. Priusquam tamen opus hoc aggrederetur, alia via faciliori rem tentandam ratus est. Litteras ad Gubernatorem Nemourium misit, quarum hæc erat summa: Nemourium hactenus fortitudinem & militarem animum satis superque demonstrasse; caueret ne nimis præfractus & obstinatus sit; memor esset eorum, quæ hactenus acciderant, quæque adhuc accidere possent. Frustra illum auxilia & subsidia expectare. Omnibus auxiliaribus copijs viã esse interceptam; nullas ad illum sine cruento prælio peruenire posse. Quod si in isto prælio Deus sibi (Nauar.) fortè ob peccata sua victoriã denegaret, Confœderatique triumpharent, debere etiam tunc Nemourium in manus Hispanorum incidere: quorum impietatem, immanitatemq; parem in hoc mundo nõ habere dicebat. Tempestiuè itaq; saperet, & ad saniora consilia rediret: Regem se agnoscere, quẽ hactenus semper amicum habuisset. Ad has litteras nihil respõsum est, nisi quod Nemourius paulò pòst Admirallio Franciæ scribit; Nauarræo significaret, se quidem eius esse ministrum; sed magis Catholicæ; veræq; fidei defensioni deuinctũ. Si Nauarræus ad gremium Ecclesiæ Catholicæ redire velit, se primũ fore, qui illi in Regni & diadematis adeptio- Anno 1590.

Anno 1590.

adeptione suffragaretur: facturumque se, vt Parisiorum portæ omnes illi pateant. Quòd si hoc Nauarræus facere detrectauerit, Parisiésibus decretum esse, secum mori malle, & sibi mori cum illis, quàm quidquam iuramento suo contrarium agere. Crescebat fames quotidiè, & iam mors ob oculos versabatur, nec tamen à proposito potuere aut ciues, aut Principes reuocari. Quanta verò tunc in vrbe necessitas fuerit, suo loco dicemus, ne quæ alijs in locis acta sunt, multis nimis passibus post nos relinquamus.

Incendium Bonnense. 26. Iulij.

Bonna colonien sis Diœceseos vrbs iam toties ab hostibus capta & recepta, nouo per eosdem dies infortunio magis deformatur. Templum enim in oppido est antiquissimũ, ab Helena quondam in honorem Cassij, Florentij, aliorumque Thebæorum Martyrum ædificatum, & plumbo tectum. Festo Iacobi, Hispaniarum Apostoli, hora pomeridiana sexta fulmine turris concussa, ignem corripuit, & quidquid in illa combustile fuit, deflagrauit. Plumbum liquefactum distillans prohibebat, ne pateret accessus. Quo factum, vt exusta turri, templum quoque magna parte exarserit. Hinc Enneastichon illud quidam composuit.

Aedes qVaM CeLebrIs Bonnæ ConstrVXIt HeLena
IaCobI festo fVLgVre taCtarVIt.

Colloquij Badensis exitus

Superius cõmemorauimus colloquium Theologorum Protestantium & Catholicorum, præsidibus Pistorio, & Smidelino, à Iacobo Comite limitaneo Badensi institutũ, huius fructum circa hæc tempora vidimus. nam Smidelinus cùm modum in disputando, antea propositum, non

seruare
respond
termin
ret: Pist
quas eu
putaret
Smidel
hoc co
parand
agro D
nari. C
contex
tum Sm
cap. 10.
Pistoriu
ficeret, e
Syllogis
cticam i
set eius
Theolog
Quod si
re nolu
atq; ita
Smidel
alijsq; I
minem
Quo
quit: Se
probare
Hic bo
reuolui
tur, inu
no suo r

seruaret, absurdè quędam proponeret, absurdius Anno
responderet; Dialecticos syllogismos quatuor 1590.
terminos habentes singulis momentis proferret: Pistorius illi 12. propositiones præscripsit ad quas eum respondere postulauit, si quam falsam putaret, illam scripturæ sententijs impugnaret. Smidelinus ad eas respondere non potuit. Vnũ hoc contendit, Hæreticos ab Ecclesia non esse separandos. Probauit hoc parabola Euangelica, in agro Dominico bonum & malum semen seminari. Cui respondit ipse Comes. Non legi in hoc contextu nomen Ecclesiæ. Secundum argumentum Smidelini erat ex 1. Epistola ad Corinthios cap. 10. desumptum; Oportet hæreses esse. Cùm Pistorius peteret ex hoc loco Syllogismum conficeret, excandescens Smidelinus, sibi nihil cum Syllogismis esse, ait, negotij:, totamque Dialecticam improbauit, & reiecit. Comes cùm vidisset eius immodestiam, ait: hac lege Tubingenses Theologos vocatos, vt Dialecticè disputaretur. Quod si conditionem, seu legem illam acceptare noluissent, ad colloquium eos non vocasset, atq; ita eos dimisit. Quin & hoc ante colloquiũ Smidelino accidit, quod præsente Principe hoc alijsq; Nobilibus dixit: Catholicos docere; Hominem morte Christi non posse saluari. *Smidelinus bis pudefactus.*

Quod cùm à Nobili quodam negaretur, inquit: Se id Tridentini Concilij testimonio posse probare, Prolatum est Tridentinum Concilium. Hic bonus Smidelinus omnes paginas voluit & reuoluit, nihil quod suo proposito patrocinaretur, inuenit. pudefactus librum clausit, & Domino suo reddidit. Eodem tempore aliam absurdã

senten-

Anno 1590.

sententiam ex Magistro sententiarũ citauit. Traditur liber, quod allegarat non reperit.

Marchio Badensis fit Catholicus.

Obseruârat hæc omnia Badensis, & dimissus cum honore protestantibus, Pistorio Patriq; Busæo, Societatis Iesu Theologo, Nouiomagensi se catechizandum tradidit, atque tandem, circa hoc tempus, eiurata Religione Lutheranica, Catholicam, summo Pontificis Maximi Sixti V. omniumq; Catholicorum gaudio, professus est.

Parmensis, etsi Legatis Nouiomagensibus toto legationis tempore serijs verbis promiserat, seipsum venturum, & ciues ab hoste liberaturum, postquam tamen è fontibus Spadanis Bruxellam venisset, in fine Iulij etiam Mansfeltium cum exercitu reuocauit, & vrbem mille periculis expositam desolatam reliquit. Mille tantùm modios frumenti, & centum circiter vasa pulueris tormentarij, ciuitati donauit.

Mansfeltius à Parmensi reuocatur.

Causam cur Mansfeltius Vvahalim nunquam traiecit, esse quidam asserunt, quia Parmensis interdixerat: sibi necessariò in Galliam proficiscendum cum valido exercitu, ideoque suos periclitari nolle asserens. Initabat nunc illud exempus, ideoque Mansfeltium vocauit.

Hic diu antequam discederet vrbi ad defensionem necessaria reliquit, & munitissimum castrum, paulò infra vrbem positum, Doddendalium, consentiente Domino, occupauit; in eo præsidium, sub imperio Boëlij, fortissimi & fidelissimi Regi militis Amstelredami honestis parentibus nati, reliquit: ipse Mosam traiecit.

Secutus est eum Comes Nicolaus de Cieta & successit ei in vrbis præfectura Nobilissimus vir,

Dom
cùm a
stentar
tradux
simula
Ind
Dodd
so sita
dens &
sus. S
di no
ditior
tit, &
testate
ne vir
gus es
ram, n
ditione
ducitur
fidelis
secutus
cium ra
ce ince
iam r
genfi s
gnacul
dugius
nitiss
catarac
num R
sum in
in insid
hostes c

Dominus Galeinius, cum signo peditum. Hostis cùm auditet abitum Mansseltij, vt vires suas ostentaret, maiorem exercitus partem Vvahalim traduxit, & Regios se insequi ad Mosam vsque simulauit. Anno 1590.

Inde reuersus 1. Augusti, attractis tormentis Doddendalium oppugnat. Arx in solo paludoso sita est, ideoque munita, sed quia æstas hæc ardens & sicca fuerat, facilè ad illam patebat accessus. Strata igitur latissima ruina, cùm arx defendi non posset, & hostis non nisi suo arbitrio deditionem vellet acceptare, Boëlius in ruinis stetit, & in pugna mori, quàm viuus in hostium potestatem venire maluit. Domina arcis rogauit, ne vir tam pulcher & iuuenis, tam vitæ prodigus esset: arcem dederet, se pro illo intercessuram, nihil subesse periculi. Paruit Boëlius, deditionem facit. Capitur confestim, ad Mauritiũ ducitur, nullus veniæ locus est, eò quod nimis fidelis fuerat Regi, cuius castra ab anno 1578. secutus fuerat, damnaretur itaque, & ad supplicium raptus, vitam cum morte commutauit. Arce incensa Nassouius cum suis iterum in Batauiam redijt, & paulò pòst obsidione Nouiomagensi soluta, in Hollandiam relicto in propugnaculo præsidio validissimo reuersus est. Verdugius paulò ante in Frisia Emmentillium munitissimum propugnaculum intercipit. Noua cataracta, vulgo *Nieuwijl* obsidet. Sed cum Dominum Roderigium cum nouo equitatu ad se missum in procinctu esse intellexisset, hostem autẽ in insidijs eum expectare, relicta obsidione, ad hostes contendit; quos cùm partim trucidasset, partim

1. Augusti. Doddendael deditur. 19. Augusti. Verdugius Emmentillium occupat.

Anno 1590.

partim fugasset, Roderigio procedit obuiam, eumque honorificè exceptum iu Frisiam incolumem deduxit.

Parmensis in Galliam proficiscitur.

Parmensis iam antea, primo Augusti, Bruxellis magna cum celeritate Mõtes Hannoniæ profectus est. Inde Valencenam, Valencena in Picardiam, atque per Veromanduos in Franciam equitatum, peditatumq; octodecim circiter millium, animis omnes inuictos, armis & vestitu regio more exornatos secum ducens, magnis itineribus contendit.

Legatio Principum Germanorum ad Parmensem & Ordines. 23. Augusti.

Conuentus, quem 6. Iunij Circulus VVestphalicus ab Electore Moguntino edici petierat (fortè propterea quod maior Principũ Germaniæ pars Smalcaldiæ conuenerat, de Nauarræo, vt dicebatur, subsidijs mittendis in medium cõsulens) in aliud oportunum magis tempus prorogatus est. Nihilominus ob instantem necessitatẽ Moguntinus, Palatinus, Iuliacensis & Vvestphali, cum cæteris inferioris Rheni Principibus, Legatos suos primò Bruxellas ad Parmensem, inde ad Ordines Belgicos miserunt. Qui in Hollandiam venientes 23. Augusti, ad colloquiũ admissi, quod in mandatis habebant, expoliverunt: cuius hæc erat summa. Principes suos pro veteri amicitia petere, vt vtraq; pars, tam Regis quàm Ordines reddant omnia oppida, arces & propugnacula, quæ in Rheni vtraque ripa & in solo imperij Romani subdito vel occupârant, vel ipsi extruxerant. Imperium enim subditosque quotidianis excursionibus illorum, qui in ijs sunt, damna, cladesque intolerandas accipere. Quid Parmensis responderit, non inueni-

Eorum

Eorum verò, quæ Ordines responderunt, hæc Anno
summa est. Etsi durâte hoc bello digna indigna- 1590.
que perpessi sint, sibi tamen pristinam illam in-
dolem & innatam bonitatem remansisse: ita vt *Ordinum ad*
nihil sibi aut gratiùs aut antiquius esset, quàm *Legationum*
cum vniuerso mundo, maximè cum vicinis Prin- *amara re-*
cipibus amicitiam colere, vt pacem, vnitatem- *sponsio.*
que diu desideratam, vel tandem consequantur.
Ideò molestum esse Ordinibus se malè audire,
& insimulari, quasi ipsi sint ij, qui pacem, tran-
quillitatemque pristinam turbârunt: ideò mole-
stius esse, quod spargantur hæc ab ijs, à quibus o-
mne genus subsidij petere debebant: & qui me-
rito singulari simpathia prouinciarum Belgica-
rum miseriam, & deuastationem deplorarent, in
quibus tantum incendium excitatum est, vt fieri
non possit, quin scintillæ in vicinorum suorum
Principum & Dominorum prouincias profiliãt.
Velle igitur flammam hanc extinguere in alijs
prouincijs, quandiu in meditullio earum pro-
uinciarum, quas natura ipsa coniunxit, quotidie
magis accenditur, certè nil aliud esse, quàm cum
Dijs pugnare: nisi quis posset exteriora membra
sanare, corde intus infecto & deficiente. Se neq;
occasiones vllas dedisse, neque mandasse, neque
permisisse, quod vnquam vicinorum Principum
regiones à suis infestarentur: contrarium enim
& mandata publica: & de pręuaricatoribus sum-
pta testari supplicia. Fieri quidem posse, vt non-
nunquam in eo delinquatur, & Ordines non sem-
per eam disciplinam seruent, quæ seruari debe-
bat: tamen idipsum potissimum factum peruer-
sis hostium suorum machinationibus, tum etiam

Anno 1590.

quia indissoluto militum grege, nõ semper laudabilis ordo potest retineri. Non hoc nouum esse, nec vlli quàm Ordinibus magis noxium.

Tolerabilius tamen esse leue malum, exiguo tempore spe boni subsecuturi perferre, quàm maius malum expectare. Hoc est, quàm & hi & illi ad perpetuam ruinam tam Belgij, quàm vicinarum prouinciarum sub iugum insatiabili, sanguinem sitientium, & superborum Saracenicorum Maranicorum Christianorum absolutæ Monarchiæ mittantur. Hic Regem & Regios infinitis, ijsque maximis onerant flagitijs & criminibus. Quod sacra Biblia prohibuerint, Hæreticæ prauitatis Inquisitores introduxerint, iuramenta, priuilegia violauerint, exactionibus populum grauarint, violarint, clerum Ecclesiasticos sustulerint, Nobilitatem extinxerint. Horum omnium Germaniam ipsam quàm plurima vidisse exempla. Testari eadẽ latrocinia tot myriadum Indianorum, & Granatensium, Monarchiam Neapolitanam & Mediolanensem, tyrannicam & iniustam inuasionem Lusitaniæ, benignissimum, optimumq; Principem, coronatum Regem Antonium consanguineum suum illinc expellendo factam. Testari hæc execrãdum propositum inuadendi Angliam & Hiberniam: vim rapinas, & iniustas detentiones tot vrbium ad imperio pertinentium: clandestina consilia occupanda Scotia. Denique subsidia, quæ quotidie in Galliam mittuntur. Omnia hæc testari quid quærant per hanc Hispanicam Saracenicã & Maranicam dominationem. Solam Franciam palam lamentari, & suum exitium lugere. Intentio-

tentionem horum Coronam affectantium non esse, quia Rex iniustis modis ad diadema peruenit: sed quia Hispanorum huic Monarchiæ plurimum obesset, si Regnum hoc ad legitimos suos hæredes deuolueretur. Hanc ob causam licitum esse incolis Franciæ bellum gerere aduersus Regem suum, vt inuent in suo instituto hos Saracenos. Non vt ipsi in libertate viuant, fruantur his, quæ Deus & natura dederit; sed vt proprium Regem suum coërceant, & à Religione sua, in qua natus & educatus est, resilire, & diadema relinquere compellant. tantum modò vt ad hanc Seracenicam dominandi rationem perueniant. Quod si aliquando fuerit crimen læsæ maiestatis, & rebellionis, si subditi oblata certa pecuniæ summa Duci, Comiti aut Domino suo supplicauerint, vt ipsis libertas conscientiæ & Religionis permittatur: Certè maius crimen esse Francos, quibus libertas hæc permittitur, incitari, vt manus violentas in diadema Regis sui injciant, nisi ipsorum religionem velit profiteri. Anno 1590.

Magna esse horum Saracenorum priuilegia, quibus licet, quod ipsi in alijs vt capitale damnant: vt quasi ex leges ipsis legibus, hoc est conscientiæ corporibus & fortunis miseræ plebeculæ pro libidine dominentur: hoc modo astu & dolo commune vulgus decipientes, & ignorantia populi abutentes, vt eis persuadeant licere in Regem suam arma sumere, idque non alio fine, quam vt ipsi interim se regni Dominos constituant.

Non posse igitur culpari Belgas, vel vt supra insimulari, eo quod tot tyrannicis in Indos, Granatenses,

Anno 1590.

natenſes, nobiles & plebeios harum prouinciarum exemplis territi, agunt, quod vxoribus, pueris & ſubditis ſecundum leges aduerſus maritos, parentes & Dominos agere licitum eſt. Rationi quoq; repugnare, ſi quis eos ob hoc tanquam perturbatores communis patriæ, perfidos, iuramenti & promiſſionum immemores, & conſtitutionum Imperij tranſgreſſores velit appellare. Ordines certò ſibi perſuadere, ſe iuramento & promiſſionibus ſuis pro viribus ſatisfeciſſe: ſperare quoque ſe; in hoc propoſito progreſſuros, & perſeueraturos eſſe. Optare interim tanquam membra quodammodo Imperij (quales olim agniti ſunt, & adhuc agnoſci meritò debebant) ab ipſo Imperio ſubſidium & opem, aduerſus vim & immanem oppreſſionem ſuorum inimicorũ & hoſtium.

Id ſe ſæpiſſimè cùm per libellos ſupplices, tum etiam per miſſos Legatos magni nominis viros flagitaſſe: ſed & etiamnum flagitare: vt ſecundũ ſtatuta Imperij omnes externi milites, vt Hiſpani, Marani, & alij terminis & limitibus imperij eijciantur. Fututum enim hoc modo, vt Superior cum Inferiori Germania rurſus ad priſtinam concordiã & amicitiam poſtliminio reuertatur, & commercia vtrinq; reſtituantur. Quod ſi id impetrare non poſſint, rogare ſe ſaltem Electorem, alioſq́ue Duces, Principes & Ordines, vt quicquid in hoc laborioſo bello egerint, candidè interpretentur, vt tanto maiori cum fiducia & alacritate labores, moleſtias & ſumptus, quę in hoc bello ad defenſionem patriæ ſuſcepto occurrunt, perferant, & in perferendo perſeue-

rent,

rent, ne prouinciæ Belgicæ per proprias suas cō- Anno
moditates (quæ non exiguæ sunt) in eam calami- 1590.
tatem deueniant, vt perpetuò sint sedes & media belli, ad interitum & ruinam omnium vicinorum, ad ædificationem verò illius Monarchiæ Saracenicæ.

Ordines extrema necessitate compulsos esse arma sumere. Quidquid inde deriuatum est non aliò spectasse, quàm ad defensionem: vt sua tuerentur, & quod sibi vi, arte & insidijs iniustè in prouincijs Belgicis ereptum erat, id ipsum recuperarent. Nunquam sibi decretum fuisse, sed neque adhuc esse, vicinorum suorum oppida, pagos, arces aut propugnacula intercipere. Ideoq; se tam diu non expectasse, vt opus fuerit ipsos de horū restitutione admonere. Fuisse quidem nonnullos; qui sustinuerunt propugnaculum Schenckij, in insula Comitis (vulgo tsgrauen vveert) in solo vicini Principis exstructum: sed eis satis perspicuè demonstratum esse, locum illum ad Ducem Gelriæ pertinere. Præterea munitionem istam à Schenckio magnis Ordinum expēsis excitatam; quæ post mortem illius, cùm machinationibus hostium, tum etiam rebellione præsidiariorum, parum aberat, quin in potestatem hostium veniisset; nisi Ordines magna pecuniæ vi eam à præsidiarijs redemissent. Huc accedere, quod ædificata est, & adhuc eo in loco conseruatur, non vt ex ea quispiam detrimentum accipiat; sed propter necessitatem, vt per eam arceātur hostes, ne in prouincias suas irruant. Hoc ipsum etiam in Constitutionibus Imperialibus approbari, nimirum licere in tali casu sepimen-

Anno 1590.

ta,&propugnacula etiam in alieno solo exstruere, eaq; durante bello aut necessitate inuito Domino detinere & defendere. Ad tollendam tamen omnem dissidij occasionem, quæ ex hoc propugnaculo posset oriri, Ordines principibus denunciare, se non velle nisi legitimis modis & vijs, æquis etiam conditionibus (si quo modo liceat) procedere: adeò vt ipsi Principes fateantur, sibi satisfactum esse. Hostes suos Hispanos vbiq;, & diuersis locis Imperio subditis, ad Rhenum oppida & munitiones occupasse, & adhuc occupare, non vt se defendant, sed vt pomœria sua proferant.

Tandem concludentes dicebant: Se promptos & paratos esse, omnia, quæ in Imperiali solo occuparent, & hostibus suis extorquere adhuc possent, legitimo suo Domino reddere: vt antiquum fœdus, & pristina cum vicinis suis Germanis amicitia confirmari queat, & augeri. Qua in re se eam beneuolentiæ & omnis obsequij significationem exhibituros, vt Principes reipsa comperiant, ipsos nihil quàm amicitiam & mutuam confœderationem desiderare: vicissim ab illis omne consilium & auxilium sperantes. Tandem orant Legatos hoc suum responsum Principibus ac Dominis suis fideliter referant. Hactenus Ordines: ex quo responso perspicuè satis liquet, quo animo Hollandi sint in Regem suum, & omnes eos qui Regis partes sequuntur. Præterea quæ spes pacis inter has duas partes conciliandæ, cordibus sic, animisque exacerbatis. Crederem equidem neque Turcam de Imperatore, neq; Imperatorem de Turca huiusmodi in solenni alio-

rum

rum Principum legatione dicturum esse. Sed ad historiam redeuntes, ad inauditam Parisiensium calamitatem reuertamur. Anno 1590.

In familia Legati Apostolici, Legati Regis Hispaniarum, vtriusque sexus Principum singulis Nobilibus panis sex vnciarum distribuebatur. Communis populus summa premebatur inedia. Bis mille equi iam mactati, & eorum carnes erant absumpti. similiter & octingenti muli & asini: canum, felium, glirium, non erat numerus. His enim pauperes vnà cum pampinis & alijs herbis virentibus vescebantur. Guardianus Monasterij Fratrum Franciscanorum testabatur toto octiduo panem in suo monasterio visum non fuisse. Fratres virentibus tantũ herbis, & auenaria pulte victitasse. Quibus non erat facultas, etiam tam vilem cibum sibi comparandi, in plateis inedia moriebantur; adeò vt vna nocte sæpe ducenti exspirarent, quorum cadauera manè in plateis reperiebantur. Vrbe ab obsidione liberata, eorum qui fame trimestri spacio interierunt, subductus est numerus, inuentaque sunt tredecim circiter millia. Postea equorum, mulorum, asinorumque tergora cocta vendi cœperunt, quæ tanto cum appetitu, tantaque cum voluptate comedebantur, quanta olim optima edulia, dapesque lautissimæ consueuerunt. Pro infirmis vinum haberi non potuit, nec panis similagineus, nisi pro libra duo coronati soluerentur: Libra butyri duobus, post tribus coronatis vendebatur: ouũ denariis Francicis (Sous nominant) duodecim; mensura frumenti (quam illi Septier nominant) centum viginti coronatis: ad eundem modum

Incredibilia & inaudita Parisiensiũ fames.

Quot fame mortui.

Faciunt tres marcas Colonienses.

Anno 1590.

singula quæque erant cariſſima. Pauperes edebãt mortuos canes in plateis iacentes, crudos & incoctos: ſed & inteſtina quorumuis animaliumà delicatioribus abiecta; mures etiam & glires inedia mortuos, oſſa canum, præcipuè capitum, aliorumq; animalium contuſa in cibum conuertebantur. Præterea præſes quidam affirmauit, ſibi notiſſimum eſſe, in hac intolerabili fame 22. pueros occiſos, coctos, & abſumptos eſſe: res horrenda, & à captis Hieroſolymis penè inaudita. Similis erat inopia lignorum, & omnium quæ ad nutriendum Vulcanum requiruntur: Huc accedebant innumeri morbi; ægrotantium numerus erat infinitus, totaque vrbs vnum quaſi Noſocomium. His malis nullum erat remedium, niſi dura continuaque patientia, quæ tanta erat, vt hominum fidem multis paraſangis excedat.

22 pueri comeſti.

Lætum nuncium de auxilio aduentante.

In hac extrema rerum omnium neceſſitate optatiſſima allata eſt in vrbem fama, Mænium cũ ſubſidio quindecim armatorum millium aduentare, & Parmenſem non tantùm ſuas copias mittere, ſed ſuam quoque perſonam præſentem adeſſe, Iatinumque (vulgo Meaux) peruenisſe. Exceptus eſt Parmẽſis hic honorificentiſſimè, poſtquam proteſtatus eſſet, Regis Hiſpaniarũ, Principis ſui mentem nequaquam eſſe, vllas vrbes, oppida, caſtra, aliave loca occupare, ſuoque imperio ſubijcere: quemadmodum maleuoli calumniabantur, ſed tantùm Catholicis in pio ſuo inſtituto auxiliari, vt impediatur, ne Rex quiſpiam non Catholicus in Regni thronum admittatur. Id ne fiat, ſe quoque, ait Parmenſis, vitam & ſanguinem velle periclitari. Cùm Nauarræus

hæc

hæc per litteras, nuntioſq; didiciſſet, confeſtim publicam fidem in vrbem Pariſienſem ad Prælatos mittit; additis tabellis mundis, ſeu charta pura, quam blancam vocant, ad captiuum Dandalotium, in eundem quoque finem. Petit in caſtra veniant, pacemq; qualemcunq; velint conſtituant: Religionis ſaltem mentionem non facerent. Ad hanc Nauarræi poſtulationem iterum in caſtra miſſi ſunt Cardinalis Gondyus, Pariſienſium Epiſc. Lugdunenſium Archiepiſcopus Petrus, & alij nonnulli, vt ad Mænium proficiſcantur, quod illis permiſſum eſt. Sed cùm nihil efficeretur, Cardinalis in caſtrum ſuum ſeceſſit: Archiepiſcopus ad Nauarræum veniens, ſignificauit illi, rem nunc in celeritate poſitam: non poſſe quicquam abſque conſenſu Parmenſis conſtitui. Qui in exercitu Nauarræi erant, ex hoc vendere cœperunt Pariſienſibus omnem commeatum, ea conditione, vt ex vrbe in caſtra efferrentur, quæ ipſis erant neceſſaria; quæ mutua negotiatio magnam oppidanorum famem nonnihil ſubleuauit.

Anno 1590. *Nauarræus pacem petit.*

Parmenſis interea totum cogit exercitum, coactumque poſtridie Lutetiam mouet. Huius aduentus certior factus Nauarræus, conuaſatis omnibus & ipſe exercitum colligit, & 30. Auguſt. Mænio procedit obuiam. Aiunt, ſi adhuc quatriduo in obſidione permanere potuiſſet; oppidanos volentes nolentes portas illi aperire debuiſſe: imò rogare, vt quali conditione vellet, ingrederetur. Sed hic ſeruire nonnihil affectibus exiſtimo, vt Nauarræo augeatur dolor & pœnitentia. Magna fuit in vrbe lætitia, Legati, Nemourius,

Parmenſis Lutetiã mouet Nauarræus obſidionem ſoluit.

Anno 1590.

rius, omnes Principes, & communis populus in summo templo conuenerunt, Canticum Ambrosij & Augustini cum incredibili iubilo cecinerunt; cœperuntque incolæ nonnihil refocillari, Parmensis Iatino discessurus, Chiliarchas, Tribunos cæterosque Præfectos militum conuocat: Se Lutetiam rectà velle contendere dixit; Deo itaq; se reconciliarent. Ipse prior se salutari Synaxeos viatico muniri curat. Eius exemplum sequuntur omnes alij. Quibus peractis confestim equum conscendit, & Iatino cum omnibus omnis generis machinis, quę per pontes duos à Mœnio constructos trahebantur, egressus est. Dimidio ab vrbe milliari inuenit totum exercitum suum ordine, quo præceperat, instructum: quem cùm lustrasset, iubet vt in pagum proximum, *Fresne* dictum, tribus leucis Iatino dissitum, hoc ordine procedant, inde ad oppidum *Laigny* castrametentur. Nauarræi, qui in pago erant, equites octingenti, de aduentu Parmensis certiores facti, tribus ante horis stationem suam deseruerant, & in tutiora se receperant. Postridie, hoc est, vlt. Augusti. vterque Dux cum toto militari concilio conuenit, diu multumque inter se deliberauit, an consultum esset cum hoste de summa rei decertare, non placuit, summo mane instructis aciebus, relicto pago *Fresne*, rectà Lutetiam pergunt, & dimidio ab vrbe Parisiensi constiterunt. Hic intellectum est Nauarræum obsidionem soluisse, & exercitum ad oppidum *Laigny* abduxisse. Habito conuentu Parmensis Nauarræum insecutus est. Alij (quod verisimilius est) scribunt, Parmensem Fresnesio Laigniacũ prius

31. Augusti.

prose-

profectum, ibiq; consediſſe. quo intellecto Nauarræum copias aliquot ſuas ſuburbijs Pariſiensibus eduxiſſe, & ad Parmenſem, vt Laigniacum tueretur, profectum eſſe. Dux Mœnius primum agmen ducebat, oppidique deditionem eo die poſtulauerat. Sed quia Nauarræus vrbem octo ſignorum præſidio munierat, dedere ſe noluerunt. eò minus, quia Rex cum toto exercitu in procinctu erat, ſperantes, quod ſuos non deſereret. Mœnius itaq; in mola iuxta flumen ſita, quam oppidani antea occupauerant, maximum tormentum erigi præcepit: quo ſexies eo die in vrbem eiaculatus eſt: ſol enim ad occaſum declinabat. Poſtridie ſine intermiſſione è mola vrbem tormento eodem concuſſerunt. Oppidani conſpicientes hoſti per pontem aditum in vrbem patere, ad colloquium venerunt: triũ menſium ſtipendia, & vt expanſis ſignis egrederentur, poſtularunt. Sed cõditiones iſtæ negatæ ſunt. Circa meridiem nonnulli equites ex Nauarræis ſeſe oſtentarunt: ſed & peditatus illius vix quarta leucæ vnius parte à caſtris Parmenſis conſpectus eſt. Anno 1590.

Laigny obſidetur à Parmenſi.

1. Septemb.

Nauarræus Fecialem ad Mœnium mittit, per quem offert ei pugnam, vt collatis ſignis de ſumma rerum decertetur. Mœnius Fecialem ad Parmenſem ire iubet. Cui Parmenſis; Dic, ait, Magiſtro & Domino tuo, me in Galliam veniſſe ex mandato Regis Domini mei, ad hęreticos in hoc regno extirpandos, quod me per gratiam Dei effecturum confido. Quod ſi inuenero optimam viam ad id perueniendum eſſe, prælio decertare; vrgebo illos, vt nolentes volentes mecum

pugnent

Anno 1590.

pugnent: sin minus, agam pro meo consilio, quòd expediri videbitur. Accepto responso hoc Fecialis discessit. Parmensis omnem exercitum in Laigniacenses ducit.

Paulò pòst Nauarræus suos reduxit. Parmensis partem exercitus reduxit, partem in loco, vbi hostem expectabat, in armis reliquit. Interea Mænius adhuc quatuor ingentes machinas, quibus muros conuelleret, ad oppidum attraxit. Sed captiuus quidam ad Ducem perductus, confessus est, Nauarræo statutum esse, Mænium in oppugnatione occupatum, à tergo adoriri. Coactus itaque est Dux, machinas ab vrbe in castra retrahere. Parmensis suos exploratum mittit, vbi hostis esset, quid moliretur. Qui reuersi nunciarunt hostem trium horarum itinere retrocessisse. Sed nonnullos è Nauarræis inuenerunt, qui se in dumetis & arbustis occultârunt: cum quibus à decima hora, vsque ad secundam pomeridianã velitarunt. Habebant Nauarræi minora quædam tormenta, quibus nonnullos è Parmensis peditibus strauerunt, ipsi vicissim quosdam è suis desiderarunt, neutra pars prævaluit. Cùm omnes isti exploratores in castra reuersi essent, confestim clamor & tumultus exoritur; ad classicum canitur, omnes arma corripiunt, & se ad pugnam præparant: increbuit enim rumor, Nauarræum cum vniuerso exercitu in acie stare, & hostem ad pugnam expectare. Præmisit Nauarræus ducentos circiter equites, qui liberius ad castra penè Ducis excurrebant, vt hostem elicerent, sed Confœderati insidias suspicantes, suis se castris continebant. Erat enim in propi-

q

quo silua, in qua (vt postea compertum est) Nauarræus machinas aliquot bellicas collocari iusserat, quas in hostem nudum, & nihil minus cogitantem, exonerasset, magnamque stragem in eos edidisset. Nauarræus loco maximè oportuno castra sua locauerat, vbi à Parmense difficile cædi, ille Parmensem facilè cædere potuisset. In colles enim & tumultus assurgebat, fruteta & siluas ab vno latere, ab altero paludem habebat: ita vt nec equis esset accessus, & prospectus facilè impediretur. Tertio Septembr. Duci nunciatur, hostem præsidium in oppido nouis submissis militibus auxisse: neque Mœnium id impedire potuisse. Postridie cœptum est propugnaculum & sepimentum, quod castra cingebat, & ab hostis assultu defendebat. Sole ad occasum vergente perfectum est. Confestim cõtinuis machinarum fulminibus, magnæque molis globis mœnia verberantur. Anno 1590. 3. Septemb.

Parmensis cùm intellexisset obsidione Lutetiam liberatam, ita vt comeatus ciuibus commodè posset subuehi, intermissa tamdiu obsidione Laigniacensi, immensam vim omnis generis comeatus in vrbem Parisiẽsem intulit: ita vt quod pridem 120. coronatis emebatur, nunc emeretur tribus aut quatuor. Dici non potest quanta fuerit in vrbe lætitia. Parmensis deinde ad oppugnationem Laigniacensem reuertitur. Tanta vi, tantoque impetu ad oppidum fulminauit, stratisque ruinis tanta contentione illud oppugnauit, vt inspectante penè Nauarræo expugnauerit, inuaserit, omne præsidium trucidauerit. Gubernator vrbis Lasinius cum centũ circiter centurioni- *Comeatus Lutetiam infertur.* *Laigniacum oppugnatur, & expugnatur.*

Anno 1590.

turionibus & Nobilibus captus est. Inuenta est hic magna frumenti, carnis, vini, alteriusque annonæ copia: nam præterquam quod Rex magnam vim comeatus importari iusserat, etiam eodem tempore fuerat templi vrbis dedicatio.

Iesuitarum fortitudo in defensione vrbis Parisiensis.

Nauarræus expugnato ab hoste Laigniaco, vt se vindicaret, exercitum clam mouet, & Dominico die circa 11. horam nocturnam Parisios in suburbia S. Iacobi, quanto potuit cum silentio, reduxit. Sed ciues aduentus hostis certiores facti, ad arma conclamant. Primi qui ad signum in publicum armati prodierunt, fuêre Patres Societatis Iesu. Horum habitatio cùm sese à porta S. Iacobi, ad portam vsque B. Marcelli extendat, omnem hanc muri partem ipsi lustrarunt: at nullas excubias inuenerunt. Procubitoribus igitur constitutis, diligenter hostê obseruarunt, donec præsidiarij, ciuesque reliqui conuenirent. Hostes verò sese non mouebant, sed maiorem opportunitatem captabant. Oppidani nihil periculi latere suspicati, domum plerique dilabuntur. Patres vero Societatis, vt qui aut prudentiores erant, aut quibus ea mens à Deo immissa est, in mœnibus permãserunt: qui & paulò pòst strepitum in fossis audierunt, sed ob nebulas densiores neminem videre potuerunt. Hostem hostem adesse clamitant. Hostes nihilominus omni cum diligentia scalas erigunt, mœnibusque admouent, & ascendere iam incipiunt. Primus ascendit vbi Iesuitarum erat statio: hic quidam bipennem in ascendentis caput impingit, tanta vi, vt bipennis frangeretur, hostis verò deorsum præceps rueret. Idem alijs duobus contigit, quo-

rum

rum vnus iam mœnia aſcenderat, ſcalamque ad deſcendendum in vrbem collocauerat, qui dum gladium educere conatur, accepto in iugulo vulnere cum cæteris decidit. Dum ſic tumultuantur in mœnibus, accurrit quidam aduocatus Anglus, Guilielmus Baldenius, & Typographus Niuellius Hi Patribus permixti, fortiter quemcunque aduenientem hoſtem repulerunt, donec tota vrbs in armis eſſet, & defeſſis noui recenteſque ſuccederent. Magna confeſtim ſtraminis ſtrues comportatur; incenſum ſtramen certatim in foſſas deijcitur, ita vt hoſtes, quorum ingens erat numerus, perſpicuè videri & obſeruari poſſent. Detectis hoc modo inſidijs, receptui canitur, & Nauarræi relictis ſcalis mille quingentesimo ab vrbe recedunt; ciueſq; poſtquam digna indignaq; paſſi, extrema inedia confecti eſſent, ſingulari Dei beneficio ex ipſis mortis quaſi faucibus erepti ſunt. Hæc eſt illa memorabilis Pariſienſium obſidio, quam ex oculati teſtis, fideque digni Petri Coruei deſcriptione hactenus ſumus proſecuti.

Anno 1590.

Nauarræus deſerit Pariſios.

Dux Parmenſis victoriam ſuam proſequitur, exercitum ad Pontem Charentonij, tribus ab vrbe Parienſi milliaribus ad flumen ſitum, transportat. Ciues nouo Laigniacenſium exemplo territi, inito conſilio, ſe vltrò poteſtati Confæderatorum tradiderunt. Inde ad Pontem S. Clau dii, ſeu Clodouæi cum exercitu veniens, ciues deditionem offerentes obuios habuit. quibus in fidem receptis, à Pariſienſibus magnificè inuitatur, vt in Vrbem, quam cum auxilio Dei ipſe cóſeruarat, veniat.

13. Septemb. Fons Charentonis Parmenſi deditur: item Pons Claudij.

Nauar-

Anno 1590.

Nauarræi exercitum peſſima lues inuaſerat, quæ niſi copias ſuas diuiſiſſet, omnes penè abſumpſiſſet. Diſtribuit igitur, æſtu fameque langueſcentem exercitum per prouincias & oppida. Sandionyſium, vt periculoſiſſimo loco ſitũ, Lauerdinio committit, validiſſimo præſidio & annona munit. Reliquum exercitum per oppida Melodunum, Corbylium, Senliſium, aliaque partitus eſt. In prouincias vicinas Principes miſit. Condæum in Turones & Andium; Ducem Mompenſerium in Normanniam; Ducem Longeuillæum in Picardiam; Ducem Niuerſium in Champaniam; Mareſcallum Aumontium in Burgundiam. Ipſe cum parte exercitus Bellouacum profectus eſt. Multi etiam ex Nobilitate ob Lutetiam relictam irati, Regem ſuum deſeruerũt, & quò inclinabat victoria, hanc partem ſecuti ſunt.

Parmenſis Lutetiam ingreditur.

Parmenſis (vt diximus) multis precibus à Pariſiẽſibus inuitatus eſt, ipſe vt in vrbem veniat. Eorum itaque petitioni ſatisfacere volens, cum lectiſſima principum & Nobiliũ manu eò profectus eſt. Poſtquam vrbi appropinquaret; Dux Mœnius, Parlamentum, Magiſtratus, Nobiles & Optimates vrbis illi obuiam effuſi incredibili lætitia, honore, pompa & triumpho in publica proceſſione exceperunt, & in vrbem atque eccleſiam introduxerunt; feſtiuo iubilo hymnum Ambroſij & Auguſtini canentes, Deoque qui ipſis talem liberatorem miſerat, immortales gratias agentes.

Mors Sixti V. Pontif.

Dum Pariſienſes cum fame & morte luctantur, moritur Pontifex Sixtus V. cùm enim iam

4. con

4. continuis mensibus dolore potissimum capitis laboraſſet, quo tempore tamen aut rarò, aut nunquam ex morbo decubuit, neque ex præscripto Medicorum vixit, nunquam etiam negotia intermisit, sæpè in ore habens illud Vespasiani; *Principi stando moriendum esse*, hoc est operando: tandem 20. Augusti ad pristinum malum noua febris, eaque vehemens & acuta accessit, cùm biduo ante pedestri adhuc itinere templum B. Mariæ, quod à Germanis *de Tedeschi* nominatur, accessisset, vt Deo gratias ageret, ob Badensem, istius nationis Principem, nuper ad fidem Catholicam, gremiumque Ecclesiæ reuersum. Creuit febris à die Lunæ, quo primò illum inuasit, vsq; ad diem Dominicum, quo tempore aliquando decubuit, negotia tamen sua non intermittens, comedens etiam interdum, sed nihil ferè præter arborum fruges. Dominico die pharmacũ, quod manna officinis dicitur, sumpsit: sed nec totum sumere potuit, neq; illud multum operatum est. Postridie, qui dies erat 27. August. adeò morbus auctus est, vt ei loquela defecerit. Peracto nihilominus in eius præsentia Missæ sacrificio, extrema vnctione procuratus, nocte 24. hora vitam hanc miseram cum illa beata permutauit, postquam sedisset anno 5. mens. 4. di. 3. ætatis autem suæ anno 70. Hoc loco obseruandum est obiter, quod quidã annotauit, fatale quodammodo Pontificibus Roman. esse, eos vt plurimum tot annos in gubernatione viuere, quot numeros continet absumptum ab illis in electione nomen. Alexand. enim II. secundo; Clemens III. tertio; Victor IV. quarto; Pius V. quinto; Leo X. decimo,

Anno 1590.

Morbus Sixti V.

Moritur Sixtus.

Notandum de morte Pontificum.

Anno 1590.

Gregorius XIII. decimo tertio Pontificatus anno finito, ex hac vita migrauit. Corpus Sixti nocte insequenti in lectica è monte Quirinali, vbi mortuus est, in Vaticanum deducitur, & in æde D. Petri sepelitur. Vnde anno exacto (est enim mos Pontificum vt minimũ anno integro in Vaticano sepeliri) à Cardinale Montalto sumptuosis & solennibus exequijs in templum Mariæ Maioris translatum, & in sepulchrum à seipso viuo extructum illatum est. Maxima extant huius Pontificis in vrbem, quam ex lateritia penè reddidit marmoream, & in Ecclesiam potissimum merita. Constituit ne deinceps Cardinalium numerus 70. excederet: nullos nisi mense Decembri creandos: certos etiã cognationis gradus expressit, in quibus constituti duo, Cardinales esse non possunt: nunquam 70. illum numerum implendum, sed semper locum vnum aut plures vacuos relinquendos. Legem tulit aduersus adulteros, quos omnes absque misericordia capite plectendos esse decreuit, in locis præsertim sanctæ Sedi subiectis. Astrologiam quoque iudiciariam, exceptis ijs, quæ ad medicinam & agriculturam pertinent, sub pœna excommunicationis interdixit. Noua quædam festa instituit, & Didacum Alcalam Henaresium anachoretam sanctissimũ, qui ante annos circiter centum obijt, petente id Rege Hispaniarum Philippo, & ante illum Carolo eius filio dum viueret, summis cum solennijs, præsentibus Legatis Francico & Hispanico anno Pontificatus tertio canonizauit (vt aiunt) & in Sanctorum numerum retulit. Italiam Banditis liberauit, iustitiam vbique & rigidè satis admini-

Acta Sixti.

administrauit; adeò vt eius tempore nulla facta sint Romæ homicidia. Vsitatum erat inter litigandum dicere; Memento Sixtum adhuc viuere. Vrbem annona vehementer auxit, aliaque plurima beneficia vrbi & prouincijs Romanis contulit. Quapropter Romani primis Pontificatus illius annis statuam illi in Capitolio erexerunt, cum hac inscriptione, *Sixto V. Pont. Max. ob quietem publicam, compressa Sicariorum, Exulumque licentia, restitutam, annonæ inopiam subleuatam; Vrbem ædificijs, vijs, aquæ ductu illustratam, S. P. Q. R.* In exactionibus & indictionib. paulò erat immoderatior, pecuniam tamen inde collectam nō in priuatos, sed publicos vsus conuertit. In iustitia administranda paulò seuerior, & in causa Gallica negligentior. Quas ob causas eo mortuo, quidam homines temerarij in Capitolium irruentes, prædictam eius statuam demoliri conati sunt. Sed tumultu hoc sedato, Senatusconsultum factum est, de non erigenda in posterum vlli Pontifici viuo statua. Quod Senatusconsultum marmori insculptum, in atrio Capitolij positum est. Verba illius sunt; *Si quis, siue priuatus, siue Magistratum gerens, de collocanda viuo Pontifici statua mentionem facere ausit, legitimo S. P. Q. R. decreto in perpetuum infamis, & publicorum munerum expers esto. M. D. C X. Mense Augusto.* Anno 1590.

Mortuo Sixto vacauit Sedes diebus octodecim. Septimo namque Septembris, peractis Sixti exequijs, Cardinales post inuocationem S. Spiritus, in conclaue ingressi sunt, numero quinquaginta quatuor. Cumque septem continuis diebus ac noctibus in electione noui Pōtificis laborassent,

Creatio Vrbani Septimi.

Anno 1590.

rassent, duo præ cæteris reperti sunt, supremo huic ordini digniores; Marcus Antonius Columna, Princeps magni meriti, singularis pietatis, eruditionis, prudentiæ: & Ioannes Baptista Castanæus, illi in nulla re inferior. Facto tandem scrutinio, accessu, alijsque consuetudinibus antiquis peractis, tandem 15. Septembr. Castanæus Pontifex renuntiatur. Natione fuit Genuensis, è familia paterna Castanæorum, materna Ricciorum, vtraque nobilissima. Statura erat mediocri, vultu maiestate pleno, natura melancolicus, corpore robusto & sano, adeò vt ante quadragesimum ætatis annum nullis vsus fuerit aut Medicis aut medicinis. Nobilium more à teneris inoptimis disciplinis erat educatus: Postea Bononiam profectus, ciuilibus legibus sacrisque canonibus operam dedit, in quibus ita profecit, vt breui eius ingenium cæperit innotescere: adeò vt Cardinalis Verallius Archiepiscopatum Rossanensem in illum resignauerit. Hoc auctus honore, à Iulio III. Gubernator missus est Fanum. Eo mortuo, Paulus IV. eum in Perusiam & Vmbriam legauit, quas Prouincias magna cum laude administrauit. In Concilio quoque Tridentino magnæ eruditionis & prudētiæ suæ dedit argumenta. Post in Hispanias nuncius ablegatus, ibidem toto septennio permansit; quo tempore primogenitam Regis filiã de sacro fonte leuauit.

Coloniam venit.

Post varias deinde legationes, Anno à nato Christo 1579. Coloniam Vbiorum venit, deque pace inter Regem Hispaniarum & subditos eius Belgas, cum cæteris, sed nullo effectu tractauit.

Fit Cardinalis.

Romam reuersus Cardinalis S. Marcelli à Gregorio

gorio XIII. creatus est. His gradibus tandem ad Pontificatum peruenit. Anno 1590.

Pontifex electus, dum sacro habitu vestiretur, & stola ex tenuissimo lino indueretur; Quis, inquit, credidisset vnquam, vestem tam leuem, tantum secum adferre ponderis: curas & onera pontificatus innuens. In mutatione nominis Vrbanus voluit appellari; vel quia in vrbe, hoc est, Romæ, quæ propter excellentiam Vrbs propriè dicitur, vel quia hoc nomine significare voluit, se vrbanè, hoc est, ciuiliter suos tractaturum. Liberalis admodum fuit, magnos thesauros statim Pontifex creatus in prælatos pauperiores distribuit, decrescente annona, & omnium rerum penuria crescente, largas per omnes parochias eleêmosynas instituit; dicens. Petro à Christo mãdatum esse, oues vt pascerer. Multa præclara & ardua meditabatur: sed in medio optimarum cogitationum cursu, secundo Pontificatus sui die cœpit ægrotare. Magnus erat vtriusque ordinis in vrbe ob morbum Pontificis dolor: erat enim præter Clerum Nobilitati, Magistratui & vniuerso populo charissimus. Institutæ sunt supplicationes publicæ ab ipso Magistratu, in quibus pro longiori vita Põtificis Deo supplicatum est. Quod cùm audisset Pontifex, laudauit populi affectum, & ijs precibus se comitatum, ait securiùs ad Deum profecturum. Ingraueſcente indies morbo, perceptisque Ecclesiæ Sacramentis. 27. die Septembris, sub Sacro, quod in eius cubiculo celebrabatur, sese in genua erexit, eleuationeque peracta, sese iterum in lecto colligens, & ad mortem componens, ad vltimam Sacerdotis sa-

Creatur Pontifex.

Morbus Vrbani.

Anno 1590.

tis sacrificantis benedictionem inter hæc verba: *In manus tuas Domine commendo spiritum meum*, animâ lætus suo creatori reddidit, Pontificatus sui die decimo tertio; ætatis anno septuagesimo. Eius morte Sedes mens. 2. dies 9. vacauit.

Moritur Vrbanus. 27. Septembris.

Petro Ernesto, Comiti Mansfeltio, absente Parmensi gubernatio Prouinciarum Belgicarum erat concredita. Mauritius Nassouius interea non otiabatur; sed collecto exercitu omnes penè arces & propugnacula ad Mosam & Rhenum exstructa, facili negotio occupauit. Primò munitissimam arcem Heelensem, & Hemertium in in insula Bommelensi: Inde propugnaculum de Graue iuxta Vvesaliam Cliuiæ paucis diebus deditione cepit. Luttekenhouium quoque in Diœcesi Colonienſi occupat, sed opera & diligentia Groesbekij breui rursus amisit. Exercitum deinceps in Brabantiam traduxit, & munitionem *Ter Heiden*, iuxta Bredam & Rosendalium recuperauit, soloque adæquauit. Steenberga porrò oppidulũ deditione in ipsius potestatem venit. Præsidiarij Montium ad Zomam, & qui in vrbe Bredana erant, postquam prædabundi totâ Campiniam essent depopulati, tandem admotis scalis vrbem quoque Thenensem in suam potestatem redegerunt. Sed quia vrbem magnam, & parum munitam contra vim Regiam defendere non potuissent, spoliatam deseruerunt. Tam opportuna fuit Mauritio Parmensis & exercitus Regij absentia.

Multæ arces & propugnacula in Belgio à Mauritio captæ. Mense Octo.

Thenæ occupantur & spoliantur.

Corbeilium Parmensis capit.

In Gallia è contrario Parmensis noua victoria nobilitatur. Corbeilium enim oppidum, arte, natura & præsidio munitum, iniquo Parisiensibus lo-

bus loco situm, eorum rogatu obsedit, & post trium septimanarum obsidionem, non sine cæde tamen & sanguine suorum expugnauit. Interea Parmensi nouæ copiæ, nouusque comeatus summittuntur, ne in tam felici rerum gerendarum progressu retardetur. Anno 1590.

Dum hæc in Normannia & Picardia geruntur, Carolus Emanuel Sabaudiæ Dux, non minori cum felicitate res gerit in Delphinatu & Prouincia. Miserat paulo ante Rex Hispaniarũ Duci genero suo aliquot Hispanorum millia, quos antea in Galliam Narbonensem cum classe mittere decreuerat. Sabaudus itaque cùm in oppido Morti omnia quæ ad bellum erãt necessaria præparauerat, 8. Nouembris illinc Preium venit, ibique ad vndecimum vsque diem commoratus, de bello instituendo consilium captauit, machinasque bellicas, & quæ ad eas pertinent, comportari iussit. Vndecimo huius mensis cum exercitu Draguignam, vrbem quidem amœnam, sed ab Hugonottis multis locis dirutam & vastatam, profectus, honorificè ab oppidanis exceptus est. In portis ciuitatis arcus triumphales affabrè facti visebantur, quibus insignia Ducis erant intertexta. In horum vno descriptum erat: *De fructu matris tuæ ponam super sedem tuam*, ad matrem Ducis Francam, Henrici secundo Regis sororem alluſio. In altero; *Non est alius qui pugnet pro nobis.* Tanta erat in vrbe lætitia, vt etiam pueri in plateis stentoria voce clamarent: *Vive Vive la Messe*: *Vive son Alteſſe, & soit chassé la Valette*: hoc est, Viuat, Viuat Missa: Viuat sua Celsitudo: & ejiciatur Valettus; qui frater erat Elpernonij, & incolis

Felices Sabaudiæ Ducis in Prouincia & Delphinatu successus.

8. Nouemb.

Draguignæ excipitur.

Anno 1590.

Caluinianum iugum imposuerat. Postquam Dux tam solenni pompa exceptus esset, decretum est vt ad Aquas Sextias agmen ducens in itinere oppidum Lorgæum munitum, & ab hostibus occupatum, expugnaretur. Ducto itaque ad vrbem exercitu, qui in oppido erant præsidiarij elapsi, fuga sibi salutem quæsiuerunt, & oppidum ciuibus reliquerunt. Consul extemplò claues defert ad Sabaudum, & vt oppidum in fidem clementer recipiat, deprecatur.

Lorgee deditur 12. Nouembr.

Decimo quarto Nouemb. Dux ad Aquas Sextias iter instituit. Quo cum venisset, multi Marchiones, Comites, Barones, Domini, & Nobiles, qui in vrbe erant, magnificentissimo, splendidissimoque habitu ornati illi obuiam procedunt. Hos subsecutum est Parlamentum, & hi qui à rationibus sunt. Omnes hi perpolitis orationibus magnæque beneuolentiæ significationibus Duci felicem aduentũ gratulabantur. Cùm ad portam venisset Dux, conspexit arcum triumphalem, quo pulchrior, pretiosior, maioriq; cum artificio factus visus non est vnquam. Sed & vmbella pretiosissima adfertur, sub qua vrbem ingrederetur. At ille nequaquam se isto honore dignum asserens, vmbellam pernegauit. Institerunt illi; diu multumque hic disceptatur, vicit sententia Ducis, qui sub dio vrbem ingressus est. Sed & omnes Principes, Nobiles & Optimates, qui illi occurrentes honoris ergô ex equis descenderant, in quos iterum ascendere præcepit. Magnus erat populi concursus, qui Ducis genua, veluti Seruatoris sui, cõtingere gestiebant. Cùm templo appropinquasset, occurrit illi Clerus, &

Sabaudus apud Aquas Sextias honorificè excipitur.

rus; & Episcopus eum docta oratione excepit. Anno
Inde in Palatium Regio more deductus est. Po- 1590.
stridiè omnes Principes, Nobiles, & qui Palatinis funguntur officijs, Ducem denuò salutârunt eiusque manus exosculati sunt. Tertio die Dux in solio constitutus est, eique totius Prouinciæ administratio tradita. Aduocatus Regius insigni oratione nomine Ordinum Ducem acceptauit, eique congratulatus est, orans ne Dux supplices eorum preces contemnat; sed totius Prouinciæ tutelam suscipiat.

Per eosdem quoque dies Consulis vrbis Massilienses cum alijs quinquaginta ex Optimatibus nomine totius Reipublicæ ad Ducem venerunt, eique supplicârunt, Massiliam venire non dedignetur. Senatum enim populumque eius aduentum maximoperè desiderare, omnes substantias, opes, sanguinem & vitam pro salute Ducis offerre. Quibus respondet Dux; Se id facturum, mox vbi expeditionem, quæ illi mandata erat, absoluisset. Vigesimo quinto eiusdem mensis Arlesij quoque expectabantur, vitam & opes omnes pro salute Ducis offerentes. Postea Dux in expeditionem contra hæreticos & Catholicæ Religionis hostes profectus est, fortunateque cum illis vbique dimicauit. *Massilienses ad Ducem veniunt.* *25 Nouemb.*

Neq; mirabitur tam felicem huius principis fortunam, cui eius indoles, eiusque virtutes exploratæ sunt. Ferunt enim Principem esse prudentem in consilijs, expeditum in rebus agendis: nunc vi, nunc clementia, prout necessitas postulet, quod deliberatum est, celeri opere perficiens. Amatur simul & timetur à Principibus *Laus Sabaudi.*

Anno 1590.

tum suis, tum vicinis: singularem præterea dotem à Deo accepit, vt desolatos quosque & oppressos non verbis tantùm, sed reipsa quoq; consoletur. Has ob causas multorum oculi in illum coniecti sunt.

Venlonenses militem suũ præsidiariũ ejiciunt.

Venlonenses cùm à præsidiarijs suis plus quã tyrannicè affligerentur, eiusque iustæ querelæ non audirentur, quomodo seipsos liberare possent, tandem consilium inierunt. Habebant in vrbe Italos, habebant & Germanos: Germani paulò modestiores erant. Horum igitur opẽ implorant, orantq; vt sibi in ejiciendis Italis, quorum petulantiam diutiùs ferre non poterant, auxilientur: aut si id facere illis neque fas, neque licitum esset, à neutra parte starent: sed ab armis se abstinerent. Cùm id quodammodo impetrassent, Italos vrbe ejiciunt. Quibus ejectis, furore populi (vt ferè solet) non quiescente, etiam in Germanos irruunt, eosque vrbe pellunt. Aberat Benthemius, vrbis Gubernator: qui in colligenda peditum legione, cum hæc fierent, occupabatur. Amissa igitur vrbis huius administratione, in indignationem etiam Regis incidit: & paulò pòst legio quoque dilapsa est. Ita ex altissimo loco humilem recidit. Venlonenses statim vt causæ suæ æquitatem monstrarent, literas ad Gubernatorem Mansfeltium, Senatumque Regium miserunt: quibus promittebant, se in catholica Religione, & fide Regis permanere velle, à neutra vnquam recedere. Quod autem Regium militem ejecissent, non hoc eo animo factum esse, quod rebus nouis studere cupiant, sed quod se vxoresque & liberos suos ab immani & barbara

eorum

eorum crudelitate, quotidianisque iniurijs tandem semel expedire coacti sunt. Rogare igitur se Suam Excellentiam, hoc factum non iniquè ferat, præsertim cùm Regi ex eo nil detrimenti sit accessurum. Anno 1590.

Interea propugnaculum iuxta Hoy, quod centurio Groppendonck cũ centum peditibus, nomine Regis tuebatur, ab octingentis, qui Ordinibus militabant, obsidebatur. Antequam oppugnaretur, deditionem postularunt, quam si qui in eo erant negarent, fore, vt vi capto, nemini parceretur. Illi habita matura deliberatione, cũ scirent stationem suam non admodum munitam esse, numero se exiguo, subsidia non expectare, ideoque impares hostium viribus esse, deditionem se his conditionibus facturos offerunt; vt cum omni armatura expansis signis, & omnibus sarcinis suis dimittantur. Hollandi, quia sciebant magnas opes ex vicinis pagis hic depositas esse, conditiones illas accipere noluerunt. Candidos itaque bacillos armorum loco in manibus habentes dimissi sunt. Duinkerkam quoque Hollandi tentârunt, sed detectis insidijs cum ignominia repulsi sunt.

Propugnaculũ prope Hoy expugnatur.

Duinkerka frustra ab Hollandis obsidetur.

Adhuc Mauritiani in Batauia Nouiomagum obsidebant. Propugnaculum quotidie magis magisque muniebant, & vrbem ferro atque igne infestare non desinebant. AEstus (vt iam sæpè dictum est) & siccitas hoc toto tempore fuerat incredibilis. Rhenus erat vadosus, & vix scaphis potuit nauigari. Otiabantur mercatores, cessabat negotiatio: merces, vt pisces, casei, butyrum, & similia, quæ ex Hollandia in Germaniam impor-

Anno 1590.

importantur, in nauibus putrescebant. Vnum erat huic malo remedium, Nouiomagenses eò inflectere, vt liberam per Vvahalim permittant nauigationem. Initio hoc Nouiomagensibus placuit, ea conditione, vt hostis propugnaculum deserat. Abnuit ille; abnuerunt & hi nauigationem. Qui verò in vrbe ex nauigatione quæstum faciebant, illam ceteris feruentius vrgebant. Alij, quorum non intererat, nauigaretur ne fluuius, an non, illorum propositum improbabant, dicentes: si nauigatio sit libera, hostem, hoc est nautas Hollandicos, quotidie in vrbem admissum iri, vt vectigalia, aliaq; tributa soluant: eos in vrbe inuenturos, quibuscum clandestina foueant consilia. Per eos hostem semper dictorum, factorum & consiliorum Nouiomagensium fore conscium. vicit tamen prior, sed non sanior, sententia. Ex illo namque tempore nihil in vrbe gerebatur, quod non statim ad hostem vicinum perlatum est.

Nouiomagēses Hollandis hostibus liberam permiserunt nauigationem.

In Gallia, postquam Parmensis Lutetiam obsidione liberasset, eomeatuque iuuisset, multa oppida vicina occupasset, omniaq; fecisset, quæ tam exiguo temporis spatio fieri potuerūt: iamque tempus instaret, quo in Belgium erat reuertendum; de præsidijs in vrbibus relinquendis actum est. Qui Nauarræo fauebant, spargebant passim in vulgus: Parmensem non venisse, vt Catholicis Confœderatis opem & auxilium ferat, Parisienses, aliaque oppida ab hostium iniuria liberet: sed vt Regi Hispaniarum Regnum prodat, eumque tandem Regem constituat. Parmensem, si quod oppidum aut vi, aut deditione ca-

piat,

piat, incolas cogere, vt Regi Hispaniarum, tanquâ protectori Gallicæ coronæ iuramẽtum præstent. Hispanos in occupandis vrbibus & oppidis, nullum inter hæreticos & Catholicos discrimen habere. Tam hos, quàm illos iugulare, spoliare, constuprare. Exemplo esse Mœnij sororem, ei, licet Virgo esset Deo consecrata, & Abbatissa, parcitum non esse. Nõ igitur nimium Hispanis esse indulgendum: cauendum ne illorum authoritas immodicè crescat, ne sub titulo Defensoris, paulatim Regis nomen subrepat, & tandem Hispani Regnum ipsum inuadant, suisque ditionibus adijciant. His, similibusque calumnijs, quibus vulgi, imò Principum aures obtundebant, Hispanorum nomẽ tam exosum reddiderunt, vt etiam Catholici flagitauerint, non Hispanicis, sed Gallicis præsidijs vrbes munirentur. Cordatiores etsi cognoscerent, quò res tendebat, populo tamen aliquid, & nomini Francico condonandum putauerunt. Euocatis itaque ex vrbibus omnibus qui Regi Hispaniarum parebant, soli Franci relicti sunt. Parmensis iter instituit versus Luxenburgũ. Sed regressus mox iuxta Espenonium Mernam traijciens, Chaloniam ex improuiso penè intercepisset. Ciues verò qui confestim in armis erant, Ducis exercitum à mœnibus repellunt, & qui in vrbe erant equites, occidisse dicuntur. Tam multa hîc, tam incerta, tam diuersa & aduersa de Francia scribuntur, & feruntur, quæ hoc tempore accidissent, vt de ijs tacere, quàm lectori dubia vel falsa obtrudere malim. Anno 1590.

Sub finem igitur Nouemb. cùm Rex Hispan. Parmensis

nonam

Anno 1590.

nouam classem in Galliam Narbonensem cum 7000. Hispanis paulò ante misisset, Parmensis (vt diximus) suas copias inedia, laboribus & morbis afflictas, in Belgium reduxit: Exercitus frons 2. Decembris; ipse cum omni nobilitate eiusdem mensis quarto, relicto reliquo exercitu in conbinibus Galliæ, Bruxellam reuersus est.

in Belgium reuertitur.

2. Decemb.

Peractis exequijs Vrbani VII. Pontificis Maximi, Cardinales numero quinquaginta quatuor Conclaue octauo die Octobris ingressi sunt: ipsumq; Conclaue hora quinta nocte obseratum est. Nam etsi Cardinales mane post inuocationem Spiritus S. ingrediantur; patet nihilominus Conclaue illo die, & liber ad Cardinales est accessus. Sub vesperem omnes, quorum opera in electione non requiritur, dimittuntur. Communis omnium erat opinio, electionem in diem tertium non differendam, eò quod Cardinalis S. Seuerinæ Pontificatus ab omnibus ferè deferebatur. Sed cùm causa eius proponi cœpit, quædam inuentæ sunt difficultates, quæ obstabant, quò minus eligeretur. Cæterùm cùm plurimi inuenirentur summo hoc Pontificatu digni, & singuli diuersis temporibus proponerentur, finis totius negotij in multos dies protractus est. Nã præter S. Seuerinæ Cardinalem, præter Matheum Antonij Columnam, Mondouium, Aldobrandinum, Albanum, Rouerium, Cardinalem SS. Quatuor Coronatorum, alij etiam septem Cardinales recentiores in deliberationem venerunt: qui omnes pietate, eruditione, prudentiaque inter se contendere videbantur. Etsi omnes isti summo Pontificatu digni haberentur, Spiritus

8. Octobr.

ritu tamen Sancto, cuius hîc præcipuum locum habet operatio, placuit, neminem ex prædictis, sed Cardinalem Cremonensem ad hanc dignitatem eligere, qui quinto tandem Decembris die communi Cardinalium consensu Pontifex proclamatus est, Gregoriusque XIIII. appellari voluit. Ante Pontificatum Nicolaus dicebatur, ex antiqua & nobilissima Sfondratiorum Mediolanensium familia, anno 1535. septimo à conceptione mense natus. Quam ob causam debilis semper fuit, vt partus prope immaturus. Perusiæ & Patauij litteris operam dedit, & in Vtroq; Iure Doctoratus tandem insignia adeptus est. Cremonensis Episcopus à Pio IV. creatus. Concilio Tridentino interfuit, atque vnus ex ijs Patribus fuit, qui sustinebant, Residentiam non positiui, sed diuini Iuris esse. Tandem a Gregorio XIII. Cardinalitia dignitate donatur. Crescebat hoc tempore fames & omnium rerum inopia, quam Pontif. omnibus quibus potuit modis subleuauit. Quare Senatus Populusque illi decimotertio Decembris ad Lateranum, vt possessionem caperet eunti, insignem arcum triumphalem in Capitolio erexerunt, cùm hac inscriptione: *Gregorio XIIII. ob egregia & felicia Pontificatus auspicia, pristina munera, & beneficia Capitolio restituta, ciuitatem egestate atque annona laberantem opportunâ liberalitate subleuatam, insignibus eius virtutibus. S.P.Q.R.* Parte ex aduersa legebatur aliâ inscriptio hunc in modum: *Optimo Principi Gregorio XIIII. Pontif. Max. ab ineunte ætate per gradus veræ sapientiæ, pietatis, beneficientiæ, cæterarumque virtutum ad Apostolici fastigij gloriam*

Anno 1590.

5. Decemb.

Nicolaus Sfondrata fit Pontifex.

Anno 1590.

gloriam & Maiestatem euecto. Ob fausta sacri, Augustique Principatus initia, & non dubiam spem rerum maximarum Reipubl. Christianæ oblatam S.P.Q.R. Fornicem triumphalem in Capitolio pro tempore excitauit.

Oppida Galliæ à Parmensi recuperata illo absente amittuntur.

Cùm Parmensis in Belgium reuersus esset, statim suo malo experti sunt Confœderati, quàm imprudenter feciſſent, quod nullum Regis Hispaniarum militẽ in vrbibus reseruassent. cùm enim Galli Gallis tam ratione nationis, quàm etiam cognationis, quæ subinde inter illos est, faueant; faciliùs inter illos, quàm inter externos amicitia semel violata restauratur. Opportunitatem hanc non esse contemnendam ratus est Nauarræus. Suos, quos in oppidis istis adhuc habebat, solicitauit. Inuenit qui illi suam operam cõmodabant. Hoc modo omnia penè oppidula vno mense amissa sunt, quæ Parmensis tanto tempore, tot sumptibus recuperârat. Corbeilium illo adhuc præsente tumultuario impetu à Domino Chastillionæo expugnatum est. *Alia oppida ab alijs recuperata sunt.*

Hispani tumultuantur.

In Brabantiam reuersus Parmensis, enm quoque statum non inuenit, quem sperauerat. Nam post multas ab hostibus captas munitionibus, post amissas machinas bellicas, post spoliatas vrbes, hoc etiam mali accessit, quod Hispani, qui in Campinia iuxta Herentals, & in vicinis locis hybernabant, ob multorum mensium non soluta stipendia, tumultuabantur.

25. Decemb. Ordines Vvestphaliæ deprædantur.

Vicesimo quinto Decemb. qui dies omnibus Christianis (qui verè Christiani sunt) ob Natiuitatem Christi, quam tunc celebrat Ecclesia, sacer est & solennis, Comes Ebersteinius cum a[illegible] quo

quot copijs in VVestphaliam irruptionem fa- Anno
cit. In vicinis Monasterio pagis Catholicos, qui 1590.
eam noctem orationibus & vigilijs traduxerant,
& se iam quàm splendidè potuerunt ob festum
vestierant, ornârantque, spoliârunt: omnem su-
pellectilem Ecclesiasticam rapuerunt; Sacramẽ-
ta pedibus conculcârunt; matronis & virgini-
bus pro sua libidine abusi sunt. Inde Roxelium 27. Decemb.
& Telgetium profecti, à ciuibus intromittuntur:
Sed eodem eos modo, quo ceteros tractauerunt,
multos etiam captiuos secum Euerswinkelium,
& VVarendorphium abduxerunt. Postridie in
Hoeswinkel intolerandam exercuerunt petu-
lantiam, præter omnia enim, quæ hactenus dixi-
mus, ibidem etiam baptisterium fœdè commacu-
lârunt, consecratas hostias in ora equorum in-
seruerunt, multasque virgines matronasq; con- *Etiã Paderbornensem Epis. spoliãt.*
stuprârunt. Inde in Abbatiam Marienfeltium
venientes, non tantùm in Sacramenta & in ima-
gines, sed & in Monachos ipsos turpiter debac-
chati sunt. Inde in Paderbornensem Episcopa-
tum irruunt: obuia quæque diripiunt, fœminis
subductis vestibus, & supra caput colligatis abu-
si sunt: multaq; ibidem insolentia nomen suum
apud posteros nobilitârunt: etiam Gubernatori
Sparenbergio non pepercerunt. Atque
hic sit finis & libri & an-
ni tertij.

Anno 1591.

LIBER QVARTVS MERCVRII GALLO-BELGICI,

IN QVO EA NARRANTVR, quæ in Gallia, Belgio, vicinisque locis anno à Virgineo partu 1591. gesta sunt.

CONTINVIS bellorum motibus Belgium iam viginti quinque annis agitatum, ad pacem & tranquillitatem suspirabat. Non omnes tamen Belgæ (ijs enim, qui quæstum in bello faciebant, vtrinque pacis nomen erat exosum) pacem desiderabant. At hominibus plebeis, Nobilibus & Ecclesiasticis, qui nulli damno esse cupiebant, qui proprio viuere didicerat, nihil erat optatius, nihil iucundiùs, quàm pacis mentio. Hos finis anni præcedentis consolabatur: huius verò initium antiquis mœroribus inuoluit.

Rudolphus Imperator pacem in Belgio componere nititur.

RVDOLPHVS enim huius nominis Imperator secundus, Princeps pacis amantissimus, qui Anno 1579. nullis pepercit sumptibus & laboribus, vt Belgicas prouincias suo Regi rebelles, & regem illis infensum, positis odijs inter se conciliaret, nec vnquam hanc curam deposuit, nunc iterum idem tentandum putauit. Sub finem itaque anni superioris Legatos suos in Hollandiam miserat, qui Suæ Maiestatis mente Ordinibus

dinibus declararent, eosque ad pacem & tranquillitatem, restitutionumque omnium munitionum in Imperio occupatarum hortarentur. Ordines verò postquam audissent Legatos, multa in restitutione munitionum causantur: se eas suis hostibus, idque expensis non exiguis ademisse, illas ad defensionem suam esse; hostem quæ in Imperio tenet, relinquere non decreuisse, &cæt. Tandem tamen spem aliquam faciunt, se eas aut Imperio, aut legitimis Dominis restituturos. Porrò se ex relatione eorum, quæ in conuentu Franckfurti acta erant, intellexisse aiunt, Cæsarem & Ecclesiasticos Principes decreuisse, Ordines Hollandicos & Confœderatos denuò solicitare, vt consilia sua ad conciliandam pacem conuertant. Rogare se Cæsarem, ne inutilem hunc laborem suscipiat. Pacem se habere, aliam cum Hispano inire Reipublicæ non fore salutare. Neque se de pace agere saluo honore, saluaque conscientia posse, nisi fortè & vicinis & amicis omnibus esse velint fabula. Vulgus enim amabili pacis nomine posse decipi, vt exoptet id, cuius pernicioſum exitum ignorat. Anno 1591.

Belgæ pacem nolunt.

Compertum iam satis esse præcedentibus de pace colloquijs, nunquam Hispanos sinceram pacem optauisse: sed omnes pacis eorum negotiationes dolo & insidijs plenas fuisse. Litteras quoque Regis Hispaniarum ad Legatum suum Guilielmum de Sancto Clemente, in aula Cæsaris nunc degentem missas & interceptas manifestè satis demonstrare, illum non veram, sed fictam; non perpetuam, sed citò violandam pacem

Anno 1591.

aucupari. His potissimum argumentis freti Ordines, pacis oblationem exposuerunt. Cæsar tamen non destitit, autoritate quoq; aliorum Principum negotium pacis vrgere. Quam ob causam Dominum Reitium, cui legationem hanc dederat, tamdiu in aula detinuit, vt tandem naturæ debitum ibidem persoluerit.

Diximus suprà de inaudita & barbara Comitis Ebersteinij, & militum Ordinum Belgicorū in Monasterienses & Paderbornenses crudelitate, ne dicam tyrannide. Non hic quieuit iste furor, sed & in VVestphaliam eam, quæ Electori paret, eodem die primo Ianuarij Ebersteinius perrumpens, magnis etiam cladibus hanc prouinciam affecit. Est in ea VVestphaliæ parte oppidum, Gieseken ab incolis dictum, ob diuersas religiones turbarum quidem & simultatuū plenum, sed frumenti, pecorumque diues. Magistratus huius oppidi de aduētu hostis certior factus, omni cura aduigilauit, ne quid Respubl. detrimenti caperet. Ciues lustrauit, in certos manipulos distribuit, suas cuique manipulo stationes assignauit, portas, mœnia, turresque custodienda dedit. Quia verò oppidi amplitudo maior erat, quàm vt à solis ciuibus posset defendi, à Consiliarijs, VVestphaliæ ducentorum aut trecentorum sclopetariorum præsidium flagitauit. Missi fuerunt quinquaginta, omnes penè tyrones. Ciues quoque congregatos ad fidelitatem, & vt fortiter pro vxoribus, pro liberis, pro aris & pro focis pugnent. Magistratus hortatus est. Aduolat Ebersteinius Calendis Ianuarij, sub ipsa die, hora circiter octaua: lustrat ciuitatnm, & sex aut septem

Gieseken ab Ebersteinio occupatur.

ptem diuersis locis obsidet. Ciuibus è turri datur signũ, puluis tormentarius, malleoli & plumbum inter ciues distribuitur; omnia, quæ ad defensionem pertinent, præparantur. Inter hæc tubicen accurrit, clamans, Magistrum equitum Hartmannum Sceleirium adesse, habere quod cũ Consule conferat. Consul vt ad mœnia venit, Magister equitum ait, Comitem Ebersteinium cum exercitu hic esse, & oppidum sibi dedi velle: declararent itaque oppidani mentem suam; quod si deditionem facere nollent, vi illum oppidum expugnaturum, omnia direpturum, vnà cæde omnes perempturum. Oppidani re inter se collata, cùm numerosas hostium copias, scalas, & inusitata instrumenta bellica viderent, vrbisque suæ qualitatem ponderarent, vt quæ mœnibus minimè validis cingeretur, fossas haberet vadosas, eoque tempore gelu concretas; ciues esse paucos, eosque vt plurimum colonos, bello inexpertos, datis vtrinque obsidibus, miserunt ad Comitem, qui honorarium illi offerrent; & vt innocentibus parcat precarentur. At Comes se cum tanto exercitu venisse ait; vt simplici honorario sibi satisfieri non possit: dicerent paucis, cuius essent sententiæ, oppidum dedere vel tueri; militem diutius contineri non posse. Qui à Magistratu missi erant, obnixè rogant, vt lytro tolerabili contentus sit. Summam oppidi miseriam, & in præcedentibus bellis acceptas clades commemorant. Comes è contrario vrget, vt vrbs sibi, suisq; pateat; addita promissione, vnam tantùm se noctem in ea diuersari velle, cras aliud quærere. Hæc oppidanis referrent, responsumq; Anno 1591.

Anno 1591.

actutum remitterent. Ciues cùm intelligerent hostem à proposito abduci non posse, tandem in illo præsenti armorum terrore, ineuitabili necessitate, atque iustissimo metu, qui etiam in constantissimos viros cadere potuit, ad redimendum proprium, vxorum, atque liberorum sanguinem, maioráque pericula euitanda, cum tam horribili hoste, quo cum potentissimi Principes, & integræ prouinciæ pacisci debuerunt, optimo, quo potuerunt, modo conuenerunt. Primò, ne pactum hoc sit in præiudicium Principis Electoris, aut Capituli Metropolitani Ecclesiæ Colon. Secundò, ne hostis diutiùs quàm vna nocte in oppido hæreat: Tertiò, vt ciuibus vita & fortunæ saluæ maneant, & pro ijs lytrum tolerabile persoluatur. Hac fide data Comes cum suis in vrbem admittitur. Sed lignum (quod aiunt) tortum nunquam rectum. Admissi confestim in primarium templum irruũt, obuia quæque diripiunt, altaria prophanant, artificiosè pictas tabulas, statuas, organa comminuunt: calices, hierothecas, aliáque ornamenta Ecclesiæ rapiunt, libros rituales, diaria, instrumenta, litteras & sigilla publica lacerant, & disrumpunt. Inde in curia eodem furore debacchãtur. Priuilegia, documenta, quæque ad Reipublic. salutem spectabant, diplomata Principum frangunt, & dilacerant.

Crudelitas Geusiorum in Geiseken.

Incredibilis est, & vix lingua proferri, nedum calamo scribi (ait Senatus) potest, plus quã barbara crudelitas, quam Angli & Germani ea nocte exercuerunt, tyrannis in viros, & fœminas statuta, quàm turpiter matronas honestas & virgi-

virgines tractârunt. Quosdam nudos flagellis & virgis cæciderunt; quosdam feruenti aqua perfuderunt, nonnullos è pedibus suspenderunt; hos manibus post tergum reuinctis ad scalas, axes & postes applicatos in altum eleuârunt, & rursus multis inflictis plagis dimiserunt, illos vinculis ferreis implicatos fustibus contuderũt. Sunt quos igni applicatos assârunt, & alij qui feruentibus impositi fornacibus miseris modis cruciati sunt. Tantorum cruciatuum impatiens vnus sibi ipsi inter tormenta mortem consciuit. quidam paulò pòst mortui sunt, multi luxati & debilitati priscinam valetudinem nunquam recuperabunt. His tamen inauditis tormentis ciuibus intolerabilia lytra extorserunt. Omnia enim mobilia, vt supellectilia, vaccas, equos, frumentum, aurum & argentum factum & non factum iam antea surripuerant. Ad hæc totis quatuordecim diebus cõtra fidem datam in oppido manserunt: interea omnem annonam absumpserunt. Anno 1591.

In Reid, Marsberg, & VVerl immaniùs etiam sæuierunt. Narrãt enim incolæ, hostes quasdam mulieres, postquam violassent, in puteos præcipites dediſſe. quasdam iugulasse, quasdam laqueis stramineis suspendisse. Viros verubus affixos & igni applicatos torruerũt. Scripta scribimus, & narrata narramus. Tanta erat istorum hominum insolentia, vt incolæ relictis oppidis & pagis sese passim in fugam coniecerint. Pactæ sunt itaque vt recederet Ebersteinius conditiones; Paderbornensis Episcopus ipsis daret 11000.

Anno 1591.

dalerorum Imperalium; Colonienſes VVeſtphali 18000. & Monaſterienſes honorarij loco, quo ſubditis parceretur, non pauca.

Comes Mansfeltius in Luxenburgum redit. 4. Ianuar.

Parmenſis cum quotidiè intelligeret nouas Regis Nauarræi, victorias; metuebat ne fortè in Ducatum Luxenburg. exercitum ducat, & occupatis aliquot oppidulis, iter in Italiam Hiſpaniamq; intercipiat, Petrum Erneſtum Seniorem Mansfeltium Comitem, iſtius Ducatus Guber. Bruxellis in Luxenburg. ablegauit.

Iubilæum Gregorij XIIII.

Per idem tempus Gregorius XIIII. Pontifex maximus Iubilæum indixit, cuius omnes verè pœnitentes & piè communicantes fecit participes; quod deindè Erneſtus Elector Colonienſis 3. Martij Coloniæ promulgauit. Dum verò in Stiria Cæſar patruo ſuo Carolo, qui menſe Iulio anni præcedentis obierat, parentatur, eiq́ue magnificentiſſimas & ſplendidiſſimas exequias celebrat, tota Germania in armis eſt. Nauarræus enim, vt victorias ſuas perſequeretur, atque vno impetu Confœderatos omnes proſterneret, ſibi Regnum tranquillum & perpetuum ſtabiliret, Vicecomitem Tureine ad Eliſabethã Angliæ miſerat pecuniæ cauſa, quam eſt largita ducentorum (ſequor exemplar in Hollandia impreſſum) millium Angelottorum; Nobilitas 100000. & totidem mercatores Londinenſes addiderunt. Ingens hæc erat pecuniæ ſumma, qua cum Vicecomes ad Batauos venit, & à Batauis ad Lantgrauium poſt ad Saxoniæ Ducem, vt Nauarræo ferantur ſuppetiæ. Ob quam flagitationem, & alia ſtatus rerum negotia Principes aliquot Germaniæ conuenerunt.

Angla Nauarræo ſubſidia mittit.

Dum

Dum hæc in Germania & Belgio geruntur, in Gallia Gratianopolis, quam Sabaudus imprudẽs transierat, per eos, qui alterius, quàm Catholicæ Religionis in vrbe erant, Nauarræo dedita est, cui & ciues 60000. coron. numerarunt, vt in gratiam redirent, & in tutela illius essent. Sed & Parisien. circa idẽ tempus iterum fame affligi cœperunt grauissima. Scribunt nonnulli hoc tempore dimidium muli caput 50. coron. venditum. Concionatores, qui in vrbe erant, populum ad constantiam hortabantur; omnia potiùs, etiam mortem perferant, quàm in hæresin incidant, se, suosq; posteros æternæ damnationi reddant obnoxios. affuturum diuini numinis auxiliũ tunc, cùm minimè expectabitur: quomodo Samaritanis olim adfuit, qui rebus omnibus deploratis, singulari Dei beneficio conseruati sunt. Anno 1591. *Gratianopolis deditur Nauarræo.*

Parmensis eodem hoc mense Bredam proditione tentabat, sed re infeliciter gesta, & proditione detecta, proditores capti, & in partes dissecti sunt. Eodem modo & tempore, qui in Tvventa hybernabant Regij, Lochomium occupare se posse sperabant. Habebant in vrbe quosdam prę sidiarios, ad hoc facinus sibi deuinctos. Sed nec hic felix fuit exitus. Exiguam quidem vrbis portam aperuerant, sed vicinus portæ ciuis strepitum audierat. Is alij vicino rem insinuat, accurrunt ambo, sed intercepti à proditoribus occisi sunt. Nihilominus negotiũ patefactum est, proditores capti, & digno supplicio necati sunt. *Bredæ insidiatur Parmensis.* *Hispani Lochemium tentant.*

Diximus superius de insolentia, quam Ordinum milites in Monasterienſi, Paderbornenſiq; Diœcesibus, & oppido Giesekẽ exercuerunt:

Anno 1590.

Omnibus illi corrasis, & cõuasatis oppido Gi-
seken excedunt, & in VVestphaliam Hamm-
nam iuxta reuertuntur. In itinere Comitatum
quoque Markensem depopulati sunt. Vbi ad pa-
gos Olphen & Zelm, qui Monasterienſium pa-
rent imperio, venerunt, quanta insanierunt bar-
barie, mirari potiùs lubet, quam scribere. Tan-

16 Ianuar. dem XVI. Ianuarij Doesburgum & Doetechem
mium reuersi sunt. Paulò pòst idem Eberstei-
nius, deposita præda, cum alijs duobus Comiti-
bus, Holachio & Philippo Nassouio, ad nouas
prædas in Monasterienſem Diœcesin reuersus
est. 3000. ducebant equites & pedites, mercato-
res in hoc foro exercitatissimos. Primò castrum
Schonflet/ quod imperio Canonicorum Mona-
sterienſium paret, Amisioque fluminealluitur,
non vi, sed promissionibus, quod postridie sine
vllo alicuius detrimento redderent, occupârũt.
Non procul ab hoc castro pagus Greuen/ nundi-
nis suis celebris, ab eodem Amisio lambitur: è
quo pago Schloeierus nundinarum tempore an-
no 1589. incredibilem prædam abegit. Inde Prin-
cipis castrum Wolbeck/ & oppidum Telget in-
terceperunt. vbi omni humanitate exuta, non ſe
homines, sed plus quàm bruta pecora præbu-
runt. Consulis quoque Bersworthij castrum ca-
perunt, in quo præter alia, famula quoque turpi-
ter abusi sunt.

2. Februar. Initio Februarij duo Comites illi quadrigi-
ta currus, pretiosissimis rebus onustos, in Ves-
terwaldiam abduxerunt. Post biduum Centu-
rio Lamberts Anglus, & Schloierus Hassius, Cen-
turio du Bois Gallus; Equitum Magistri Baden-

Germa-

Germanus, & duo Kinskij Boëmi, cũ fratre Klou- Anno
tij Nouesienſium olim Gubernatoris, in Gel- 1591.
riam, relictis omnibus munitionibus redierunt.
Ebersteinius verò paulò ante, orta inter illos si-
multate, forè propter prædam, aliò diſceſſerat.

Per eoſdem dies ſcribitur ex Heluetia, Baſi- *Spectrum Ba-*
leâ ſpectrum quoddam in Ianuario viſum mira- *ſileæ viſum.*
bile. Monaſterium eſt in vrbe appellatum **Clin-**
genthall/ in eo quondam, cùm vrbs eſſet Catho-
lica, Virgines habitârunt Deo conſecratæ. Nunc
verò nulla in eo eſt religio. Quadã nocte vigiles
qui iuxta hoc monaſterium excubabant, in eo
concentum audierunt, multorum quaſi mona-
chorum veſpertinas preces & Completoriũ ca-
nentium. Paulò pòſt viderunt ijdem vigiles ma-
gnam ſacerdotum & monachorum in habitu re-
ligioſo è templo prodeuntium cateruam, qui cũ
crucibus & vexillis per pontem, quo Rhenus
ſternitur, in templum S. Ioannis, quod in ſubur-
bijs eſt, proceſſerunt. Hic ſe ſtiterunt, & Lita-
nias cecinerunt. Interea magna armatorum ma-
nus acceſſit, ſacerdoteſque & monachos, donec
è templo redirent, præſtolati ſunt. Tandem illi
abſoluto cantu templo egreſſi, ordine, qui in
ſupplicationibus ſeruari ſolet, ad monaſterium
reuertuntur. Comitantur eos milites prædicti.
Ingrediuntur illi monaſterium, hi foris manen-
tes paulò pòſt diſparuerunt. Habes lector ſpe-
ctrum, quid verò ſibi velit, non eſt meum iudi-
care.

In Gallia Dux Mompenſerium oppidum Au- *Confœderati Galli Honfluer occupant.*
rancæum obſidione cinxerat. Interea Confœde-
rati Honfluerium occupant, Rhotomagenſesq;
iuncti

Anno 1591.

iuncti socijs, Ducem Mompenseriũ castris exuêre, obsidionemque Aurancæam impedire conabantur: sed frustrà. Dux enim paulò pòst vrbe potitus est. Vti & Ostendenses in Flandria oppidulum Blankebergense eodem quoq; tempore occupârunt, & munitiones solo æquârunt.

Quarto Februarij Dominus Telegnius, Lanoi filius, qui Tornaci captus erat, duobus magni nominis Hispanis, qui in classe Hispanica capti, in propugnaculo Rammekens hactenus seruabantur, permutatus, è castro Antuerpiensi liber dimittitur. Per eosdem dies Comes quidam Anglicus, *VVinter* dictus, qui diu in arce Antuerpiana captus asseruabatur, mutatis vestibus clam euasit ad pagum Berchemium veniens, cum quodam colono pacisscitur, vt se Dambruggium ducat. Sed quia colonus fortunæ illius erat ignarus, rectà eum ducit Antuerpiam: ibi Comes ab excubijs agnitus, denuò apprehenditur, & arctiori custodiæ mandatur.

Altenburgẽsis conuentus.

Vicecomitem Tureinæ in Germaniam venisse, auxilia Regi Nauarræo flagitâsse, & Principes aliquot Altenburgum hac de re deliberaturos conueniisse, dictum est anteà. Primarius huius cõuentus Princeps erat Christianus Dux Saxoniæ, alijque Principes VVeimarienses. Decretum hic est, quæ & quanta subsidia Nauarræo mitterentur, quis exercitus crearetur Imperator, qui Chiliarchæ, qui Centuriones, qui Tribuni. Imperator exercitus renunciatur Christianus Princeps Anhaltiæ, cuius vexillum prætoriũ ferret Comes Ascaniæ. Dux Sigismundus, Princeps Dessauiæ equites duceret 700.

Equitum Nauarræo mittendorum numerus.

Philip-

Philippus, Princeps Luneburgensis Tessararius generalis 1000. Anno 1591.

Casimirus Dux Pomeraniæ 800.

Dux Saxoniæ Ioannes 1000.

Ioannes Iuliacensis quidam 1000.

Dominus à Donavv 1000.

Baro quidam Brunsvvicensis 500.

Frentius 500.

Schonbergius 200 leuis armaturæ.

Alius Schonbergius Casper, Marescallus 500.

Schenkius à Tautenberg Legatus seu supremus vicarius 300.

Clinayus Ducis Saxoniæ Vicarius 300.

Vitus à Schonberg 300.

Comes quidam Rugiæ 300.

Hermannus à Bosnicq 300.

Stephanus ab Holtzendorff 300.

Georgius VVilhelmi à Buberstoroff 300.

Casparus Lemdensis 300.

I[illegible]us Mellinck 300.

C[illegible]cus Mansfeltiæ Comes 300.

[illegible]ilhelmus Melm 300.

[illegible]s Brantius 300.

tendorum numerus.

Hi ductores & Magistri equitum in isto conuentu nominati, vt fama ferebatur, erant, atque hic equitum numerus, qui Nauarræo hoc anno militarent. Peditum verò & ductores & numerus hîc iactabatur.

Hermanno à VVeda assignabantur pedites 3000.

Leygneæ Seyssa 3000.

Lantio

Anno 1591.

Lantio 3000.

Templio Brabantino 1000.

Christophoro Kesselio in Bernkessel 3000.

Domino Rebourio 3000. Rebourius autem & Templius, turmam quoque equitum ducerent. Postea verò & Præfecti & numerus armatorum est immutatus, vt suo loco dicemus.

Romæ, Venetijs, alijsque in Italiæ vrbibus & locis annonæ precium plurimum cœpit augeri, tantaque erat frumenti inopia, vt modius tritici 34. coronatis venderetur. Cardinales, Episcopi, alijq; Prælati plebeculæ miserti, pro sua pietate populum suis expensis aluerunt: quidam viginti, quidam triginta, alij plures pro facultatum suarum ratione. Pontifex ipse (incredibile) quantam pauperum in hac inopia sustentauit copiam. In tanta nihilominus calamitate, non destitit causas quoque Ecclesiæ defendere. Decreuit itaque Pontifex Romanus Mœnio & Confœderatis Galliæ octo millia peditum, & quatuor millia equitum subsidio mittere. Nec non & eam pecuniæ summã addere, quæ ad stipendia his persoluenda sufficeret. Hæc per Legatum sui Confœderatis per hos dies iubet denunciari.

Subsidia promittit Pontifex Gallis.

Exules in Italia iterum nouas excitant Tragœdias.

Alphonsus Piccolhomineus Dux exulum.

Inter alia præclara opera, quæ Sixtus V. dum viueret fecit, vnum esse diximus, quod Italiam ab Exulibus planè purgauit. At eo mortuo, & metu sublato, pernicioſissimum hoc hominum genus iterum coire, & omnia loca infestare cœpit. Erat quidam Alphonsus Piccolhominæus, ex primaria Italiæ Nobilitate iuuenis, robustus & fe-

rus, famis, sitis, frigoris & æstus patientissimus, hic

hic nefariorum istorum hominum iam pridem Dux fuerat. Sed intercedentibus pro illo magnis Principibus, à Gregorio XIII. veniam delictorum consecutus, & in gratiam receptus est. Ceterùm Sixti V. Pontificatus anno vltimo, cùm iterum grauiter in Magnum Hetruriæ Ducẽ deliquisset, rursum in exilium abijt, & ad priora scelera reuersus est. Magnam aliorum exulum manum coxtraxit, & multa damna Ducis Magni ditionibns intulit. Sed paulò pòst à Duce finibus illius eiectus, in Latium sese recepit, vbi inter alia mala agricolas miseris modis diuexauit, eorum bona diripiens, ædes incendio absumens, homines captiuos in syluas & montes abducens, quorum alij ducentorum, alij quadringentorũ, alij octingentorum coronatotum lytro sese redimere debuerunt. Magnus Dux non destitit hunc prædonem persequi, at ille tam gnarus viarum erat, vt nusquam obsideri, nunquam ita potuerit coarctari, vt non facilè elaberetur, donec tandem sub Gregorio XIIII. auxilio Ducis Hetruriæ captus, & hoc mense Ianuario Florentiæ capite plexus est. Anno 1591.

Alphonsus capitur, & capite multatur.

Paulò ante Nauarræus in Gallia Parisiensibus insidias, sed suorum malo struxerat. Collectis namque aliquot curribus, armatis hominibus onustos, in superficie omni genere cõmeatus tectis in vrbem misisse dicitur: vt portam ciuitatis occupent. Ipse cum exercitu aduolaret, atque illis opem ferret, vrbemque in suam potestatem redigeret. Sed insidiæ detectæ, & Nauarræi partim cæsi, partim fugati sunt.

Nauarr. tentat denuò Lutetiam.

In Cardinalium Senatu Gregorius XIV. Henricum

Anno 1591.

ricum Nauarræum denuò excommunicauit; omnes qui eius factiones sequebantur, proscripsit. Monitorium confici præcepit, & per Landrianū in Galliam publicandum misit: Landrianum autem hunc, Episcopo Placentino in Italiam reuocato, suum Pontifex in Gallijs nuncium creauit.

Subsidia Gallis à Pontifice missa.

Cùm autem de subsidijs Mœnio mittendis similiter ageretur: promissus antea peditum & equitum numerus est diminutus, & sex tantùm millia peditum Heluetiorum, Italorum autem mille, & cataphracti equites 1500. Gallis decreti sunt. His omnibus imperaret Comes Franciscus Sfondradius, Pontificis ex fratre nepos: illi à cōsilijs & auxilijs iūcti sunt Marchio Corniæ, Virginius Vrsinus, & Octauius Cæsius. Quin etiam & Pontifex ad Magnum Hetruriæ Ducem litteras & nuncios misit, quibus periculum Catholicæ Romanę Religionis, statusque Reipublicæ in Gallia & Italia exponebat, vtque pro sua & dignitate & opulentia communem Christianæ fidei causam iuuet, hortabatur.

1. Martij. Geneuensiū victoria contra Sabaudum.

Initio Martij Dominus Sancius, Nauarræi in bellis legatus, Geneuam profectus, exercitum collegit, vt Buringensem, Thonnensem, & Euianam ditiones, quas Sabaudiæ Dux nuper occupauerat, recuperâret. Amodæus Sabaudiæ Nothus, ditiones istas validis præsidijs muniuit, exercitumq; legit, quo cum hostium conatibus occurreret. At hostis Geneua attractis maioribus machinis, Buringensem munitionem oppugnauit, & deditione cepit. Inde & duas alias, sed multo suorū sanguine, recuperauit, quo in bello Guitrij præclara virtus extitit, qui Geneuen-

sibus

sibus vndique ab hoste cinctis, fidelem nauauit operam. Anno

Eodem tempore Francfurti ad Mœnium conuentus Principum fuit: cui intererat Iulius Aechterus, Episcopus Herbipolensis, & Dux Franconiæ; VVilhelmus Comes & Dominus in Zimmeren, Cæsareæ Maiestatis nomine, Legati quoque Electorum Moguntini, Treuirensis, & Colonensis Casimiri Palatini, Domus Austriacæ, Domus Burgundicæ: Episcopatuum Herbipolensis, Constantiensis, Monasterienſis; Ducis Bauariæ, Iulij Brunsvvicensis, Lantgrauij Hassiæ, Ducatus Pomeraniæ, Dominorum Prælatorum, Comitum Sueuiæ, Ciuitatum Colonensis, & aliarum, quæ parent Imperio. Quid verò in tam celebri conuentu actum est, à multis hactenus ignoratur. 1591. *Conuentus Francfurti habitus.*

Paulò ante scriptu prodijt in Saxonia, in quo D. Vrbanus Pierius Pastor, & professor VVittenbergensis Caluinismi insimulabatur. Quamobrem multi viri docti, huius rei catastrophen expectantes, auidè scire cupiebant, quomodo se ab hac macula purgaret, & quam Confessionem ederet. Tandem vulgatum est aliud scriptum, sub nomine *Studiosorum Theologiæ*, in quo Pierius excusatur, eiusque opinio de cœna Dominica, & persona Christi declaratur. Sed & eisdem Calen. Martij VVittenbergæ multi Pastores & Superintendentes Lutheranicæ sectæ conuenerunt, vt vnam communem fidei regulam cuderent; articulos controuersos definirent; normamq; in rebus Ecclesiasticis generalem componerent. quã deinceps in Ducatu Saxoniæ in concionibus & *Vrbanus Pierius accusatur Caluinismi.* *Synodus VVittenberg. &c.*

Anno 1591.

Ecclesiæ administratione sequerentur.

Bannitæ in Italia.

Exulum siue Bannitarum in Italia vires magis magisque creuerunt, & iam 800. ductore Marco Sciarra, Battistella, Parchiacratto, iuxta Asculum latrocinijs, depopulationibusq; omnia infestârunt. Fama erat constantissima, illos à quibusdam Principibus Galliæ subornatos, vt Italiam vexarent, ne Confœderatis hinc subsidia mitterétur. Sed Prorex Neapolitanus aliquot copias armatorum misit, qui Bannitas aut cæderent, aut fugarent. Hi iuxta Reatem eos insecutæ, & assecutę, diu cum illis velitârunt. Desideratis vtrinque aliquibus, Bannitæ Perusiam versus declinârunt, vt se socijs, qui & Romandiola erant, coniungerent. Sed impediti in Vmbriam se receperunt, vt copias suas supplerent.

Cardinales creati à Greg. XIV.

Sexto Martij Gregorius XIIII. Romæ quatuor Cardinales creauit: Parauicinum scilicet, qui hactenus in Heluetia summa cum laude nuntium egerat: Aquauiuam, Magistrum Palatij Plattum Auditorem Rotæ, & Edoardum Farnesium, Alexandri Ducis Parmensis filium. Deinde postquam Franciscum Nepotem suum Generalem Ecclesiæ constituisset, eiúque filiam Principis Massæ vxorem dedisset, ad expeditionem Gallicam dimisit.

Vaticinium Petri Clementis.

Hoc loco historiographi nõnulli, nescio quid de vaticinio cuiusdam Petri Clementis Hugonottæ, ante 40. annos Parisijs combusti, nugantur. Scribunt in vltima obsidione Parisiensi, cum Nauarræus, è quadam turri ciuitatis multa acciperet damna, tormentis aliquot erectis turrim hanc deiectam esse, & inter rudera lapidem inuentum,

uentum, cui artificiosè vaticinium hoc fuit in- Anno
sculptum. Anno scilicet 1590. In Francia nouos 1591.
homines diademati insidiaturos: sed digna me-
ritis præmia recepturos esse. Anno 1591. In Fran-
cia, Anglia, Flandria & Germania magnos tu-
multus causa Religionis concitatum iri. Anno
1592. Pontificem Romanum è medio tollendum,
nec alium eum subsecuturum. Anno 1593. iustam
Dei iram multis in locis accẽdendam, grauiter-
que arsuram esse. Anno 1594. Veram fidem fore
raram, & apud paucos homines inueniendã. An-
no 1595. graues & pernitiosos terræ motus & hor-
renda noua passim homines audituros. An. 1596.
tertiam orbis terrarum partem igne absumen-
dam, & aquas in sanguinem conuertendas esse.
Anno 1597. Virum magni nominis & authorita-
tis nascendum. Anno 1598. Veram fidem iterum
homines esse professuros. Anno 1599. Turcarum
Imperatorem cũ toto exercitu occasum iri, Ma-
humeticamq; sectam radicitus eradicandam es-
se. Anno 1600. In vniuerso terrarum orbe, v-
num tantum Dominum, vnam fidem, vnum pa-
storem, & vnum fore duntaxat ouile. Hoc vatici-
nium è castris Nauarræi, ad consolationẽ suo-
rum, Basileam missum, aut fortè à Caluinianis in
via compositum est.

Vndecimo Martij, Comes Bernhardus à VVal- 11. *Martij.*
deck, Osnaburgensium Episcopus obijt. Candi- *Episcopatum*
dati, qui hanc dignitatem ambierunt, partim *Osnaburgen-*
fuêre Protestantes, vt Saxoniæ & Louvvenbur- *sem qui com-*
giæ Fr. Acisci Ducis filius, Frater Ducis Brunsvvi *petant.*
cẽsis, Princeps alioquin optimus, de quo magna
sincerioris Religionis spes est, Archiepiscopis

Anno 1591.

Bremensis: partim Catholici, vt Antonius Comes Schovvenburgensis, Episcopus Mindensis, Decanusque Colonienſis, & Furstenburgerus Episcopus Paderbornensis. Tandem Brunsvvicensis electus est: qui licet alterius, quàm Catholicæ religionis sit, Catholicos tamen in antiquis suis priuilegijs & constitutionibus non modò seruat, sed & defendit.

Hispani Britaniam inuadunt.

Angli nouam adornârant classem, qua cum nauigationem Hispanorum in Indias Occidentales & Orientales impedirent. At Philippus Hispaniarum Rex suam instructissimam classem illis obuiam misit, ad cuius aduentum Anglica disparuit. Hispanica verò, vt iussa erat, in minorem Britanniã, Galliæ prouinciam appulsa, Blauetum nobilem portum occupauit, & incredibili opere & sumptu communiuit. Portus hic ex opposito Angliæ, vbi traiectus in Angliam & insulam Vectim breuissimus est, situs, nouis curis reginam implicauit quæ confestim 6000. peditum, & equitum in Britanniam misit, vt Hispanorum excursiones impedirent. Sed & Nauarræus eo Lanouum Britannum, cum instructissimis copijs ablegauit, vt Hispanos à maiori progressu arceret, ne tandem occupata Britannia Normanniam procurrerent, & Nauarræo negotium facesserent.

Est autem Britannia prouincia Regi Hispaniarum inter Belgium & Hispaniam, ad gerendum bellum, maximè nauale, commodissima, tutissimaque nauium suarum statio. Hanc autem si non de facto (quod aiunt) sed de iure se filiæ suæ occupare Rex asserit. Ius autem quod in hanc prouin-

prouinciam habet Isabella filiarũ Regis senior Anno
est tale. Rex Philippus quondam Elisabetham 1591.
Henrici Valesij, vltimi regis sororem vxorem
duxit; ex ea duas filias suscitauit, Isabellam & *Ius filiæ Regis Hispani in Britanniã minorem*
Catharinam, quarum natu maior hac serie suam
genealogiam texit. Annam Britannicam Maximiliano Cæsari desponsatam, & à Carolo octauo Francorum Rege raptam, eiq; post ea nuptam, nullam ex eo prolem suscepisse ait. Quare illo vita functo nupsit Ludouico XII. Galliarum Regi optimo, ex quo peperit Claudiam, quã postea duxit Franciscus Valesius, pater Henrici II. qui vxorem sibi adiunxit Catharinam Medicuam, ex qua genuit Franciscum, Carolum, Henricum Reges, & Ducem Alençonium, Elisabetham, & Margaritam huius Henrici Nauarræi vxorem. Omnes hos filios, vnà cum filia Margarita sine prole ex hac vita migrasse: ex sola Elisabetha duas filias ex Rege Hispaniarum esse superstites. Cùm itaque Britannia prouincia sit à corona separata, & exempta, quæ iure hæreditario tam ad fœmineum sexum, quàm ad virilem deuoluitur, Isabella senior Regis, Hispaniarum filia Prouinciam hanc iure abauiæ suæ, Annæ Britanniæ Duciſſæ, tanquam seniori, & cum sorore sola ex stirpe Valesiana superstiti sibi vendicat; seseq; Duciſſam Britanniæ scribit. Nauarræus è contrario Britanniam à corona inseparabilem esse, Hispaniæ Regem, aut eius filiam nihil hic iuris habere, sed iniustè (vt pleraq;) hanc sibi prouinciam vendicare dicit. Fatetur quidẽ prouinciam hanc olim seiunctam à Regno, & filiabus etiam hæreditariam fuisse; at posteriori-

Hanc alij Annam vocant.

Anno 1591.

bus Regni constitutionibus sancitum, à corona nunquam posthac disiungerentur. Quibus verò in conuentibus, & quo tempore id sancitum, nemo est (quod sciam) qui hactenus demonstrauit. Pendente itaque lite hac, Isabella Austriaca, ope Patris sui prouinciam hanc occupauit, multis, ijsque validissimis propugnaculis muniuit, noua cum eam quotannis præsidia mittit, & Ducem Mercurium ad omnia sibi his in oris deuinctum habet. Is circa hæc tempora in Normanniam profectus, Dominum Lorgium, qui à Nauarræo stat, insigni clade prostrauit.

Comes Brisaacus legatus ad Parmens.

Comes Brisaacus post septem mensium captiuitatem tandem libertati restitutus, ad Confœderatos reuersus, ab ijsdem Bruxellas ad Parmensem legatus missus est, illi statum Confœderatorum in Gallia declaratũ, & vt suppetias à Duce contra hostem Nauarræum flagitaret: quibus Parisiensibus, extremè laborãtibus, possent subuenire, Comes postquam Bruxellam venit, quæ in mandatis habebat, disertis verbis exposuit, & vt Parmensis in Galliam reuertatur, subsidio ijs Catholicis sit, supplex petijt. Ad hæc Parmensis: sibi nihil horum à Rege suo mandatum, ait. Præterea Gallos & Anglos hoc rerum statu oculos suos in Belgium, sibi à Rege Hispaniarum concreditum, conieciisse. Fieri igitur non posse, vt periclitante Belgio in Galliam cum exercitu, relictis his prouincijs, reuertatur. Necesse igitur esse, vt Confœderati seipsos tueantur, donec aliud mandatum ex Hispanijs mittatur. Se interim omnia subsidia, quibus quoquo modo carere poterit, ipsis missurum. Non ita pridem ex Hispania

Anno 1591.

ſpania in Belgiũ tranſmiſſa erant duodecies centena florenorum millia, ad bellum in Gallia & Belgio continuandum. Briſaacus itaque cũm intellexiſſet exigua hoc tempore auxilia eſſe à Parmenſe ſperanda, pecuniam verò hanc allatam ſciret, rogauit Ducem, ſi non milite, ſaltem pecunia Confœderatos iuuaret. Quod Parmenſis cùm promiſiſſet, præſtitit, ingentemque pecuniæ vim Comiti numerari præcepit, quæ in Galliam ad ſocios, lætos quod pecuniam ſaltem, etſi non omnia voto competerent, impetraſſent, paulò pòſt allata eſt.

Briſaacus magnã vim pecuniæ impetrat à Parmenſi.

Mareſcallus Bironius ſub idem ferè tempus à Nauarræo è Normannia vocatur, vt in Carnutes exercitum ducat, eorumque Metropolin (Chartres vulgò) obſideat. Ad quam cùm aliquamdiu conſediſſet, nihil præclari efficere potuit, oppidanis egregiè ſe defendentibus. Tandem maioribus tormentis muros verberare, & ſternere cœperunt. Sed tanta erat fortitudo & alacritas eorum, qui in vrbe erant, vt neque hoc modo quicquam proficerent: ſed quàm plurimos quotidiè vires fortiſſimos hoſtes amitterent, atque inter alios Dominum Bolognium; in cuius locum Domini Gordani conſanguineus ſurrogatus eſt.

Chartres obſidetur à Nauarræis.

Creſcebat fames Lutetiæ, omniumque rerum neceſſariarum ſumma erat penuria. Quidam itaque Principes metuentes, ne tandem calamitatum pertæſi ciues, & in furorem acti, vrbem hoſti proderent, ex conſilio Mœnij Dominum Vitrium cum 800. equitibus, & comeatu non contemnendo in vrbem miſerũt; qui ciues in officio

Fames Lutetiæ.

Anno 1591.

Comeatum in vrbem inferunt Parisienses.

Fames in Italia.

Naues Hollandicæ in Italia primũ visæ.

contineret. Paulò pòst Parisienses cum quatuor armatorum millibus erumpentes, vi & virtute sibi viam Soisoniuum vsque aperuerunt, & comeatum, quem Mœnius ibi comportârat, per medios hostes, paucis desideratis in vrbem intulerunt.

Tanta quoque vniuersam Italiam, & præsertim vrbem Romanam fames & panis inopia hoc tempore premebat, vt Iudæis, meretricibus, exteris multis, & inutilibus eiectis, 16. vncias panis in singula capita tantùm quotidiè distribuerent. Post tanta inopia esse cœpit, vt 18. vncias distribuere amplius non potuerint; ideoq; decretum ad octo tantùm vncias peruenit. Quod antequam iussu Pontificis promulgaretur, ablata sunt populo arma. Non enim citra seditionem illud fieri posse putabatur. Multa nauigia ex Hollandia in Holsatia & Vandalia frumento onerata (dictu mirabile & inauditum) per Oceanũ Britannicum, angustiasq; Herculei freti in mare mediterraneum, & tandem Ligusticum ingressæ, iter in Italiam instituebant. At tanta erat tempestas, vt ne in portubus tuta essent, nedum vela ventis dare, & se vasto mari credere nautæ sint ausi. Hollandicæ aliquot naues in ipso portu Genuensi concussæ, & depressæ sunt. Pontifex Iubilæum indixit, & supplicationem ad puluinaria instituit, iussitq; omnes obnixè Deum rogarent, vt iram suam mitigare, & tranquilliorem auram largiri dignaretur. Exaudiuit Deus miserorum preces, & post ventorum turbines halcioneos dies restituit. quos quanta mutatio subsecuta est, non proprijs, sed alterius summi nominis

minis viri verbis hoc loco placet commemorare. Scribit iſte ex vrbe in hanc ferè ſententiam; Anno 1591.

Familiam meam hactenus ſolito more ſuſtentare potui: pauperes 40. recepi, & ſi fidem mercatores Siculi ſeruabant, qui frumẽta mihi promiſerunt, ad futuram meſſem perdurabo. Incipiunt autem in hac extrema calamitate noſtra, Hanſeatici veſtri & VVandalici maximo totius Italiæ beneficio innoteſcere. Cùm enim prouincia tota frumentorum penuria ad vltimam vſque calamitatem laboraret, importârunt VVandalici annonam maxima copia, aurumq; reportabunt magna abundantia. Præter alias peruenerunt nuper in Hetruriam naues circiter triginta, & aduentant longè plures. Curſor, qui nuncium hunc Pontifici primus attulit, honorariũ in continẽte accepit mille ducatorum. Nos hic Romæ claſſem hanc expectamus auidè, & Belgæ ac Germani, quotquot hic ſunt, expectatione iſta langueſcunt, & quotidiè ad portum mittunt. Hæc ille.

Annona in Italia leuatur.

Hollandorum itaq;, Danorum & vicinorum populorum beneficio actum eſt, vt frumentum, quod antea triginta tribus coronatis venderetur, vixque haberi poſſet, mox 24. poſt 18. & 14. emeretur: ſed & quotidiè annona leuaretur.

Regina Daniæ in Ducatum Brunſvicenſem.

Regina Daniæ filiam ſuam Elizabetham anno ſuperiori in ſtabili matrimonio Duci Brunſvicenſi locârat. Ea iam grauida, & partui vicina, mater hoc menſe Martio in Ducatum Brunſvicenſem profecta eſt, vt partui filiæ ſuæ intereſſet. Sed & alij Principes nonnulli Magdeburgi coibant, vt baptiſmum pueri ſua præſentia con-

20. Martij.

Anno 1591.

decorarent. Interea causam Nauarræi in consilium mittunt, an, & quo modo iuuandus esset? Vrgebat Angla Principes Nauarræo certam pecuniæ summam mutuò darent, seipsam sponsorem & fideiussorem offerens. Ceterùm Brandeburgensis Elector id se facturum negauit. Reliqui Electore hoc (vt seniori) negante, in suspenso manserunt.

31. Martij. Brionius capitur in arce Mirebelliana.

Vltimo Martij, qui dies erat Dominicus Dominus Brionius cùm geniale festum instituisset, totumq; diem in ludis & epulis traduxisset, choreas vsque ad mediam noctem in arce Mirebelliana (vulgo *Mirebiaul*) perduxit, atque amicos saltando fessos, tandem ad quietem remisit. Nunciatum hoc est Genouellæo, qui postridiè ante auroram, cùm saltatores nimio motu defessi, vinoque & somno sepulti iacerent, ad portam arcis peruenit: eaque miro quodam artificio patefacta, arcem cum his, quos secum adduxerat, sociis ingressus, octo ex suis trucidatis, occupauit. Brionius audito tumultu, in habitu rustico per posticum elapsus, clam se subducere voluit; sed agnitus è fuga retractus est. Inuenta sunt in arce viginti coronatorũ millia: mille quingenti modij tritici, centum quadraginta equi, & omne genus armorum. In Belgio quoque Hollandi eodem ferè tempore arcem Turnhoutanam per insidias interceperunt, & præsidio fortissimo munierunt.

Turnhout à Gensijs capitur. 10. April.

Aprilis 10. Tureinæ Comes Francofurtum ad Comitia venit, ibique coram quorundam Principum legatis conquestus est; Mirari se dicens, Germaniæ Principibus suam legationé non magis el-

Tureinæ Comitis querela in Comitijs Francofurtiensibus.

gis curæ, eosque non diligentiores & promptio- Anno
res esse ad causam sui Regis promouendam. Si e- 1591.
nim rex suus succumbat, & ab Hispano & Con-
fœderatis debelletur, dubium non esse, quin &
bellum in Germaniam transferent, atque omnes
Protestantium Principes suo imperio subijciẽt.
Omne enim studium Pontificis, Regis Hispa-
niarum, & Confœderatorum aliorum eò specta-
re, vt Concilium Tridentinum omnibus obtru-
dant, eiusque obseruationem in omnia Regna &
ditiones vi & armis introducant. Neque id illis
fore difficile, nisi Rex Nauarræus illos coerceat,
& bello vincat. Quod si à Germanis deseratur, &
ab hostibus vincatur, non esse, quod aut Prote-
stantium fidem, aut reformatam Religionem se
tueri posse arbitrentur. sed futurum, vt eandem
Religionem, quam semel exploserunt, & iam tot
annos vt Antechristi dogmata reiecerunt, denuò
profiteri cogantur. Quid multis? Protestantes
necessariò debere Regis Nauarræi causæ patro-
cinari, illumq; non minus equitibus, peditibus-
que, quàm pecunia adiuuare. His suis querelis
tantum effecit, vt certus equitum peditumq; nu-
merus promissus sit.

Decimo sexto April. cùm Nauarræus Carnu- 16. April.
tum diuturna obsidione, & continuis oppugna- Chartres à
tionibus multũ exagitasset, iamq; oppidani con- Nauarræo
tinuis vigilijs & laboribus exhausti essent, tan- capitur.
dem se dedere coacti sunt. Conditiones sequen-
tes datæ sunt. Nauarræus præsidiarios milites in-
columes cum gladijs suis dimitteret; Ciues o-
mnes Parisienses, eorumq; bona, qui huc tanquã
ad asylũ confugerant, arbitrio Regis traderent;

centum

Anno 1591.

centum millia coronatorum in pecunia, & alia centum in mercibus numerarent; Castrum in vrbe restaurarent, & exercitum Regium mensem integrum castris alerent. Priuilegia & Catholicam Romanam Religionem fertam tectam conseruarent. His conditionibus Rex 18. in vrbem admittitur, in qua magnam vini & frumenti copiam inuenit. Paulò pòst cum exercitu latinum profectus est. Espernonius, qui in Picardia aliquot equitum turmas habebat, circa idem tempus in Aumalium Ducem incidens, ad pugnam prouocatur. Espernonius numero superior Aumalium, cæsis aliquot, in fugam conuertit, & Morinorum Gubernatorem, eiusque Vicarium captiuos abduxit.

Aumalius cadùtur.

20. Aprilis Arx Kollenburgensis ab Ordinibus Belgicis capitur.

Inter 19. & 20. Aprilis, Ordines Belgici profunda nocte arcem Kollenburgensem ope cuiusdam militis Ioannis Iuliacens. occupârunt. Miles hic nouem circiter mensibus inter alios præsidiarios, sub duce Ioanne Quadenio arcem hanc custodierat, & iam ob contagiosum quendam morbum honestè dimissus erat. Diuertit itaque ad Ordinis, & ab illis inscriptus, stipendia aliquamdiu fecerat. Obseruârat aquam, quæ arcem ambit, ad culinam, versus Orientem nó esse profundam: eodem etiam loco vallum excitatum, ex quo in culinam, vbi ignis, cui excubitores assidebant, constrictus iacebat, per fenestram facilis erat descensus. Per hanc fenestram vitream lucente per culinam igne foris omnia, quæ abexcubitoribus fiebant, facilè videri poterant. Animaduerterunt itaque procubitorem singulis horis versus occasum Solis muros ascédere, & cor-

nu ho-

nu horæ signum indicare. Tranantes itaque fossam, & murum 16. circiter pedes altum conscendentes, procubitorem globo traiecerunt, & summa celeritate, minimoq; negotio arcem in suam potestatem redegerunt, quam Cloetius quōdam sub Nuenario Nouesiensium Gubernator, æstu sæpè frustra tentârat; quinimò semel arctissimè obsederat, sed amissis suorum multis, cum ignominia deserere debuit. Post captam arcem rustici, qui in pomerijs erant, aliquandiu se fortiter defendebant: sed victi tandem quidam se fidei hostiū dediderunt, quibus vita & fortunæ saluæ promittebantur: alij hostium perfidiam metuentes, fugerunt, & in aliud vicinum castrum Hulsdunkium sese receperunt. Qui se hosti dederant, in carceres coniuncti, & suis omnibus exuti sunt: Nobilissimus quoque vir Ioannes Quadenus omnibus suis chimelijs, alijsque opibus spoliatur. Anno 1591.

Vigesimo deinde Aprilis hora circiter tertia pomeridiana tredecim aut quatuordecim coloni armis instructi cōgregantur, & beneficio noctis, arbustorumque, quæ in circuitu arcis sunt, ad pomœrium perueniunt. Vnus eorum postquam animaduertisset procubitorem à somno se temperare non posse, occultè, taciteque adrepit, & dormitantem grauiter percussum in terram prostratum relinquit. Tandem 21. Ioannes Dominus in Milendunck, & Arnoldus VVachtendoncanus, qui omni cura & studio incumbebant, vt arce hostem denuò exuerent; subditosque isto iugo exonerarent, militem collectum ad arcem duxerunt, aream, quæ sub mœnibus est, occupârunt,

Anno 1591.

runt. Qui in arce erãt, se eam seruaturos suis Dominis Ordinibus Belgicis aiunt, quorum iussu & occupauerant. Dum responsum hoc legitur, & excubiæ negligenter aguntur, ex arce erumpentes hostes, aream & pomerium cum vicinis ædibus, cæsis, expulsisque Regijs recuperârunt. Eodem die quidquid in pomerijs erat ædium exustum est: fortè quia rumor increbrescebat, Ordines cum ingenti militum manu in procinctu esse, vt arcem obsidione liberent. Parum abfuit, quin eo incendio præcipua quoq; arx deflagrasset. Postridiè nihil singulare actum est; nisi quod continuis velitationibus operæ impeditæ sunt.

23. April. vicesimo tertio April. denuò arcem obsederunt: sed quia numerus militum erat exiguus, & fama de aduentu Ordinum constans, iterum receptui cantatum est. Sed cũ postridiè significatum fuit, hostem magno suorum detrimento Stanlenium frustra tentasse, redierunt animi, & de oppu-

26. April. gnatione seriò cogitatum est. Vigesimo itaque sexto Nouesij machinæ bellicæ rotis impositæ, puluis tormentarius, & quicquid ad hoc opus erat necessarium, in castra comportatum est, & triduò pòst continuis tormentorũ tonitruis muri concussi, magnaque parte disturbati sunt: ita vt impositæ gerræ ruinam minarentur. Territam inopinato casu præsidiarij, de deditione cogitare cœperunt, Dominumque Quadenum, & Pastorem in VVilich, quos adhuc captiuos habebant, ad Milendunckium miserunt, vt cum illo deditionem pacisceretur. Conditiones erant hæ: Præsidiarij absque vllis armis arce exirent, & in tutum deducerentur. Ioannes Iulia-

Knollenbergensis arx recuperatur.

censis

censis proditor Milendunckio tradererur, eiusque arbitrio tractaretur: quod & factum est. His conditionibus Milendunckio Regis militis præfecto arx dedita, & Ioannes Iuliacensis, tertio post die, proditionis pœnas laqueo suspensus luit. Anno 1591.

Sabaudus Massiliam venit.

Sabaudiæ Dux in Delphinatu & Prouincia prospero victoriæ cursu adhuc vtebatur, multaque loca deditione partim, partim vi occupauit. Messilienses eum iamdudum, vt ad se veniret, inuitasse dictum est antea. Peractis itaque negotijs cum insigni nobilium caterua sub hoc tempus Massiliam venit, & incredibili magnificentia, Regioque penè apparatu & honore, tam à Magistratu, quàm ab Equestri ordine, totoq; populo exceptus. Non multos post dies Dux à socero Hispaniarum Rege in Hispaniam vocatus est. Profecti cum eo sunt Legati Confœderatorum & vrbis Massilienſis, qui omnes Mantuæ (Hispani Madrid vocant) expectabantur. Bercinonam appulsis, & ad mediterranea progressis, Princeps Hispaniarum Philippus iunior, cum maximo nobilium comitatu obuiam processit, sororiumque magnificentissimè excepit. Quid verò hic inter Principes actum sit, plerisque incognitum est, nisi quod Rex genero suo ingentem pecuniæ vim numerauit, qua exercitum conscriberet, se suasque ditiones tueretur, & Confœderatorum causam iuuaret.

Sabaudus in Hispaniam proficiscitur.

Nauarræi in Picardia, & Germani, qui per Lotharingiam iter facturi dicebantur, aliquid machinari in Belgij eas prouincias, quæ Regis imperio parebant, visi sunt. Metuebat id Parmēsis, iccir-

Anno 1591.

iccirco præcipua loca præsidijs muniuit, & vndique pecuniam coegit. Mercatores ad solutionem eorum, quæ Hispania miserat, compulit, & intermissa diu stipendia soluit. Quin & Flandria & Brabantia non contemnendam nummorum summam Parmensi obtulerunt, vt prouincias à præsidij Montium ob Zomam, alioramque prædonum excursionibus redderet immunes. Quæ dum Bruxellis aguntur, Ordinum quidam milites munitissimum castrũ VVesterloo, inter Thenas & Lyram situm, astu occupârunt. Dum enim filius Dynastæ Petersomij, cuius fidei arx erat concredita, venationi operam dat, pauci milites in arce erant. Non latuit hoc hostes, qui 4. Maij in habitu rustico ad portam venientes, excubias intercipiunt, & in arcem irruunt.

VVesterloo capitur à Geusijs.

4. Maij.

Ordines Hollandici sese armant.

Comes Mauritius Nassouius, & Ordines Confœderati tota hoc anno conductis vndique operis, quæ ad maximam aliquam expeditionem erant necessaria sibi compârarunt, machinas bellicas fusili ære, scalas, pontes nauales, omniaque tam ad obsidionem, quàm ad oppugnationem commoda sibi fieri procurârunt. pulueris quoq; tormenta rij, globorum & annonæ ingentem copiam coaceruarunt. Supplementum militem vndique collectum est, & circa 12. Maij sese ad expeditionem præparârunt. Famæ datur, Nassouiũ Montes S. Geertrudis velle obsidere, omnibusque viribus expugnare. Plus quam 40. maiora tormenta cũ vario apparatu bellico nauibus imposita sunt. Aggeres aliquot ad Mosam Siluæducis proximam perforati, & aliquot copiæ Bredam missæ sunt. Ex quibus omnibus non leui

12. Maij.

orieb-

oriebatur suspicio, aut Siluamducis, aut Montes Geertrudis obsessum iri. Siluæducenses vrbem suâ munierunt, & Parmensis præsidium in Montibus Geertrudis auxit, comeatumq; ad aliquot menses sufficientem in vrbem inferri iussit. Anno 1591.

Dum hæc aguntur, Nassouius summa cum celeritate classem centum circiter nauium adornat, eaq; Rhenum ingressus, beneficio venti breui tempore Arnhemium peruenit.

Vicesimo secundo Maij profunda nocte 12. circiter milites Doesburgo, seu Drusiburgo in habitu rusticorum & rusticarum egressi, nondum eluceſcente die, ante propugnaculum ex opposito Zutphaniæ in Veluvva (seu Velania) constructum, venerunt, in corbibus suis oua, butyrum, & caseos, quasi venales secum deferentes. Nondum portæ munitionis erant apertæ. Bacillis itaque suis, rusticorum more innixi, dum portæ aperirentur, expectabant. Reseratis portis potior præsidiariorum numerus scaphis Isalam traijcit, & in vrbem se recipit. simulati ergo rustici illi paucitate militum magis animati, munitionem quidam ingrediuntur, sua venum exponunt. Præsidiarij accurrentes emunt, hic oua, butyrum ille &c. donec tandem quidam ex Mauritianis extracto vestibus sclopeto, vnum ex Regijs confodit. Confestim audito strepitu, qui in insidijs latebant socij abiectis mercibus in imparatos irruunt: domum, in qua excubiæ habebantur, occupant, præsidiarios omnes capiunt, & munitionem in suam potestatem redigunt, vno tantùm ex Regijs, & vno ex hostibus desiderato. Sunt qui scribunt fictos istos rusticos cùm

22. Maij. *Propugnaculum Zutphaniense capitur.*

Anno 1591.

falcibus, quasi fænum secturos venisse, à commilitonibus suis, qui è propinquo arbusto ex industria erumpebant, tanquam ab hostibus fugatos, opem eorum, qui in munitione erant, contra insequentes imploraſſe, & sic intromissos esse. Sed Hollando potius credendum arbitror.

Zutphania obsidetur ab Ordinibus.

Recuperata hoc stratagemate munitione Zutphanienſi, nō diutiùs cunctandum ratus est Nassouius. Collectum exercitum summa cum celeritate ad Zutphanienſem ciuitatem duxit; ponte nauali Isalam strauit; machinasque bellicas Arnhemio secundo flumine in castra aduehi præcepit, vrbemque arctissimè obsedit. Comes Eberſteinius in primo ad vrbem aduentu, cùm incautius lustrat mœnia, globo traiectus ipso momento occubuit. Oppidani erumpentes cadauer spoliârunt, & in vrbem inferre voluerunt: ſed accurrentes socij, oppidanos repulerunt, & cadauer nacti, Arnhemium miserunt, vbi honorificè tandem sepultum est. Eadem nocte tormenta bellica è nauibus extrahuntur, rotis imponuntur, & oportunioribus locis tanta celeritate disponuntur, vt fidem penè excedat. Qua in re classiarij nautæ, & mesonautæ fidelē Nassouio præstiterunt operam: Postridiè circa Meridiem præparatis omnibus magno impetu ad vrbem fulminatum est, innumerique globi in vrbem immissi, præsidiariorum animos extemplò consternârunt. Præfecti & Centuriones non expectata maiori vi, statim deditionem certa conditione offerentes, aliquot dierum inducias petierunt, quod si interea Parmensis vrbi subsidia non mitteret, eam, salua vita & bonis omnibus, Nassouio

Eberſteinius Comes globo traijcitur.

traderent. Responsum est; dies nullos illis permitti posse: aliquot tantùm horas concedi, quod si interea ciuitatem non dediderint, nullam deinceps veniam esse expectandam. Vrbs erat ampla, & spacioſa: præſidium exiguum, ad tuenda mœnia minimè ſufficiens. Adhæc comeatus exigua erat copia, pulueris verò tormentarij, ſaliſque magna inopia. Quæ res præſidiariorum animos adeò contraxerunt & debilitârunt, vt turpem nimis deditionem facere non verentur. Declinante itaque iam ad veſperem die accincti gladijs, & quantum ferre poterant, exportantes, dimiſſi ſunt. Tanta hæc omnia celeritate geſta ſunt, vt tam vrbs, quàm propugnaculum, citiùs occupatum ſit, quàm fama obſidionis ad vicinos peruenerit. Naſſouius 30. Maij ingreſſus vrbem, eodem penè momento equitatum omnem Dauentriam, quæ Zutphania duobus tantùm miliaribus diſtat, præmiſit. Peditatus cum omni apparatu bellico, qui tam copioſus & inſtructus erat, nihil vt deſideraretur, quod aliquo modo expeditionem poſſet retardare, mox ſubſecutus eſt. Anno 1591. *Zutphania deditur. 27. Maij.*

Pridiè Calendarum Iunij, Naſſouius in caſtra ad Dauentriam veniens, exercitũ in certas turmas diuiſit, ſinguliſque ſuas ſtationes aſſignauit, quos circumductis vallis munierũt. Deinde ductis pontibus fluuium, vno ſupra, altero infra vrbem iunxerunt. Tandem quibus locis vrbs erat infirmior, tormenta bellica locârunt. *Dauentuia obſidetur vltimo Maij.*

Legati Nouiomagenſium, aliarumque ciuitatum non vno, ſed diuerſis temporib. in aula Parmenſis ſubſidia, tum per ſe, tum per Principes

Anno 1591.

viros flagitauerant: extremam quotidiè necessitatem, & præsentissima pericula demonstrabat: quod si vrbibus non succurratur, fore breui, vt in manus hostium incidant, aut incolæ coacti se vltrò dedant, luculentissimis argumentis docebant: sed quorũ intererat Regi suas vrbes & prouincias manere saluas, hi graui lethargo oppressi, aut alijs rationibus impediti, vt deploratorum statui subuenirent, permoueri non potuerunt. Amissa iam erat Zutphania, obsessa erat Dauentria, periclitabatur Nouiomagum. Tantorum malorum querelæ per omnium ora volitabant, & aliquid monstri in aula Principis aliq; plerique suspicabantur. Tandem verò, vt omnibus satisfaceret Parmensis, 3. die Iunij lectissimas aliquot peditum, equitumque cohortes, ad Mosam fluuium præmisit: ipse cum reliquo exercitu, omniq; apparatu bellico 10. Iunij subsecutus, magnis itineribus, citatisque equis postridiè Traiectum, inde Ruremundam venit, vt Dauentriẽsibus succurreret, hostemq; à muris fugaret.

3. Iunij. Parmensis ad hostẽ proficiscitur.

At Mauritius paratis omnibus ad oppugnationem necessarijs, nouo Iunij, qui dies Sanctissimæ Trinitati sacer erat, in ipso diei crepusculo, viginti octo tormẽtis maximis portas & mœnia, sine vlla intermissione aliquot horis verberauit. Deinde per tubicinem deditionem poposcit. At Hermannus Tsherenberhius Comes, vrbis Gubernator, Mauritij consobrinus, renunciare tubicinem iussit; Se consobrinum suum salutare, faustumque diem illi optare: ciuitatem autem se in vsum Regis sui defensurum, quamdiu viueret. Relato in castra hoc nuncio, absque vlla

vllamora tanto furore & insania, tanto fulmine ac tonitru, tot tormentorũ ictibus toto illo die, sine vlla intermissione debacchatum est, vt cœlum rumpi, & terra tremere videretur. Admirandum multis visum est, machinas tantam vim sustinere potuisse, & non potiùs ignis, globorumque violentia disruptas esse. Machinas autem commodissimo loco disposuerant, vbi mœnia vallum obiectum aut nullum, aut exiguum habebant: sed propter fluuium, & portum adiacentem tuta putabantur. Præterea tanta erat in vrbe pulueris tormentarij inopia, vt licet tormenta oppidani haberent plurima, vti tamen ijs non auderent: metuentes sibi in oppugnatione puluerem defuturum. Cuius si copiam habuissent, Ordinum vires retardare, machinas multas facilè disturbare, hostemque à muris longiùs reijcere potuissent. Numerati sunt eo die plus quã quatuor ictuum millia, totidemque grauissimi ponderis pilæ in vrbem eiaculatæ. Interea nauis quædam oblonga è flumine in portum subducitur, asseribusq; strata pons conficitur, per quem in ruinas, atq; adeò in vrbem ipsam, cùm oppugnatio fieret, milites procurrerent. Deinde ex singulis stationibus eliguntur, qui vrbem oppugnarent. Prima pugna Anglis decreta est: Secunda Scotis: Tertia Comiti Solmensi & Domino de Brederode, qui omnes iam ordine, quo res tentanda esset, in armis parati signum expectabant. Strata iam latissima ruina, classicum canitur. Angli magno clamore, furoreque primi vrbem inuadunt. Oppidanorum septem signa in ipsis ruinis stabant, omnes ad pugnam paratissimi. Cùm

Anno 1590.

Dauentria oppugnatur

Anno 1591.

Angli in pontem desilijssent, inuentus est pons breuior, quàm vt ex illo iu ruinas peruenìri posset. hîc priores vrgentibus posterioribus, plurimi ex Anglis in aquam detruduntur, & submerguntur: alij ex ponte in ruinas prosilientes, ab oppidanis hostiliter accepti, & trucidati sunt. Magna hìc Anglorum strage edita, tandem receptui canitur. Sed neque incruenta fuit hæc oppidanis victoria. Dum enim pugnatur, Ordines bis sua tormẽta displodunt, & in propugnantes eiaculantur. Sternitur hîc quidã Mulertius Nobilis, cui globo à latere Comitis Hermanni caput auffertur: sternuntur & alij: ipse Comes lapide à muro pila disiecto grauissimè in facie vulneratur: adeò vt visum penè amiserit. Cessatum est eo die.

Postridiè omnia denuò & ad operas disturbandas, & ad vrbem oppugnandam præparata sunt. Sed qui in vrbe erant, iniquissimo se loco pugnare videntes, de deditione cogitare cœperunt. Insignis toto obsidionis tempore Comitis Hermanni virtus enituit, qui si vulneratus non fuisset, aut nunquam, aut vi vrbem hostes capere oportuisset. Deditionis enim mentionem non ferebat. At hoc rerum statu, cùm ipse decumberet, & quidem satis periculosè, hosti quoq; multo facilior in ruinas, quàm oppidanis pateret accessus, ægrè tandem eò adductus est, vt cum alijs de deditione consenserit. Dum itaque Ordines se ad nouam pugnam præparant, nuncius in castra venit, qui oppidanos cum hoste pacisci velle attulit. Magnum in castris exortum est gaudium dantur, petunturque obsides. designantur quibuscum de deditione ageretur. Pleraque quæ pe-

Daventria deditur.

tebantur

tebantur admissa sunt. Milites cum omni armatura, omnibusque impedimentis & bonis vrbe exierunt. Vrbs in potestatem hostium, à suis neglecta, deuenit. Anno 1591.

Parmensis dum in itinere est, vt Dauentriam obsidione liberet, intellexit vrbem ab hoste, vti & Zutphania esse occupatã. Quare agmen in terram Cliuensem declinans, ad Monasterium Mariënbaum non procul ab vrbe Calcarien si conse- *Parmensis in Cliuiam vedit, partemque apparatus bellici Ruremundam remisit.* dit, partemque apparatus bellici Ruremundam remisit. Ordines verò Steenvvicam profecti, præsidiarios suis victorijs territos, claues obuiã laturos sperabant. Sed cum altum in oppido esset silentium, in territorium Groeningense exercitum traducunt, vbi fœliciori fortuna vsi, Delfzilium, Damnium, & Immentillium facillimo negotio receperunt. *Nassouij victoria in Frisia.*

Dum hæc in Belgio maximo Catholicorum & eorum qui Regijs rebus fauebant, mœrore agebantur; Parisienses publicas supplicationes instituerunt; Deum orantes vt statum Religionis Catholicæ & Regni Gallici conseruare dignetur. Nauarræus interea Pontisarensium vrbi insidiatur. Aperto illam bello appetere non audebat, sciens ciuium in se odium & fortissimum in eo præsidium. Proditione igitur quid posset volens experiri, aliquot in vrbe homines, qui rebus nouis studebant, opulentum illis promittẽs præmium, conduxit, qui operam suam ipsi commodarent. Sed detecta proditione autores 50. capti, & digno supplicio affecti sunt. Louirium quoq; oppidulum 5. Iunij proditione cuiusdam decurionis occupauit, vti & Angli Guigaurium, *Nauarræus Pontoyse pro ditione tentat.*

Anno 1591.

vi, & Grilonium insidijs per eosdem dies intercepisse feruntur.

Mandata Nuncij Apostolici. Coloniæ decreta.

Octauius Episcopus Calatinus, & in partibus Rhenanis Nuncius Apostolicus, cũ multos abusus in Ecclesiam clam irrepere intellexisset, maturo consilio hoc tempore multa ad reformationem pertinentia decreuit. Inter alia, vt Pastores omnes sub pœna excommunicationis in Sacramentorum, vtpote Baptismi, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, Extremæ vnctionis, & præcipuè Matrimonij sanctiones Ecclesiasticas, statuta & decreta prouincialis Synodi Colonien sis obseruẽt: vt decretum Concil. Trident. de reformatione Matrimonij, Sess. 24. cap. 1. semel, iterum, & tertiò, imò quoties id expedire visum fuerit, subditis suis exponant: vt nemo ignorantiam prætendat. Decretum hoc 30. à primo promulgationis die obligaturum. Nulla clamdestina matrimonia fore rata, sed omnia quæ præter mentem Concilij contracta fuerint, ab omnibus Iudicibus irrita esse iudicanda. Docendum esse populum, quomodo, quibus præsentibus matrimonia sint contrahenda, & à quibus benedicenda. Impedimenta quoq; omnia populo inculcanda. Denique sub pœna suspensionis interdicit omnibus Pastoribus, & sacerdotibus, ne posthac pueros, cuiuscunque conditionis extra Ecclesiam, sed in fonte Ecclesiæ, & aqua eum in vsum consecrata baptizent. Admonet tandem omnes officij, & vt sui gregis diligentem curam habeant, precatur.

Eodem hoc mense Iunio in prouincijs Rhenanis magnus erat otiosorum hominum concur-

sus,

lus, qui ad Tribunos & præfectos, à Principibus Germaniæ designatos, vt Nauarræo militarent, confluebant, vt nomen militiæ darent. Sub hoc prætextu multæ insidiæ oppidis & arcibus struebantur. 10. namq; Iunij Centurio quidam Zuifselius, sub noctem Abbatiam Tuitiensem hostiliter ingressus, eam præsidio 60. peditum muniuit. His se iunxerunt confestim alij; & 40. equites à Regijs ad illum defecerunt: ita vt trecentos homines in armis habuerit, quibuscum vicina loca depopulabatur. Sed & Onuphrius Teplius, Chiliarcha Nauarræus, eodem penè tempore Monasterio S. Cornelij, cum aliquot centenis peditibus & equitibus venit, iuxtaque Brisaacum Rhenum traijciens, 29. Iunij, intempesta nocte Antennacum, Colonienſis Diœceseos ad Rhenum oppidum, insidijs atque arte occupare conatus est. Machina namque ferrea portæ (cui à frumento nomen erat) admota, igne quę iniecto, valuas exteriores effregit. Dumque aliam admouere nititur, vt & interiores perrumpat, oppidani fragore admoniti accurrunt, densa in hostem tela conijciunt, & fortiter à portis suis repellunt.

Anno 1591. *Tuitium occupatum. 10. Iunij.*

Andernachū à Templio tentatum. Alij 29. Iun.

Parmensis dum hactenus in Cliuia cum exercitu hæret, intentus quid hostis tentaret, Nassouius metuebat obsidionem Knodsenburgij (nomen propugnaculi est, quod in oppositа vrbis Nouiomagensis ripa construxerant) præsidio illud, omnique genere comeatus muniuit. magistratus Nouiomagensis ad Parmēsem profectus, eum obnixè, imò supplex orauit, veniret Nouiomagum, & vrbem ista munitione sibi tam noxia

Knodsenburgum à Parmensi obsidetur.

Anno 1591.

& periculosa liberaret. Annuit tandem Dux votis eorum, & 13. Iulij Nouiomagum mouit, collectisque omnibus scaphis, & pontonibus, nocte Vahalim traijcit, & in Batauia, insula inter Vahalim & Rhenum sita, castrametatur, propugnaculumque postridie, qui dies erat Dominicus, obsidere cœpit. Ab ortu solis Comes Barlemontius; ab occasu Comes Octauius Mansfeltius, sub ipsa munitione suas habebant stationes. Equites in pago Lent à Septentrione aduersus hostium aduentum excubabant. Comiti Bossouio, Beauresio, alijsque Regulis, & Chiliarchis cum suis legionibus, suæ quoque in circuitu stationæ erant designatæ. Insignis & validus erat exercitus; qui si æquo loco cum hoste de summa rerum pugnare potuisset, facilè victor euasisset. Ad oppugnationem verò tanti propugnaculi nullus erat apparatus. Cunicularij nulli, tormenta pæca, puluis exiguus: ita vt Parmensis potiùs ad prælium, quàm ad oppugnationem veniisse videretur. Dispositis stationibus conducti sunt Germani pedites, qui hosti le propugnaculum fossa circundarent. qua tandem obliquis ambagibus sub ipsum propugnaculi vallum militi pateret accessus. In eo opere sex aut septem diebus maximo cum Regiorum detrimento desudatum est. Quò enim fodiendo magis hosti appropinquabant; eò plures sternebantur & vulnerabantur. Parmensis ipse quotidiè castra lustrabat, operaque vrgebat, interdiu in vrbem veniens, & sub vesperum in castra reuersus ibidem pernoctabat. Non placebat Parmensis institutum viris & prudentia & exercitatione militari præditis, qui

Parmensis oppugnationem propugnaculi in Batauia tentat.

duos

duostantum eminentiores colles (vulgus mili- Anno
tum nunc *Catten* vocat) excitandos, suadebant, 1594.
quod & minori Regiorum damno & maiori cõmodo fieri potuisset: ex ijs enim hostem à propugnatione prohiberi posse aiebant. Dum huic operi instãt Germani pedites, equites, peditumque legiones aliæ aliquot millia fascium comportant, quibus in oppugnatione fossæ munitionis obstrueretur. Gerræ deinceps ad machinarum bellicarum defensionem eriguntur & tandem machinæ aliquot præter eas, quas ipse Dux aduexerat, ex vrbe attrahuntur, omniaq; ad vallum disturbandum præparantur.

Vigesimo secundo Iulij, Mariæ Magdalenæ sa- 22. Iulij
cro, mane hora quinta Dominus La Motteus nouem tormentis vallum munitionis verberauit; paulò pòst sex, deinde tribus; septima hora cessatum est, ictuslin vniuersum numerati sunt circiter 230. Causa cur cœptum hoc continuatum non fuerit, adhuc ignoratur, miranturque multi, præsertim cùm frustra nõ fuerit. Exigua namque illa vi vallum adeò fuit conuulsum & laceratum, vt signifer Hispanus accurrens, illud facilè ascendere potuerit: quem Hiberni aliquot secuti sunt, & collato pede cũ hoste in ipso vallo præliabantur. Octaua circiter hora corona munitionem inuadunt, & diu velitantes, infinitam sphærularũ vim in se mutuo eiaculati sunt, sed temerè, & absque vllo fructu; cùm ruinæ nullæ essent stratæ, per quas aditus pateret. Postea cùm receptui signum datum esset, altũ in castris fuit silentium, in vrbe verò mœror & trepidatio. Captatur aliud consilium, vallum suadent

suffo-

Anno 1591.

fuffodiendum, & immiſſo puluere euertendum; id ciuibus perſuadetur.

Mauritij è Friſia in Gal liam reditus.

Mauritius in territorio Groeningenſi, cùm metropolim ipſam aliquamdiu obſediſſet, Parmenſiſque aduentum in Batauiam intellexiſſet, relicta Friſia, exercitum in Gelriã reduxit. Trepidabatur Arnhemiæ, & in vicinis oppidis. Timuit & ſibi & ſuis Vigius, vrbis Tilanæ præfectus; portam oppidi, qua iter eſt Nouiomagum obſtruxit, aggerem antiquum reſcidit, nouumq; (vt hoſti præcluderet iter) excitauit, & quæ ad defenſionem pertinebant, præparauit. Mauritius cùm Arnhemium veniſſet, ponte fluuium iunxit, intentus ſi hoſtis exercitum ex improuiſo carpere poſſet; neque enim collatis ſignis cum eo pugnare audebat. Patebat quidem illi ad Parmenſem acceſſus, cuius caſtra nullo aggere, nullo vallo, nulla erant prætentura circundata vel munita, quæ aditum, impreſſionemque prohibere potuiſſent. Sed inſidijs & dolo magis quàm viribus ſuis confidebat. 24. itaque Iulij aliquot equitum peditumque copias in inſidijs non procul à Rheno poſuit, & duas turmas equitum in penitiorem Batauiam præmiſit, quæ hoſtem prouocarent. Quas cùm conſpexiſſent 200. circiter equites Regij, inter quos Prætoria cohors Parmenſis, in eas feruntur. Pugnatur cominus, capiuntur 40. circiter Mauritiani, fugiunt reliqui. Regij in illo feruore vehementiores illos inſequuntur, nullas inſidias metuentes. Admoniti à captiuis ne vlterius pergerent, latere inſidias, non ſe & ipſos perdant, admonitionem cõtempſerunt, donec tandem ad ponticulum ventum eſt, vbi ſiſte-

Victoria Naſſouij in Batauia.

re ſe

reſe debuiſſent. At illi feruétiores vlteriùs pro- Anno M.
greſſi, hoſtem inſequi non deſiſtunt, donec qui 1594.
iuxta ponticulum latitabant ex inſidijs conſur-
gunt primi; deinde & alij, qui in circuitu erant,
& Regios tam à tergo, quàm à fronte circumue-
nientes, paucos cædunt: cæteros, elapſis quibuſ-
dam, viuos capiunt. Captus eſt in hac pugna Pe-
trus Franciſcus Rigallaius, Prætoriæ cohortis
ductor, Marchionis Guaſtij frater, illius Vica-
rius, Antonius Senagallius, & alij quidam Nobi-
les, gregarijque equites plures. Cæſorum capto-
rumq; numerus centũ circiter & quinquaginta.

Huius cladis fama cùm in caſtra Parmenſis, ab ijs, qui infortunium hoc euaſerant, eſſet allata, magna fuit omnium triſtitia, cum indignatione permixta, tum quia tot viri fortiſſimi capti eſſent, tum etiam, quod ſibi ipſi hoc malum acerſiuiſſent. Captabat Parmenſis occaſionem hoſtem vindicandi, & ea nocte cum parte exercitus in interiora Batauiæ ingreſſus, hoſtem vbiq; quærebat. Sed ille ſe ſuis caſtris continuit. His omnibus malis acceſsêre, quod quotidianæ, cõtinuæque pluuiæ Batauicam terram prorſus gleboſam, ad gerendum bellum redderent inutilem; flumenque in immenſum creſceret: ita vt operæ omnes aquis inundarent. Altero igitur die *Parmenſis obſidionem Knodſenburgij ſoluit.*
D. Iacobo ſacro Parmenſis de expugnatione pro-
pugnaculi deſperans, & maius incommodũ me-
tuens, ſuos conuaſare, caſas incendere, & obſi-
dionem ſoluere præcepit. Maiora tormenta præ-
miſit, ipſe cum exercitu, toto penè biduo ad-
huc in Batauia manſit, hoſtem expectans, ſi for-
tè ad manum venire auderet. Tandem equites

primò,

Anno 1590.

primò, deinde pedites eo ordine (quod potissimum in hac expeditione laudatur) flumen traduxit, vt nullus è suis desideratus sit. Turpe igitur hallucinatur hic, vti & in multis alijs, scriptor quidam Germanicus, qui sua ex ficto quodam Iacobo Franco Latino transtulit, cùm dicit, duas machinas à Parmense propter celerem fugam in Batauia relictas: tanta ataxia, tam præcipiti fuga milites ad scaphas & pontones accurrisse, vt duo depressi sint, & homines submersi, Præsidiarios qui in munitione erant, exercitus tergum carpsisse, multos tormétis laceratse, multos trucidasse. Quæ verò de nauibus Ordinum igne instructis, Vahalimque ingressis, & quæ de 3000. Regiorum in Batauia cæsorum scribit, ex professo falsa sunt. Sed nec sibi ipsi constat, cùm exercitum Parmensis tribus tantùm millib. constitisse dicat, solus itaque euasit. Hæc & similia omnia quam longissimè absunt à veritate.

Parmensis suis Vahalim traductis, in vrbem venit. Verdugiũ, Comites Tsherenbergios, Hermannum, Ludouicum & Henricum è Frisia primò: deinde & Dragonium Antverpia ad se vocat, qui cum instructissimis equitum turmis, Noiomagum venerunt. Magna quoque pars exercitus (equitum aliquot copijs, exceptis, qui magno oppidanorum incommodo in agro subbano obuias quasq; segetes demetebant, & equi obijciebant) in vrbem vocatus est. Magnus erat Principum, magnus Nobilium & fortissimorum militum in vrbe numerus: consilia quotidiè conferebãtur, nihil tamẽ statui potuit, quod magnoperè ad vrbis conseruationem faceret: nisi quod

tribus

tribus præsidiarijs signis dcereta sunt aliquot coronatorum millia, vnde quinq; mensibus singuli singulis mensibus stipendium perciperent: item alia aliquot millia, ex quibus singulis mensibus vnicuique 38. sestertij numerarentur, quibus sibi ipsi hospitia conducerent, ne ciuibus essent oneri: tertiò quædam millia, quibus frumẽtum emptum est, vnde panes quinque librarum cocti quinto quoque die singulis distributi sunt: De augendo autem præsidio diu multumque disputatum est. Ceterùm non placuit ea res quibusdam ciuibus, qui aut ipsi nouas res affectabant, aut ab alijs erant subornati. Sanior tamen & potior ciuium pars validiùs præsidium admittendum esse; sine illo enim seruari ciuitatem nõ posse arbitrati sunt. Vicit tandem maior, sed (vt quibusdam videtur) deterior suffragiorum numerus. Ab illo autem die Ordinibus vrbis potiundæ non exigua spes affulsit. Sunt nihilominus è Senatu, qui tunc erat, qui asserunt, se tandem à Parmensi vnam equitum cohortem petijsse: sed negatam esse, & Parmensem respondisse, Se totum exercitum suum in procinctu relicturum qui vrbem ab omni hostium vi, omniq; obsidione tueretur: se Nouiomagenses vt pupillam oculi conseruaturum: opus non esse maiori præsidio, afflictis afflictionem non esse addendam.

Anno 1591.

Hoc modo compositis omnibus, quarto Augusti sub vesperem omnibus Principibus, Ducibus, & belli præfectis præcipitur, ea nocte se ad iter parent: Ducem enim summo mane discedere decreuisse. Postridiè profunda adhuc nocte conuasatis omnibus, Princeps cum octingentis

4. Augusti. Parmensis Nouiomago discedit.

circiter

Anno 1591.

circiter equitibus, omniq; comeatu aulico Nouiomago discedit, Verdugio Imperatore totius exercitus; qui in Gelria relinquebatur, & iuxta Craneburgum castrametabatur, creato: qui paucis post horis ex vrbe in castra quoque profectus est. Parmensis, quia aduersa valetudine conflictabatur, ad fontes iterum Spadanos profectus est, vbi ab Illustrissimo Electore Ernesto ex Germania, vbi copias aliquas peditum coegerat, reduce salutatur. Actum hic aiunt inter Ducem & Electorem de oppidorum Diœceseos Coloniensis, euocatis præsidijs Regis Hispaniarum restitutione.

Verdugius exercitum sibi demandatum, pòst aliquot dies lõgius Nouiomago abduxit, & Morsam versus cum eo in VVes, pagum Cliuiæ non procul à Gocchio profectus est. Nassouius & Ordines, siue à fautoribus, quos in vrbe habebant, vocati, siue quia exercitum discessisse audierant, ingenti classe comparata & instructa, Vahalim ingressi aduerso flumine, sed vento propitio Nouiomagum velificârunt, & aliquot diebus in anchoris steterunt. Exercitus tota Batauia dispersus mãdatum Nassouij expectabat. Sed quia Verdugius vltro citroque aut ipse quotidiè Nouiomagum veniebat, aut è suis aliquot mittebat, sublatis tandem anchoris naues in Hollandiam reuersæ sunt. Sunt qui asserunt Nassouium his quibusdam quibusdam vocatum venisse, sed proceribus occasionem fidem soluendi præreptã.

Nauarræi Noviodunũ expugnat.

Parmensem in Galliam reuersurum fama per Nauarræi castra frequens erat. Rex quia metuebat cum nunc iterum Noviodunum in Picardiæ

iter instituturum, habito cum suis consilio, vrbem hanc 15000. militum exercitu circundedit, arctaque obsidione, & 14. maioribus tormentis cinxit. Initio militari more deditionem postulauit; & tolerabiles conditiones ciuibus obtulit, ne ciuitatem nitidissimam, culteq; structam destruere cogeretur. Oppidani ne quidem responso dignati, aliquot machinas in exercitum Regium eiaculati sunt. Quod cùm Rex ægerrimè ferret, confestim per cunicularios mœnia suffodere, suppositoque puluere & igne subuertere conatus est. Suffossis fundamentis, muri ex improuiso corruerunt, & quàm plurimos è Nauarræis oppresserunt. Rex nihilominus in obsidione perseuerauit, & omnibus quibus potuit viribus vrbem oppugnauit. Mœnius interea & Dominus de Tauannes cũ aliquot copijs Rhotomago Nouiodunum contendentes, obsessis opem ferre voluerunt: Sed viribus impares ad sua redierunt. Qua re oppidanorum animi consternati sunt, deditionem tamen facere noluerunt, & ingentes strages in Nauarræi castris suis machinis ediderunt. Vrget expugnationẽ Nauarræus, & quarta tandem oppugnatione vrbem vi occupauit, omnesque in armis inuentos, trucidauit. Ceteris graue lytrum imperauit, Magistratum & Præfectos reliquos mutauit, suis præsidijs vrbem muniuit, & reliquum exercitum cum apparatu bellico in Pictones remisit. Anno 1591. 6. Augusti.

Nauarræus se publico edicto purgat, & Catholicæ Religionis

Præcedenti mense Nauarræus publico edicto mentem suam de permittenda Catholicis Catholica Romana Religione declarat: in quo initio Regni sui se nihil magis optasse dicit, quàm vt

Anno 1591.

conseruationem promittit.

Verba sunt Nauarræi.

concilium conuocaretur, in quo Religionis controuersiæ componerentur. Se non obstreperum fore, prefractum aut obstinatum; sed doceri velle; & si error demonstretur, se saniora consilia secuturum. Sibi decretum etiam semper fuisse in Catholica, Apostolica Rom. Religione nihil mutare, aut vt ab alio mutetur admittere velle: sed professoribus eiusdem Religionis illam, omniaque illorum immunitates & priuilegia sarta tecta conseruare. Inde longa oratione conqueritur, se ab hostibus falsò apud omnes traduci, quasi persecutor sit, & oppressor Religionis Catholicæ; quorum etiam machinationibus se Sixto V. suspectum & exosum redditum, & excommunicatum fuisse. Sed eidem Pontifici tandem eorum fraudes & dolos innotuisse, eumq; prioris excommunicationis pœnituisse, magisque in ipsos fulmine suo sæuijsse, quàm vnquam in alios sæuierat. Nunc verò eosdem rebelles alium in eadem dignitate nactos, qui illis tractabilior est, eò quod nimis facilè credit, inauditos enim eum condemnare, nec defensionem admittere. Hinc facilè colligendum eum à partibus eorum stare, nec æquum esse (vt debebat) Patrem. Quam falsò accusatus sit, quasi Religionem opprimere cupiat, vel id testari, quod omnes Principes sanguinis, Officiarij coronæ, Satrapæ, Præfecti & ministri Concilij, quique primarijs regni funguntur officijs, plerique Catholicæ, Catholicæque religioni addicti sunt. Ad hæc Cardinales & summos regni prælatos in Concilijs & Parlamentis præcipuos esse. Vt igitur adhuc securiores reddat dilectos sibi, obedientesque Catholicos, ite-

cos, iterum affirmat, & coram Deo testatur, nihil sibi antiquiùs esse, quàm vt Concilium edicatur, seu conuentus sufficiens fiat, in quo religionis controuersiæ disputentur, & concilientur. Quantum ad suam personam, eam semper propensam fore, ad sanam institutionem & doctrinam sequendam, nec maius quid desiderare, quàm vt illam consequatur gratiam, vt si in errore sit, is doceatur, quò ab eò, ad veram fidem transire possit. Iureiurando quoque promittit, se Catholicam, Apostolicam, Romanam Religionem, eius exercitium & priuilegia conseruaturum, nec vllo pacto permissurum, vt quis in ea vel minimum mutet, aut in eius præiudicium faciat. Tandem ostendere conatur Legati Apostolici mandatum itritum esse, & nullius ponderis, magisque tendere ad perniciem Gallicæ Ecclesiæ, quam ipse promotam se cupere dicit, quàm ad illius vtilitatem & salutem: Mandat igitur omnibus legationi Pontificiæ sese opponant, Cardinalibusque, Archiepiscopis, Episcopis, & Prælatis præcipit, vt iuxta præscriptũ iuris, Canonum & Decretorum se muniant, ne officia Ecclesiastica vsquam intermittantur, & populus suis pastorib. diuinisque officijs spolietur. Vicesimo deinde quarto mensis eiusdem Iulij, aliud mandatum iussit promulgari, quo inuehitur in eos, quorum importunitate vltimum pacis edictum erat reuocatum, primò per subsequens edictum an. 1585. mense Iulio secundo per decretum anni millesimo quingentesimo octuagesimo octauo Rothomagi publicatum. Vtrumque edictum Regi violenter extortũ, & ex eo plurima in

Anno 1590.

Aliud mandatum Nauarrai.

Anno 1591.

Regno enata mala dicit. Ideò præsenti hoc suo mandato se duo ista edicta, vt pernicioſiſſima, violentaq; reſcindere, & abrogare, ipſum autem pacificationis decretum approbare, atque vt ab omnibus approbetur, & obſeruetur mandare ſignificat.

5. Auguſt. Edictum Parlamenti contra monitorium Bullæ Gregorianæ.

Tandē hoc menſe Auguſto Parlamentum Turonenſe edicto publico Monitorium Bullæ Gregorianæ, quo Nauarræus excommunicatur, infirmat, reſcindit, & irritum facit: impium, ſeditioſum, dolo plenum, omnibus ſanctis decretis, ſtatutis, iuribus, priuilegijs, immunitatibus & libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ cōtrarium pronunciat. 2. Iubet exemplaria ſeu diplomata Marcellini Landriani ſigillo munita, & manu Sebaſtiani Lambineti ſubſignata, per Carnificem lacerari & igne ante palatium comburi. 3. Interdicit omnibus Prælatis, Sacerdotibus Vicarijs, aliiſq; viris Eccleſiaſticis eadem exemplaria publicare, & diuulgare: Omnibus etiam vtriuſque ordinis ea domi habere & aſſeruare. 4. Declarat, & pronunciat Gregorium huius nominis XIIII. Pontificem, Sciſmaticum, Hæreticum, & iuratum pacis & concordiæ Catholicæ, Apoſtolicæ, Romanæ Eccleſiæ, Regis Franciæ, & totius Regni inimicum & hoſtem: Imò proditoriæ Hiſpanorum ſeditionis & coniurationis complicem, vt qui perduelles tuetur & defendit, ijſq; ad inauditum mortis Henrici Regis latrocinium opem & conſilium præbuit. 5. Interdicit idem Parlamentum omnibus collybiſtis, ne poſthac vllam pecuniam, auream vel argenteam pro Bullis, Prouiſionibus, Diſpenſationibus, aut alijs expeditio-

peditionibus Romæ numerẽt. Quod si iam quæ- Anno
dam Bullæ aut aliæ Papales gratiæ sint impetra- 1594.
tæ, vult illas à Iudicibus & Decanis ruralibus irritas censeri & iudicari. 6. Præcipit vt Marcellinus Landrianus, Legatus Pontificius, qui Monitorium Bullæ in Regnum primus intulit, comprehendatur, & in vincula coniiciatur: vt à Parlamento cõtra illum iure procedatur. Quod si tã citò capi nequeat, publicis literis ter vt veniat citetur. 7. Vt oẽs Regi & Regno fideles subditi, huic edicto pareant, & vt in omnibus seruetur, omni cura incumbant, imperat. 8. Vt idem in omnibus biuijs promulgetur, legatur, lectum valuis affligatur, & omnibus iudicibus, præfectisque mittatur, vt idem faciant iubet: 9. Tandem omnibus Archiepiscopis, Episcopisq; seriò mandatur, vt hoc Parlamenti decretum omnibus suæ Diœceseos & iurisdictionis Ecclesiasticis insinuent, ne quis ignorantiam aliquando prætendat. Idem iubetur omnibus Gubernatoribus, Baliuis, Iudicibus & Senescallis, vt edictum hoc vbique proclametur. Generalis quoque procuratoris ministros iuuent, vt hæc omnia seruentur, sub pœna suorum officiorum amissionis.

Bragadinus chymicus capite plectitur.

Marcus quidam Bragadinus, insignis Chymicus, circa hæc ferè tempora. Monaci in Bauaria capite plectitur. Is paulò ante Venetijs in Bauariam venerat, auriqué faciendi artem profitebatur. Neque illum vel ars, vel dolus fallebat: aurum enim tanta copia faciebat, vt integras massas amicis donaret: aurum non pluris, quàm æs aut ferrum faciebat. Splendidè & Principũ more victitabat, magnificentissimam alebat familiam,

Anno 1591.

famulos magni nominis viros habebat; Illustrissimi titulo salutari volebat, multosque Principes in Europa magica sua arte in sui admirationem rapiebat; adeo vt alter Paracelsus haberetur.

Cùm verò Magiam suam longo iam tempore exercuisset, omnibus Principibus innotuisset, ab omnibus expetitus est. Venit tandem Monacum, in aulam Ducis Bauariæ. At is cùm breui dolos & diabolicas illius artes deprehendisset, atq; odoratus esset, eum in carcerem compegit. Cumque illum in tortura examinari Princeps iussisset, ne torqueretur deprecatus est, promittens se vltro, quæ vnquam perpetrauerat, dicturum. Sed & totius vitæ suæ curriculum, omniaque in eo commissa scelera scripto exhibuit: ne tamen publicarentur orauit. Se quidem morte dignum confessus est, sed vt concubina sua, Signa Caura, totaque familia illæsa in Italiam remittatur supplex rogauit. Octauo itaque Augusti clementissima, & qua multò duriorem nonnulli expectârant, lata est in eum sententia: primo scilicet canes illius duo, quibus in magicis rebus abusus erat, sclopetis traijcerentur: ipse autem capite plecteretur. Rota tam miti sententia Principi gratias egit, se multò seueriorem, & vt minimum ignem promeritum dicens.

Supplicium Bragadini.

Postridiè nouum erectum est patibulum, aurichalco obductum, & in medio illius laqueus, eodem aurichalco inuolutus; appenditur, quo signo dolus illius auri conficiendi significaretur. Iuxta patibulum excelsum pegma constructum, & nigro panno stratum est. In pegmate sedes collocatur,

locatur, & in ea reus lugubri veste indutus. Sedenti carnifex, ceruice nudato, caput amputauit: quod cunctis spectandum exhibitum est. Atque hîc finis nobilis illius Chymici. Anno 1591.

Argentoratenses diruunt Carthusianorũ Monasterium. 17. August.

Celebre & antiquum erat in agro suburbano Argentorati Monasterium, Anno 1340. à tribus opulentissimis ciuibus, Ioanne Misniẽsi, Gerardo Saxone & Vernero Hesso ædificatum: Carthusianisque inhabitandum datum. Magistratus Argentoratensis septimo Augusti aliquot senatores, duos currus, & viginti sex sclopetarios in Monasterium hoc ablegauit, cum mandato, Priorem & tres illius fratres in vrbem adducerent. Hi cùm eò veniissent, & à Priori humaniter accepti essent, præceperunt Priori, cum suis currũ conscenderet, secumque in vrbem proficisceretur. Qui cùm id negaret, se excusaret, atque vel in posterum saltem diem in Monasterio vt relinqueretur oraret, exauditus non est: sed coactus cum illis in ciuitatem proficisci. Adducti itaque omnes in ciuitatem, & promo condoque suo traditi. Postridiè miserunt, qui in ambitu vitreas fenestras comminuerunt, Bibliothecam, aurum, argentum, vinum, omnemq; annonam diripuerunt, & in vrbem comportârunt. Sequenti nocte octuaginta cæmentarios expensis suis conductos in idem Monasterium deducunt, qui totum monasterium primò, deinde turrim demoliti sunt. Vt autem huic facto honestum titulum prætenderent, famæ dant, Ioannem Manderscheitzium, Argentinensem Episcopum cum Ducis Lotharingiæ filio in peregrino habitu tribus diebus, ac noctibus totidem, in hoc Monasterio,

Anno 1591.

nasterio, vrbi nimium vicino, delituisse: omnia lustrasse, & indagasse, vt eo occupato, fluminis, lignorum, & molarum commoditates vrbi præriperet, eamque pro suo arbitrio diuexaret. Eodem tempore Argentoratum missæ sunt multæ machinæ bellicæ, & flumen, quod vrbem interluit (Breusch vocant) nauibus propè coopertum & stratum erat: nec initio sciri potuit, in cuius vsum tantus apparatus fieret, donec tandem animaduersum est, machinas omnes armis & symbolo Nauarræi Regis, quem & illi Franciæ Regem nominant, insignitas fuisse.

Apparatus bellicus Argentoratum missus.

Inuillæus Ducis Guisij filius seipsum ē captiuitate liberat.

Inuillæus Ducis Guisij filius adhuc in arce Turonensi sub custodia Rouuralij captiuus detinebatur: qua in captiuitate, supra duos annos, iam octauum mensem agebat. Diligentissimè custodiebatur, nec vllam habebat libertatē, qua Princeps tam iuuenis sese posset subinde oblectare. Huius tam diuturnæ arctæque custodiæ pertæsus Inuillæus, per internuncios cum Domino *de la Chastre*, consanguineo suo, egit de modo, quo liberari & ex captiuitate posset elabi. Inuentus est modus, & dictus est dies 15. Auguſt. assumptæ in cœlos Mariæ festus. Isto itaque die, vt conuentum erat, Princeps postquam tota nocte Deum obnixè rogasset, vt fœliciter sibi quod propositum erat succederet, B. Virgini se commendasset, & sacrosanctis Sacramentis munijsset, circa Meridiem, quo tempore vrbis & arcis portæ claudi solent, occasionem quærebat custodes à se ablegandi, vt solus esset. At illi, fortè aliquid sinistri suspicati, secedere noluerunt. Ianua cubiculi erat validissima: hanc iuuenis custodibus ante

15. *Auguſt.*

cubicu-

cubiculum obambulantibus occlusit, & à duobus famulis suis custodiri iussit. Confestim ad fenestram accurrens, funi eum in vsum sibi à lotrice pridem missо, & indusio inuoluto baculũ illigat; cui inter crura inserto insedit, & sic à ministris suis demissus est. Custodes cùm se exclusos viderent, nec ianuam aperiri, ex alia fenestra prospicientes, vident Ducem à fune pendentẽ. Quater in eum eiaculantur, at non læserunt. Famuli, qui funem regebant, territi illum deserunt, cadit princeps, decidit capite pileus, & coxendices grauissimè lædit. At periculi præsentia faciebat, vt doloris oblitus, summa cum celeritate secundùm aquas cucurrerit, vt se in tutum reciperet. Ceterùm quia via erat longior, vix respirare potuit: stare autem non erat consultum: quidam enim è mœnibus clamabant, captiuum fugere. Ecce in hoc periculo constitutus, vidit quendam equo insidentem. Accurrit, orat equũ sibi concedat. Quod cùm ille negaret, princeps vna manu pugionem stringit, altera insidentem equo deijcit, insilienſque in eundem equum velocissimè aufugit, donec ad locum veniret, vbi Cubicularius eius cum generosiori equo illum expectabat. Cubicularius, & qui cũ illo erant, videntes hominem sine tegmine, hostem esse arbitrati, fugerunt. Vociferatur Princeps, donec tandem agnitus est. Mutato equo cœpto pergit itinere. At duo Scoti illum insecuti, iam penè assecuti erant: & certè fuissent, nisi quidam senex è suburbio, qui Principem nouerat, vnius Scoti equum freno detinuisset, orans vt optimo Principi parceret. Dum hîc vrget, ille negat, equo cespitante

Anno 1591.

Anno 1591.

ſpitante ſeſſor decidit. Accurrens alter Scotus, ſenem grauiter vulnerat. Inter has turbas Inuillæus euadit, fluuiumque *Cher* incolis dictum, tranauit. Hic ſtatim aliquot Nobiles à Domino *de la Chaſtre* obuios habuit, qui eum ſumma cum lætitia exceperunt, & in oppidũ *Selles* deduxerunt. Dominus *de la Chaſtre* audito felici ſucceſſu, ſtatim Canticum DD. Ambroſij & Auguſtini canit iubet, quo finito celerrimis equis ad Inuillæum proficiſcitur, eumque nobiliſſimo cum comitatu Auaricum, Biturigum oppidum, deduxit. Hic ab omnibus vtriuſque ordinis hominibus, obuiam illi prodeuntibus magnificentiſſimè exceptus, & in primarium vrbis templum deductus eſt, vbi ſecundò Canticum *Te Deum* repetitur. Inde carminibus, & inſigni Comœdia de adoleſcentibus in caminum ardentem iniectis, per ſtudioſos Societatis Ieſu ſalutatur.

Inuillæus Auaricum venit.

Exercitum Germanorũ Nauarræo militaturum coit.

Principes, Chiliarchæ, Centuriones, alijque præfecti à Proteſtantibus ad bellum in Gallia gerendum deſignati, in Thuringia, Saxonia, Miſnia, Sileſia, Palatinatu, & ditionibus Brandeburgicis incredibilem equitum, peditumque numerum collegerant: qui omnes propè Gelhauſen confluentes, Imperatorem ſuum Principem Anhaltium expectârũt. Qui cùm aduenisſet, copias omnes Vrſellam, Francfurtum ad Mœnium, & in vicina loca præmiſit: priùs autem placitum Principum de comeatu publicauit. Conuenerat enim antea cum Principibus, quorum intererat, quantum pro frumento, auena, vino, cereuſia, ceteriſque neceſſarijs milites numerarent. Interim ab hortis, pecoribus, & ſegete abſtinerent.

Contractus Anholtij cũ principibus de comeatu.

II. Aug
iecti iu
nitie lo
exerci
equite
cundo
rebant
hi, qu
ſerper
& cam
1200
ſexcen
Turei
tius, cũ
helmi
tibus h
reiniu
equitâ
runt.
Nauar
ſibus ſi
raſſent
omnib
lætitia
Pla
nata:
parte
rat 68
dius d
ſus co
70. cir
quibu
bus re

II. Au-

11. Augusti omnes præfecti & milites illis subiecti iuxta Hochheim, in magna & spaciosa planitie loco diribitorio aptissimo conuenerunt, vt exercitus recenseretur. Primo loco lustrati sunt equites Criechinhij, & inuenti sunt mille. Secundo Fabiani à Danavv, cui totidē equites parebant. Tertiò lustrantur machinæ bellicæ, & hi, quorum est eas administrare, numerati sunt serpentini duo, cartones (vt vocant) totidem, & campestres machinæ duodecim. Cunicularij 1200. quos sequebatur legio Francorum, mille sexcentorum equitum & peditum, quam Comes Tureinæ ducebat. Quarto transijt ipse Anholtius, cū 2200. equitibus. Quinto Georgius VVilhelmi à Berbisdorff, cum 1000. Omnibus equitibus his in circulo constitutis, Anhaltius, Tureinius, alijque Tribuni, Legati & Præfecti obequitârunt, singulasq; turmas diligenter lustrârunt. Tandem sacramentum proponitur, quod Nauarræo, seu coronæ regiæ in Gallia tribus mēsibus fideliter militârent. In hæc verba cùm iurassent, omnes machinæ bellicæ disploduntur, omnibus tubis canitur, magna erat in exercitu lætitia.

Anno 1591. 11. Augusti.

Exercitus recenseretur.

Sacramentum exercitui proponitur.

Planities fossa, valloque exiguo erat distermināta: equitibus ab vna parte lustratis, ab altera parte pedites recensentur, quorum numerus erat 6800. quos Comes de VVeda, & Dominus Lādius ducebant. Lustrato exercitu Rhenum versus contendebant. Cumq; in VVallauff veniissent 70. circiter scaphas, aliasque naues inuenerunt, quibus flumen traiecerunt: deinde aliquot diebus reliquas copias expectârunt. Post nō multos enim

Anno 1591.

enim dies subsecutus est Frentius cum 600. equitibus; Templius cum 4000. peditibus, equitibusque ducentis; Domini Rebourij Vicarius cum 100. equitibus, & 400. peditibus. Iselsteinius & Quadius singuli 200. equitibus & sexcentis peditibus imperantes: claudebant agmen Rebourij 1200. pedites. Ipse Rebourius nondũ in exercitum venerat, sed in Hollandia plures copias colligebat. Cumque sexcentos circiter pedites nactus esset, in via 400. defecerunt, & clam fugiẽtes ab agricolis passim trucidati sunt. His etiam recensitis iter per Palatinatum instituunt, & ad siluam quandam, non procul à Nuvvenhouio 21. perueniunt: vbi aliquamdiu subsistentes, exercitum in ordinem redegerunt hunc: Comes Tureinæ primum locum occupabat, qui mille sexcentos homines armatos ducebat. Anhaltius secundum qui 2200. equites; Tertium Georgius VVilhelmi Berbisdorff, aut (vt quidam) Barfersdorf, qui mille equites ductabat. Hũc sequebantur quadringenti pedites Iselsteinij. Iselsteinium Vicarius Rebourij, cui totidem pedites parebant, Hos Criechingius cum equitibus mille, Criechingium Dux Bernhardus, Princeps & dominus in Dessavv, qui prætoriam cohortem 1000. equitum ducebat. Dessauium Fabianus à Donavv, cũ 1000. equitibus. Hunc Landinus cũ 3400. peditibus. Ex opposito Comes de VVid constitit, 3400. quoq; peditibus imperans. Hunc sequebatur Templius cum 4000. peditibus, & 200. equitibus: & Comes de VVeda cum trecentis peditibus. Ab altero exercitus latere Christophorus Helslerus, cum 300. peditibus constituitur:

21. Augusti.

Ordo exercitus iuxta Nuvvenhouiũ.

tuitur:

tuitur: in medio iunior Comes de Vvesterburg, cui 3400. pedites merebant. Hoc ordine, atq; hac forma stabat exercitus, cùm ad sortes eundum erat. In horũ tot millium hominum medio Præfecti & Tribuni diu multumq; consultabant, quo ordine apparatus bellicus proueheretur. Sortiti itaq; inter se, quis inter equites primum locum in agmine haberet, agminisq; Dux esset, munus hoc Fabiano à Donavv sorte obtigit. Is confestim aliquot cunicularios præmisit, qui vias, ne quid equis, curribus aut machinis impedimento sit, sternant, reparent, dilatent ac complanent. Machinæ bellicæ in medio agminis à 44. equis protrahebantur. Comeatus, puluis tormẽtarius, fomes igniarius, ligones, palæ, sarcula, pontes, scaphæ, scalæ, diuersa arma, similiaque necessaria tribus curuũ millibus vehebantur: his exercitus tanquam vallo claudebatur. Dum hîc ordo constituitur, alij aliquot Centuriones aduenerunt, seseq; exercitui iunxerunt. Inter alios Ioannes à Berich, Comes è Thuringia; Hermannus à Rosenroot; Stellamus ab Holtzendorff; Quadius; Iacobus Melchius; cæcus Comes Mansfeltius, & alij. Casparus Schonbergius suam legionem per montana Argentoratum duxit. Rebourius cum suis ducentis peditibus serò aduenit; cumq; Rhenum traijcere prohiberetur. 6. Septemb. Francfurtum ad Mœnum venit. Sed quia cum tã exigua militum manu progredi non auderet, etiam hos sacramento absoluit, & cum exiguis equitibus Schonbergium insecutus est. Exercitus ipse optimo ordine processit; donec tandem Ioannes Casimirus citatis equis ad Anholtium, ceteroq; præ-

Anno 1591.

6. Septemb.

Anno 1591.

præfectos venit, instruens eos, quo modo & ordine cuncta essent peragēda. Post consilium Casimirus reuersus, & stupendus hic tot millium peditum & equitum, qui spe totam Galliam deuorabant, exercitus magnis itineribus in Franciam contendit.

Ite viri fortes, non vos Germania cunctos
Excipiet reduces: lugebit patria multos
A Gallis cæsos, Gallæ tellure sepultos.

Iter exercitus in Galliã.

Cùm ad arcem Homburgum veniissent; eamque tentassent, hostiliter excepti machinis bellicis à muris reiecti, & 51. occisi sunt. Castrum verò Forbachium cum oppido ceperunt, captumque & spoliatam reliquerunt. Oppidulum deinde Santefortum deditione occuparunt; cuius mœnia cùm diruissent, arcem Chastoriam expugnarunt & spoliarunt. Hic Templius 200. circiter pedites amisit, qui fugientes dum ad sua reuerti vellent, ab rusticis capti & occisi sunt.

Insigne miraculum in S. Eucharistia exhibitum.

Iudæus quidam Leo nomine, in omni genere linguarum exercitatus, Pragæ nuper in Boemia ad fidem conuersus, & Christianorum sacris initiatus, familiaritate cuiusdam Franciscani, Petri Rodami, cui cura infirmorum erat concredita, quique morientibus salutare viaticum administrabat, vtebatur. Diligenter obseruarat, vbi hostiæ consecratæ reponerentur, & asseruabantur. Initio itaque mensis Septemb. Iudæus hic Christianus factus (vt & ferè omnes huius farinæ cutiti) Iudaizans, huiusmodi hostias tres clam surripuit, chartæ inuoluit, & Presburgũ in Vngariam profectus, ad Iudæum in hospitium di-

uertit.

uertit. Cumque aliquot dies hic commoraretur, sæpè cum hospite de incarnatione Christi, deq; Sacramento Corporis & Sanguinis eius disputauit. Interrogauit tandem hospes Leonem, an aliquando Sacramentum hoc percepisset: Respondit Leo, se percepisse. Tandem eò prouecta est oratio, vt Leo tres consecratas hostias, Pragæ raptas, è sinu deprompserit, & Iudæo spectandas dederit. Iudæus visis hostijs, obnixè Leonem orauit, duas sibi donaret. Quod cum ille recusare non posset, Iudæus acceptas hostias in arculam reposuit, & accuratè custodiuit, donec Leo Presburgo Nikelsburgum proficisceretur. Eo absente Iudæus hic alios suæ sectę homines conuocat, ijs hostias exhibet, ac quomodo eas adeptus esset, commemorat. Collatis hi consilijs plures Iudæos ad se vocant, vt experiãtur sit ne in Christianorum Sacramentis dolus: an potius ea vera sint. Effundunt hostias in mensam, & ponè eas cultrum. Hic vnus eorum arrepto cultro; Si, inquit, verè Christianorum Deus es, hic virtutem tuam exere: simul ac cultrum in hostiam adegit. Extemplò copiosus sanguis effluxit. Territis hoc miraculo Iudæis, mox vindex Deus adfuit, & fulmine domum concussit. quæ igne correpta, cum hospite, vxore, duabus filiabus, multisque alijs Iudęis funditus exarsit. Tres tantummodo incolumes euaserunt. Anno 1591.

Miraculum.

Vindicta diuina.

Mensa & hostiæ in medio isto incendio saluę, intactæque remanserunt. Gubernator vrbis, qui extra muros habitabat, tam sæuum videns incendium, misit famulos suos in vrbem, vt causam incendij inquirant, & illud cum oppidanis

restin-

Anno 1591.

restinguant. Qui cùm in vrbem veniſſent, dedicerunt Iudæos aliquot iſtis in ædibus congregatos fuiſſe: quid verò egerint, nemini conſtare, multis igne abſumptis, tres euaſiſſe. Read Gubernatorem relata, tres illi Iudæi quæruntur, & inuenti in vincula conijciũtur. Habita quæſtione, cùm diu ſcelus occultarent, tandem prodere coacti, rem geſtam ordine narrarunt. Gubernator vt tantum ſcelus debitis pœnis expiaret, Iudæos iſtos exquiſitiſſimis tormentis excarnificari, tertioque die adactis per corpora ſemiuiua palis, in via regia collocari præcepit.

Iudæi capti & damnati.

Conuentus Lubecenſis. 4 Septemb.

Sub idem tempus Lubecæ conuentus Anſeaticarum ciuitatum habitus eſt, cui legati Bremenſium, Hamburgenſium, Gdanenſium, aliarumq; vrbium interfuerunt. De varijs hic rebus acta ſunt conſilia: quomodo priuilegia in Anglia reſtituenda, quomodo nauigatio libera reddenda ſit. Quibus præſidijs piratis Anglicis reſiſtendũ, quomodo bona ablata eſſent recuperanda. Decretum etiam hic, non modò legatos ad Cæſarem mittendos, ſed etiam circa finem anni huius quatuor primarias ciuitates iterum cõuocandas, vt de his rebus latiùs agatur, quò tandem nauigatio è mari Baltico in Hiſpanias, & ex Hiſpanijs in mare Balticum libera, & ab omni piratarum iniuria reddatur ſecura. Statutum denique, quod omnia debita Londini & Antverpiæ perſoluerentur. Ad hunc conuentum Doctor quoque Sudermannus, Anſeaticarum vrbium ſyndicus, cum duobus filijs venerat. Sed cùm acerba affligeretur valetudine, morbuſq; indies ingraueſceret, tandem ante finem iſtorum comitiorum

Mors Sudermanni.

tiorum placidè in Christo obdormiuit: vir prudentissimus, & longa rerum experientia in secularibus negotijs exercitatissimus, Catholicæque religionis obseruantissimus, cuius corpus Coloniam, vrbem patriam delatum, ibidem honorificentissimè sepultum est. Anno 1591.

Rudolphus Imperator, & si iam antea sæpè Ordinum Belgicorum Confœderatorũ animos fruſtra tentasset, vt eos ad pacem amplectendam adduceret, à proposito tamen non destitit. sed pacis amantissimus, Legatum suum in Hispaniã ad Regem misit, ei mentem Suæ Maiestatis declaraturum. Rex audita legatione, Cæsari totum pacis negotium commendauit, & quidquid Cæsar ageret, se ratum habiturum promisit. Cæsar ad Ordines scribit, eosque ad pacem iterum hortatur: æquissimas conditiones offert. Ordines eius Maiestati gratias agunt, sed fruſtra de pace agi cũ Hispanis, à quibus nulla stabilis & sincera pax est ex pectanda, sed qui sub specioso pacis titulo, pessima quæque machinantur: id enim sæpè antea expertos asserunt. Non obstante hoc responso Sua Cæsarea Maiestas ab ijs, qui legationem obierant, persuasa est, aliud scribere Ordines, & aliud sentire. Spem non exiguam pacis ab Hollandis expectandæ supereſſe. In proposito perseuerandum, & honorificam legationem mittendam esse. Cæsar hac spe nixus, Principes aliquot viros nominauit, quibus legationẽ hanc decreuit; vt primò ad Parmensem, deinde ad Hollandos proficiscerentur præcipiens. *Imperator pacem inter Belgas & Regem Hispaniarum cupit conciliare:*

Dum Parmensis coacto concilio deliberat, cui Belgicarum prouinciarum gubernaculum se ab- *Elector Colonienſis reſti-*

Anno 1591.

lente, & in Gallia (mandatum enim hoc à Rege acceperat) bellum gerente demandaret, & quem ordinem statui Belgico conseruando instituerent; Ernestus Electori Colonien sis Carolum Billæum Bruxellas misit, Parmensem oraret, vt præsidia, quæ in oppidis Diœceseos Colonien sis habebat, euocet. Parmensis intellecta Archiepiscop. petitione, consiliarios belli ad se vocat, eisque negotium proponit. Hic quidam æquam esse hanc petitionem asserunt: præsertim cùm Rex ab initio promiserit, se huiusmodi oppida suis sumptibus recuperaturum, & recuperata Ernesto, consanguineo suo restituturum. Sed etiam pridem ea restituere decretũ esse. Alij minimè consultum esse hoc rerum statu præsidia Regis euocare, & Archiepiscopo oppida reddere contendebant: fore enim hoc non tantùm Religioni Catholicæ, & Romano Imperio; sed & ipsi Archiepiscopo perniciosum. vrbibus enim præsidijs istis destitutis, & Protestantes Principes, & Hollandiæ Ordines ijs insidias structuros, omnen q; lapidem moturos, vt in suam potestatem redigant. Hæc cùm Electori Leodij tunc degenti essent nunciata, ipse Bruxellas venit, Ducemque & Regis, & sui ipsius promissionis admonuit. At Parmensi visum fuit negotium hoc denuò ad Regem referendum, & responsum expectandum esse.

tutionem oppidorum exigit.

Dum hæc in Belgio geruntur, Lotharingiæ Dux omnes vires colligit, & terminos suarum ditionum præsidijs munit, vt aduenienti Anholtio cum suis Germanis aditum in Galliam intercludat. Expectabat vires Italorum, quos Pontifex mi-

Lotharingiæ Anholtio viam intercludere nititur.

fex miserat, vt cum his & cum ijs, quas Dominus Sembelmontius adduxerat, vias omnes iuxta Asseneiam, Villamfrancam, & Iamaisium obsideret. Regis Hispaniarum copiæ nondum aduenerant: sed in Ducatu Lutzenburgensi conueniebant. Per eosdem dies in Mediomatricum Metropoli vrbe Metensi, inter Catholicos & Protestantes exorta est seditio; dum interrogante Gubernatore Burgundos, alioſque oppidanos; Quem Regem agnoscerent, & à cuius partibus starent. Protestantes responderent, se præter Nauarræum Regem alium non agnoscere; Catholici verò, Se Gubernatorem sequi, eum sibi caput esse, quamdiu Rex legitimus non esset electus. Qui tumultus postea, sed non sine sanguine compressus est.

Anno 1591. 19. & 20. Septembr. tumultuantur Metēses.

Angliæ Regina classem rursus in Hispanicum mare miserat, vt classem Hispanicam ex India venientem auro, argento, omnisque generis pretiosissimis mercibus onustam, interciperet. Sed cùm ad angustias maris Athlantici veniſſet, ab Hispanis male excepta est: multæ naues captæ, classiarij occisi, cæteræ fugatæ sunt. Classis interim Indica in insulas Azores incolumis primum, deinde in Hispaniam appulsa est. Nec felicius pugnârunt Angli in Gallia; Dominus enim de Viles, Gubernator portus, quem Gratiæ vocant, cum auxilio Rhotomagensium inter Diepam & prædictum portum mille ducentos Anglos proſtrauit. Multi quoque Angli quotidie in castris ex inopia & miseria morieban-tur. Marchionem de Pont Lotharingiæ Ducis filium, circa idem tempus quatuor turmas equitũ

Angli ab Hispanis malè excepti.

Victoriæ cõfœderatorum in Gallia.

Anno 1591.

straiisse; Ioieusium Ducē in Tholosatibus Montmorensium cum toto exercitu in fugam coniecisse; & in Narbonensi Gallia Marchionem de Villes, vnum ex confœderatis Marescalli Montignonij affinem, Carcossonam Narbonæ vicinam ciuitatem vi expugnasse nonnulli scribunt. Hunc Marchionem plures quàm mille ex præcipua Nobilitate sequuntur; & paulò ante in Biturigibus Mendense oppidum recuperauerat.

Hulst & territorium VVasense occupāt Hollandi. 20. Septem.

Ordines Hollandiæ, ceterorumque Confœderatorum, ne otiari viderentur, cum classe sua in Flandriam nauigant, & in territorium VVasense expositi, oppidum Hulstense obsident. Oppidani vel vires hostium metuentes, vel Reipublicæ mutationem vltrò desiderantes, sese confestim dediderunt. Quibus mox tributum 500. florenorum imperatū, liberum Religionis exercitium biennio promissum, præsidium quinque signorum peditum, equitum verò duorum datum est. Adhæc conditio fuit, quod 2. turmas equitum, & quatuor signa peditum ad defensionē munitionum extra ciuitatem alerent. Quod vt minùs graue ipsis esset, decretum, vt qui in pagis habitabant, ex censu tributa conferrent. Mondragonius arcis Antvverpianæ Gubernator, cum intellexisset oppidi Hulstensis deditionem, nec ignoraret, quanti illud erat momenti, confestim 4000. pedites, & 1000. equites collegit; quibus accessêre mille quoque Hispani, ex ijs, qui Parmensi nolentes obedire, tumultuabantur. Cum his copijs & hostem cædere, & oppidum recuperare se posse sperabat: sed fefellit illum vtrumque, cùm quia hostis audito Mondragonij aduen-

Mondragonius frustra conatur Hollense oppidū recuperare.

tu cum classe fugit, tum etiã quia oppidum maiori, quàm putabatur, præsidio erat munitum. Anno 1591.

Vicesimo nono Septembr. die S. Michaeli sacro, generosus D. Ioan. Pernstein, Ioannis Manrici de Lara, ex sorore nepos, ex aula Cæsaris Praga Coloniam profectus est: vt inde ad Parmésem primò, pòst ad Confœderatos ordines contenderet: vt si qua via modoque pax inter Regem Hispaniarum & subditos suos cõponi posset, experiretur. Interea & alij quoq; Cæsarei legati Salentinus Comes ab Isenburg Comes Lippius; Dominus de Rhede, & Iulij V Virtzeburgensis Episcopi frater itineri se accingunt. Eratque optatissimæ pacis spes indubitata.

Legati Cæsaris Coloniã proficiscuntur. 29. Septemb.

Moritur eodem quoque die Ioannes Orientalis Frisiæ Comes, summus nouorum Christianorum fautor & patronus; quem paulò pòst Christianus Saxoniæ Dux & Elector insecutus est. Qui cùm Dresdæ aliquamdiu ægrotasset, tandem 5. mensis Octobr. huius lucis vsuram cum summo Protestantium & Caluinianorum, maximè autem Regis Nauarræi, & Germanorum sub Anhaltio militantium mœrore amisit. Cadauer damascena veste atri coloris & Polonica thalari tunica ex holoserico amictum, aurea cathena, armillis, annulis, alijsq; chimelijs ornatum. Pedes ocreis & aureis calcaribus induti, caput Polonico pileo, multis additis plumis, vnionibus & gemmis circumpositis opertum, capulo primùm ligneo, pòst stanneo Christi crucifixi, matrisque ac discipuli imaginibus insignito impositum, & in templum illatum, à Nobilibus ante pulpitum, vt ab omnibus conspiceretur collo-

Ioannes Comes Orientalis Frisiæ moritur.

Mors Christiani Ducis Saxoniæ. 5. Octob.

Anno 1591.

catum est. Dextra amazoniam securim oblongam tenebat: sinistra gladium. Interna cognati & amici vndique euocantur, vt ad exequias, quæ, die Nouemb. celebrarentur, cohonestandas conueniant.

Status vrbis Nouiomagēsis.

Nouiomagi omnia quotidiè vergebant in deterius. Vrbs multis in locis erat munienda: centuriones munitionem vrgebant, ciues ad labores erant prompti: at nescio quo fato, nihil hac in re vnquam, nisi sero, constitui potuit. Sed & frequens in quorundam ore erat; Munitione opus non esse, ad oppugnationem rem non venturam, subsidia sibi à Parmensi & Verdugio promissa. Augebant huiusmodi verba Ordinũ spem: neque enim quicquam ferè in vrbe gerebatur, aut dicebatur hodie, quod non hosti cras per literas nunciaretur. Per id tempus quidam Secretarius Ordinum, nomine Christianus Hugues Nouiomagi captiuus detinebatur. Erat eius custodia libera, & quidam eum sæpe inuisebant, multaque cum eo consilia conferebant. Tandem vbi de lytro conuenisset, scripsit Parmensis, ne dimitteretur: se enim cur hoc scriberet certis rationibus moueri. Sed contempto Parmensis mandato, quorundam ope dimissus est. Quod factum varij variè interpretabãtur. Huc accedebant liberrimæ linguæ, quicquid in buccam veniebat effutientes: quique hactenus suspecti fuerant, tuerant tamen, nunc quod in pectore gerebant palam profitebantur: neque pœna vlla cuiquam statuebatur. Interim Ordinum aliquot copiæ traiecto Rheno in Ducatum Iuliacensem, vbi tunc Verdugius castrametabatur, magnis iteri-

Ordines Verdugij castra explorant.

ribus

ribus contendunt, non alio consilio (vt quidam existimant) quàm vt exercitus Regij qualitatem explorarent, & si possent aut cæderent, aut fugarent. Posterius illud non successit: eam tamen exercitus constitutionem esse didicerunt, vt facilè viderent, Nouiomagum obsessum illo exercitu non posse liberari. Scribit interea Parmensis, scribit Verdugius ad Magistratum Nouiomagensem, hostem aliquid in perniciem vrbis moliri: post quas literas & aliæ à Parmensi missæ sunt, eiusdem argumenti: addito in fine, obseruarent intrantes & exeuntes. Iamque fama per omnes penè prouincias Belgicas increbuerat, literas quotidie vltro citroque clam mitti, Ordines à quibusdam ciuibus vocari, imò vrgeriisiam enim tempus oportunum vrbis esse recuperandæ; ciues longioris obsidionis pertæsos, miseriam diutiùs ferre non posse; Verdugiũ exiguas copias sub signis habere; concluſum esse, ne præsidium aliud, præter tria signa, quæ hactenus vrbem custodierant, admitteretur: festinarent saltem, & magnum tormentorum bellicorum numerum secum adueherent in terrorem eorũ, qui suæ non erant factionis. Ciuium querelas amplificari ignitis globis, qui singulis pene noctibus in vrbem mittebantur, eo concilio vt ciues magis tumultuantes in diuersa studia discinderentur. Anno 1591.

Ordines vt Nouiomagũ obsideant inuitantur.

His alijsque admonitionibus exciti Ordines classem ingentem denuò instruunt, maiora tormenta circiter 40. nauibus imponunt, pulueriſque & globorum quãtum ad 30000. ictus, vel (vt quidam aiunt) ad plures faciendos sufficiebat.

Anno 1591.

Decimo quarto itaq; die Octob. hæc classis primũ ab oppidanis visa est, hora circiter prima pomeridiana, auctaq; ad vesperem vsq;, donec tota esset appulsa. Postridiè ponte Vahalim, paulò infra vrbem iungere cœperunt. At oppidani attracto in turrim sancti Huberti maiori tormento, quosdam vulnerârunt, & in ponte strauerunt. Quare dissolutus pons, paulò inferiùs, extra telli iactum denuò compactus est, ea celeritate, vt

14 Octob.

16. Octob.

iam 16. Octobris die absolutus, totum exercitum transmitteret, qui quasi corona vrbem cingens, totum agrum suburbanum impleuit, atque vbi castra figenda essent, explorare se finxit, reuera autem vires tantùm suas ostentauit, vt terrorem oppidanis incuteret, seditionemque in vrbe concitaret. Sed cùm summa esset in vrbe tranquillitas, & præsidiarij erumpentes quosdam caperẽt, quosdam trucidarent, fortissimeque pugnarent, sub vesperẽ in Batauiã omnes reuersi sunt, paucis exceptis, qui pontem custodiebant. Trepidabant oppidani, interque spem & metum hærebant: diuersos enim nuntios ad Verdugium mittebat Senatus; at nemo reuertebatur, qui aliquid solatij afferret: sed & exiguus in vrbe fiebat ad resistendum hosti apparatus. Decimo septimo die totus iterum exercitus, cùm nouis literis (vt quidam volunt) statum vrbis didicisset, Vahalim trãiecit, & in editissimo colle, qui veteri cæmiterio ex opposito est, castra locauit: quæ postridie circumducto vallo muniuit. Tunc quã parte hostis oppugnaturus erat vrbẽ visum est. Obstructa igitur porta, quâ in Oyensem agrum itur: vetus cæmiterium, eaque pars vrbis, quæ inter

inter Vahalim & castrum interiacet, muniri cœpta est. Nono insuper vallo congesto, eadem pars à reliqua ciuitate separata: vt si hostis eam cepisset, nouum, quo repelleretur obicem, inueniret. Laboratum est à viris & fœminis, à pueris & senibus toto biduo strenuè, nec vllæ auditæ sunt querelæ, tantummodò vt ciuitas Regi & Religioni Catholicæ salua permaneret. Erant tamen in vrbe, sed pauciſſimi, quibus displicebat hæc tanta ciuium concordia. Anno 1591

Præsidiarij interim excurrentes, & velitantes, palantem hostem excipiunt, hunc capiunt, illum sternunt, istius equum in vrbem introducunt. Tunc demùm oppidani suo malo didicerunt, quàm necessariò erat equitum præsidium. Decimo octauo, qui dies erat S. Lucæ sacer, sub noctem (vti & pridiè) ignis visus est in turri Grauiensi, quod spectaculum multis fidem faciebat, subsidium adesse, sed nihil est subsecutum. Hostis interea vrbi cœpit appropinquare. Primò ad emissarium Oyense, inde iuxta collem, in quo homines scelerati plecti solent, & vbi quondam castra habuit Carolus Audax fodientium strepitus auditus est. Quare plurimi ea nocte ex mœnibus in hæc loca globi missi sunt. Postridiè in ipso diei crepusculo ad arma conclamatum est: hostis enim ad mœnia vsque procurrens, vrbem inuadere velle putabatur. Ciues confestim omnes præsidiarijque in armis erant. Visæ sunt in Oyensi agro gerræ quàm plurimæ, duplici ordine constitutæ, quibus tormenta interponerentur. Vnde facilè colligendum erat, hostem eam muri partem, quæ est inter portã & turrim Lap- 18. Octob.

Anno 1594.

penſem, vnà cum ipſa turri deijcere propoſuiſſe. Nam & in vlteriori Vahalis ripa, 14. tormenta diſpoſuerat, quæ his quaſi reſpondebant. Præterea & in colle prædicto, vbi rei pœnam luunt, aliquot ſigna peditum viſa ſunt, quæ ibidem munitionem excitabant, ex qua eam muri partem, quæ iuxta portam molarem ruinam minatur, conuellerent. At hoſtis nihil eo mane amplius tentauit: quare ciues & præſidiarij ad opera ſua reuerſi, vrbem eo die mirum in modum munierunt. Circa nonam horam quidam ciues inquietiores tumultum in foro excitarunt; parumque aberat, quin ad arma ventum fuiſſet. Qui nouitati ſtudebant, in curiam conueniunt, deſertique à Rege queruntur; omnia ſe pro Rege abſumpſiſſe, ignem & ferrum ſe hactenus ſuſtinuiſſe, potentiam hoſtis iam omnibus eſſe viſam; nullum ſubſidium expectandum, proinde conſulendum vt ciuitas Comiti Mauritio bonis conditionibus detur, priuſquam furioſus miles vi irrumpens, vitam fortunaſque omnium perdat, & crudelem quam hactenus minatus erat, carnificinam exerceat. Huiuſmodi ſermones aliorum, qui hactenus extrema periclitari volebant, animos pocellebant: multique timidiores eſſe cœperunt. à laboribus interim non abſtinuerunt. Hora deinde ſecunda pomeridiana tubicē à Comite Mauritio miſſus ſub vrbem venit, vrbis deditionem poſtulans. Conſules audita eius poſtulatione, reſpondent: ſe ciues conuocaturos, eorumque ſententiam audituros: poſtridie itaque hora decima reuerteretur. Abijt, & ſtatim reuertitur tubicen dicit; Mauritium petere, vt maturè ex-

Tumultus in vrbe.

Mauritius deditionem vrbis poſtulauit.

toque d
facilè p
de conſ
ſecurus
nullum
terum e
ſimo ta
ra octa
buum &
ſenten
lent vo
tur co
contin
tium, to
partim
cima re
rat. M
minus
Anglus
horſtiu
lein, al
hi obſi
tem tra
ſunt, &
ſtridie
Conſu
di pot
eſt. P
ſa ſun
tio,
Præſi
rum c
gi fide

toque deliberent: locum adhuc esse veniæ, qui facilè posset intercludi. Obsides mitterent, deinde consilia agitarent, quamdiu vellent: se enim securum esse ab hostis aduentu, certoque scire, nullum subsidium vrbi mittendum. Dimissus iterum est tubicen cum priori responso. Vigesimo tandem die, qui Dominicus erat, mane hora octaua Senatus, Tribuni plebis, Magistri Tribuum & Officiorum, centurionesq; conueniunt sententiæ de vrbe deditione rogantur. Præualent vota eorum, qui deditionem suadent: leguntur conditiones Comiti proponendæ; Senatus continuationem, Religionis vtriusque exercitium, tolerabile præsidium, aliæque multæ, quæ partim concessæ, partim negatæ sunt. Hora decima redit tubicen, respondetur, vt decretum erat. Mittuntur obsides è castris in vrbem Dominus Risortius, D. Meinersvvichius, & quidam Anglus. Ex vrbe in castra Theodoricus Bronckhorstius, & duo milites: vnus signifer D. de Gelein, alter Vicarius Snateri. Ceterùm vel quia hi obsines non placebant, vel quod auctoritatem tractandi non habebant, in vrbem remissi sunt, & qui in vrbe erant iterum postulati. Postridie igitur alij missi, quorum primarius erat Consul Flemingius, cum plenaria paciscendi potestate. Paucis horis negotium peractum est. Pleraque enim quæ postulabantur concessa sunt, excepto Catholicæ Religionis exercitio, bonorum Ecclesiasticorum dispositione, Præsidiariorum numero, & officiorum Regiorum collatione. Hoc modo ciuitas tam suo Regi fidelis, tam Catholica, tot tam multis annis perpes-

Anno 1591.

20. Octob. *Consilia de deditione vrbis.*

21. Octob. *Deditur Noviomagum.*

Anno 1591.

perpessa, nulla vi expectata, in manus Ordinum tradita est. Postridiè, qui dies erat 22. Dominus Galeinius, Snaterus & Ioannes VVerdenus cum suis signis vrbem, non sine summo dolore, quod eam contra ciuium quorundam voluntatem defendere non potuissent, deseruerunt; Grauiamq; profecti sunt. Recepta sunt in eorum locum ... alia signa peditum, & paulò pòst duæ cohortes equitum: quæ tanto numero erant, vt nullæ pene ædes à præsidiarijs immunes fuerint. Vrbi præfectus est Comes Philippus Nassouius, cuius vicarius erat Dorpius. Ciues, qui hactenus exulârunt, plerique reuersi sunt. Et quidam aduenæ partis vicissim in spontaneum exilium abierint. Confestim templa omnia spoliata, aræ prophanatæ, imagines disturbatæ & contritæ, totaque Reipub. facies immutata est. Ciues Catholici nihil aliud agere quàm flere, suspirare & conqueri, non tam suum, vt qui iam scirent, quid credere debeant, quàm prolium suarũ in pessima hæresi educandarum casum deplorare.

Schenckius sepelitur.

Cadaueris Schenckij partes, iam pridem è mœnibus & turribus, Marchione VVarenbonio id petente, ablatæ, in capulo ligneo collectæ, & in turri quadam sepositæ, adhuc seruabantur. Fuêre nunc qui Comitem Mauritium flagitabãt Schenckium honestè sepelire mandaret. Iussu taque Mauritij cadauer è turri in priuatam domum vespere delatum, & mane quinque tubis ante funus canentibus, Nassouius nobilibus aulicis, Chiliarchis, Centurionibus, & Tribunis militum subsequentibus nullo comitante ciue ... seculari aut Ecclesiastico (vt quidam finguntem-

templum primarium illatum, & ante summum altare in Ducum Gelriæ monumento sepultum est. Anno 1591.

De fame frumentiq́ue per Italiam inopia diximus in præcedentibus: Decrescente paululum hoc malo, aliud mox exortum est, non leuiùs: acutissima scilicet febris, cum tussi & continuò fluxu, eratq́ue morbi sedes plerumque in capite: quare ægrotantes ferè omnes phreneſi laborarunt, & octauo, decimoq́; die moriebantur. Curabatur morbus hîc in nonnullis sectione venæ, siue in capite ipso, siue è capite in brachium descendentis. Illud interim boni habebat malum hoc, quod non erat contagiosum. Causas huius morbi dicebant nounulli continuas esse pluuias, & inundationes anni superioris: deinde ardentissimos calores qui sequebantur, & pessima nutrimenti qualitas, ob summam annonæ penuriã. Grassabatur potissimum in Vmbria, Thuscia, Latio, Lombardia, alijsq́ue nonnullis Italiæ locis. Moriebantur homines cuiusuis ætatis, maximè viri triginta quinque annorum, vsque ad quinquagesimum annum. Sed & hoc animaduersum est, paucissimas mulieres hoc morbo esse extinctas. Ferunt in sola vrbe Romana ab Augusto anni 90. vsque ad Augustum 91. plus quàm sexaginta hominum millia hoc morbo perijsse. Tandem in Iulio decreuit: & mense Augusto planè extinctus est. Eodem mense Augusto, die decimo, Pontifex in S. Marco magnificentissimè excepit Ducem Ferrariensem, totisq́ue diebus quadraginta, quibus Romæ fuit, suis sumptibus totam eius familiã aluit. Ipso assumptionis Beatæ Mariæ Virginis,

Morbus pernitiosissimus in Italia.

Dux Ferrariæ in vrbem venit.

Anno 1591.

ginis, Pontifex congregationē Cardinalium habuit: in Ara cœli, cui Dux interfuit, & ante vltimum Cardinalem Diaconum consueto more sedere iussus est. Causa aduentus illius erat inuestitura (vt vocant) Ferrarienſis. Sed quia Bulla Pij Quinti; *De non alienandis bonis Ecclesiæ*, videbatur eius petitioni contraria, Pontifex negotium congregationi tredecim Cardinalium commisit, qui admissis in concilium Ducis Aduocatis, de causa Ferrariæ diu multumque disseruerunt. Aduocati aiebant Bullam intelligendam, de ijs, quæ tunc erant deuoluta, non de ijs, quæ adhuc deuoluerentur, inter quæ erat Ferraria. Cardinales de deuolutis & deuoluendis intelligendā censuerunt. Dum lis pendet, & Pontifex in congregatione Cardinalium eam se benignè decisurum pollicitus erat, tandem 22. Septembr. cœpit ægrotare. Morbus erat febris continua cum fluxu vehementiori, augebaturque quotidie, adeò vt in extremis depositus, cùm sæpe iam iam moriturus putaretur, tamen spiritum resumpserit, meliusque habere cœperit, donec tandem 15. Octobr. nocte inter sextam & septimam horam, ex huius corpusculi ergastulo emigrauit. Mortui cadauer apertum est, & in vesica inuentus duarum vnciarum & vnius quartæ calculus. Sedit in Pontificatu decem mensibus, & totidem diebus; vacauit eius morte Sedes diebus 15. Vir fuit admirandæ abstinentiæ, insignis eruditionis, rarę pietatis & incredibilis liberalitatis: tota penè vita valetudinarius. Abstemius erat & ante 18. annum, potum alium præter aquam non biberat, quam calculi causam plerique arbi-

Morbus Gregorij XIIII

Moritur Gregorius XIV.

trabantur

trabantur, cum nulla aqua tam pura inueniatur, quæ non aliquid habet terrestris excrementi. Anno 1591.

Mortuo, sepultoque Gregorio, postquam Cardinales ad nouam electionem conuenissent, cõmuni consensu, absque vlla difficultate, post biduum, hoc est 29. Octobris, Ioan. Antonium Facchinettum Pontific. crearunt. Natus is erat Bononiæ, anno 1519. In studijs educatus & doctoratus titulo insignitus in Cardinal. Farnesij familiam cooptatus est, cuius negotia Parmæ diu administrauit: donec à Pio Quarto Neo castrensis in Calabria Episcopus constitueretur. In Concilio *Tridentino* eius scientia, prudentiaq; in plurimis difficultatibus explicãdis laudata est. Tandem à Gregorio XIII. Cardinalis factus, hoc anno Pontifex eligitur. Nomen sibi sumpsit Innocentij Noni: & dum Pontificali habitu induitur, Bullam *De non alienandis bonis Ecclesiæ* confirmauit.

Electio Innocentij IX. Pontificis.

29. Octob.

Sub idem tempus Hispanica classis inter Biscaiam & Britanniam in aliquot hostium naues incidens, nonnullas depressit, & nouem preciosis mercibus oneratas captas in Hispaniam abduxit. Inter has Rupellenses erant duæ, Scoticæ totidem, quinque verò Hollandicæ & Zelandicæ. Sed & paulò ante Milortium Comberlantium, cum duodecim instructissimis nauibus classem Indicam expectantem Hispani adorti fortissimè oppugnarunt, donec tandem deuictus vndecim hostium nauibus, ipse Comberlantius cum suo nauigio vix huius cladis nuncius euaserit. Hispani his victorijs animosiores facti, classem suam in Insulas Azores prouehunt,

Victoria classis Hispanicæ.

vbi

Anno 1591.

vbi classem Indicam opulentissimã inuenerunt, quam secum in Hispaniam adduxerunt. Cùm verò sub Insulam S. Michaelis venissent, ingentem Anglorum classem conspexerunt. Speculator hostem adesse clamat. Classiarij arma expediunt, & in hostem feruntur. Classem triginta circiter maioribus nauigijs constare deprehendunt: animos tamen non remittunt, ad pugnam veniunt, grauissimè dimicatur. Victoria ad Hispanos inclinante cedit hostis, acrius instantibus illi: Angli hoc prælio 27. naues amisisse dicuntur. Sed & prætoria nauis ab hostibus cincta periclitabatur. At fortè hæc eadem est victoria, de qua paulò ante quædam, sed paucis diximus.

Exequiæ Ducis Saxoniæ 3. Nou.

Initio mensis Nouembris Christiani Ducis Saxoniæ exequiæ Dresdæ magna cum pompa celebratæ sunt. A duodecima hora meridiana ad secundam omnes campanæ in templo S. Crucis pulsatæ sunt: interim ex templo, quod in arce est, ad templum S. Crucis fit processio. Præcedebant nouem ex antiquiori nobilitate, terni in ordine. Post hunc Ioannes Stuninck, cum pulla cruce: hunc 130. pueri, qui literis operam dant, item moderatores scholæ, & 38. concionatores: illos 12. cantores & 31. Musici sequebantur. Post musicos æneatores, tympanistæ, & tubicines, tympanis pulla veste tectis, pulliſque vexillis à tubis dependentibus: in quibus insignia Ducis erant depicta. Hos duo nobiles, in quorum medio Marescallus incedebat: illos 35. qui Duci à pedibus erant, & quibus custodia corporis eius fuerat demandata, duo nobiles, & 40. sclopetarij equites, sclopes inuersos gestantes sequebantur. Post hos

16. equi ducebatur cum totidem vexillis, in qui- Anno
bus insignia comitatuum Eisenburgiensis, Bre- 1591.
nensis, Bleisingensis, Altenburgensis, Orlamun-
tij, Henneburgensis, Lantzbergensis, Burgrauia-
tus Magdeburgensis, Palatinatuum Turingensis
& Saxoniæ, Marckgrauiatus Misniæ, Lantgrauia-
tus Turingiæ, Ducatus & Electoratus Saxoniæ
fuêre depicta. Omnia vexilla erant nigra, præto-
rio excepto, quod erat ex rubro panno damasce-
no confectum. Post equos ibat Domini Stellani
frater, ducens equum cataphractum, vel armis
indutum, auro, margaritis, & pretiosis gemmis
ornatum. Post hunc Conradus à Pappẽheim, qui
ensem Electoralem gestabat; Hoochboldt ab Ein
sedel, qui sigillum; & Balthasar VVorm, qui pi-
leum ex holoserico rubro factum portabat: Po-
ne hos præfectus armamentarij, cum alio Nobi-
li subsequebatur. Omnes hi antecedebant. Post
hos processit funus, currui, nigro panno ad ter-
ram vndiq; promisso, ita vt ne rotæ viderentur,
tecto, impositum. Pannus hic aulæo ex holoseri-
co nigro alba cruce & insignibus Principis or-
nato tegebatur. Currus autem ab octo equis sub-
nigri cantibus trahebatur. Post funus paternum
ibant duo filij, Christianus, & Ioannes Geor-
gius, cum Stellano ab Hohendorff, & Henrico
ab Hagen, qui iuniores principes obseruabant,
eorumq; curam habebant. Hos sequebãtur prin-
cipes, Elector Brandenburgensis, Fredericus
VVilhelmi Saxoniæ Dux, Dominus Administra-
tor, Palatinus Ioann. Casimir. Ioan. Casimirus
Dux Saxoniæ, Henricus Iulij Dux Brunsvvicen-
sis, Lantgrauij Hassiæ VVilhelmus, Ludouicus,

Anno 1591.

& Georgius; Ioannes Frederici Dux Pomeraniæ: qui aut ipsi his exequijs interfuerunt, aut suos ad eas Legatos miserunt. Post Principes trium Ecclesiarum Misnensis, Merseburgensis, & Neumburgensis Canonici, singuli inter duos Consiliarios Saxoniæ ducebantur: quos Brandenburgenses, Hassiæ & Pomeraniæ Consiliarij &, Medici, Aulici quoque Nobiles subsecuti sunt. Postquam omnes hi præcessissent, Gynecæum prodijt: primo loco visa est vidua mœsta & plorans, cum sua filia, quam multorum Principum & Nobilium, Consiliariorum quoque, Secretariorum & Doctorum vxores & viduæ secutæ sunt. Claudebant agmen Senatores, Optimatesque vrbis; & post illos eorum vxores. Tali cum pompa postquam funus in templum S. Crucis deductum esset, in medio templi collocatum est, cui ensis, sigillum & pileus electoralis imponuntur. Omnes Principes, Nobiles, Consiliarij, Senatores & optimates per subsellia distributi. Habetur funebris oratio, & post orationem epicedia, threni & neniæ illorum more decantatur. Quibus omnibus absolutis, eodem ordine, quo venerant, in arcem reuersi sunt. Postridie eadem pompa repetitur. Quinto demum Nouemb. funus summa cum magnificentia Dresda Fridbergam deducitur: ibique à magistratu & ministris Ecclesiæ obuiam extra vrbem prodeuntibus magnificè exceptum. Post iusta Duci persoluta, ibidem sepultus est, filium octennem, quem ex Sophia, Ioan. Georgij Electoris Brandeburgensis filia, an. 1587. die 23. Septemb. suscitauit, hæredem relinquens.

5. Nouembr.

Doctor Krei

Pridie quàm exequiæ Dresdæ celebrantur, cũ

Doctor

Doctor Paulus Kreilius, Saxoniæ Cancellarius ex aula domum concederet, aliquot satellites è curia missi sunt, qui eum in ædibus suis custodirent, donec quid de eo faciendum esset, statueretur. Mox subsecuti sunt alij, qui scripta illius omnia in catalogum redegerunt, scrinijs inclusserunt, & consigharunt. Obijciebatur illi, quod Duci Christiano auctor fuisset mutatæ in Saxonia Protestantium religionis, & introducti Caluinismi: quod Dux eo impulsore ann. 1588. mense Nouembri Doctores vtriusque Religionis, ad colloquium conuocauerat, & ex illo die semper occasionem mutandæ Religionis, contra voluntatem subditorum, contra fœdus publicum, cõtra promissiones & sacramenta præstita, quæsiuerat, sed & aliorum criminum, pernicioſorumque consiliorum insimulabatur. Paulò post curru ascendere iussus, confluente maxima hominum multitudine, in arcem Hohenstein deductus, & in carcerem, quem ipse D. Martino Miro præparauerat, compactus est. Post sepultum Ducem, Theologi nonnulli diuersis in locis apprehensi; & in vincula coniecti sunt, inter quos D. Vrbanus Pierius, professor VVittenbergensis. Cùm enim eò consiliarij quidam veniſſent, Pierium ad se vocârunt; mandatum suum illi exhibuerunt, & tandem sententiam pronunciarunt, vt captiuus scilicet à Magistratu in arcem abduceretur. Qui cùm hanc sententiam iniquam diceret, & causam suam multis argumentis defendere conaretur, in apertam penè disputationem prouecti fuissent. Ceterũ rata permansit sententia, & Pierius captus in arcem, quàm occultè fieri

Anno 1591. *Liuius Cancellarius Saxoniæ capitur.*

Doctor Vrbanus Pierius capitur.

Anno 1591.

potuit, à consule abductus est. Fama hæc Lipsiam ad aures D. Christophori Gundermâni allata est. Is sibi metuens clam aufugit, & Naumburgum profectus administrum Caluinianum in hospitium diuertere constituit: sed in suburbio agnitus, Calam declinauit. Interea duo nuntij à curia missi, Lipsiam venerunt, & Gundermannum studiosè quæsiuerunt. Sed quia discesserat, diuersis itineribus profecti sunt (id enim in mandatis habebant) alter Eckersbergam, alter Ienam, hic inuentus est Gundermannus, & à nuncio ac magistratu Lipsiensi per litteras persuasus, cum illo Lipsiam reuersus est. Postquam enim fama increbuerat Gundermannum profugum esse, Ordines patriæ scripserunt Magistratui, si Gundermannus ipsorum negligentia euasisset, eum restituerent, & Ordinibus traderent. Cùm Gundermannus redijsset, pauciſquedies domi latuisset, tandem 15. Decembris à Gubernatore, Consule, & quodã Nobili eius Bibliotheca perlustratur, perlustrata clauditur, & consignatur: ipse autem in carcerem detruditur.

D. Gudermãnus fugit.

D. Gudermãnus capitur. 15. Decembr.

Cæsaraugustæ, quæ Regni Arragoniæ Metropolis est, quidam Antonius Perezius erat in vincula coniectus. Hunc Rex Hispaniarum ex consilio Senatus sui sibi mitti cupiebat. Negarunt id Cæsaraugustani, & hoc cum suis priuilegijs pugnare constanter affirmabant. Cùm verò id Rex vrgeret, & publico edicto mandaret, ciues seditionem concitarunt, Regi rebellarunt, & quatuor hominum millia sub imperio domini Iacobi de Heredia, ad suam defensionem conscripserunt. Rex indignatus tam leui de causa sibi bellum

Seditio Cæsar augusta na vulgo Saragossa.

lum moueri, suaq; mandata tam procaciter contemni, exemplum in hos rebelles statuendum arbitratus est, ne & alij horum sequantur vestigia. exercitum itaq; millium quatuordecim peditum & equitum conscripsit, eumque duce Alphonso de Vergas in Arragoniam cum machinis bellicis, omniq́ue apparatu misit, vt rebelles Cæsarauguſtanos in ordinem redigat. Cæsarauguſtani pontem, quo per fluuium transeundum erat, disturbarunt; putantes hoc modo Alphonso iter posse intercludere. At ille summa cum celeritate ponte restaurato omnem exercitum flumen traduxit, & in ciuitatem mouit. Oppidani inopinata hac celeritate cõsternati, missis legatis supplices veniam orarunt, & deditionem obtulerunt. Don Diego, seu Iacobus de Heredia cum suis, vrbe relicta, fugit, magnaque erat in vrbe trepidatio. Sed clementissimus Hispaniarum Rex cùm ciues supplices esse, delictum suum agnoscere, & veniam flagitare audiuisset, omnibus parcere: eos, eorumque fortunas à furore militum defendi, & in fidem recipi mãdauit. Duodecima itaque Nouembr. Alphonsus cum suis copijs in vrbem venit, ciuesque rebelles suo Regi reconciliauit. Hæc victoria cùm in Galliam, Angliam, & Belgium esset allata, inuitis auribus accepta est. Sperabant enim maiores motus ex hoc tumultu exorituros, vt Rex dum domi habeat, quod agat, & ciuilibus bellis implicetur, externa persequi desistat. Anno 1590.

12. Nouemb. Saragossa reuperatur.

Eodem hoc mense, Francofurti ad Mœnum, non procul ab ædibus Electoris Treuirensis, hora circa tertia post medium noctis, monstrosus puer

Monstrosus partus.

Anno 1591. puer natus est; caput habés ingens, & præter modum magnum; oculis, auribus, naso, mento & ore, cranio & fronte carens, sub hoc tam monstroso capite humeri, manus, crura, pedes, aliaque membra naturalia, proportionibusque suis fuere distincta: mortuus hic puer à multis cõspiciebatur, & tandem in cœmiterio S. Petri sepultus est. Non defuêre statim (vt est hoc nostrum seculum vatum, & diuinatorum, qui omnia ad trutinam expendunt, ferax) qui monstrum hoc aliquid portendere dicerent. Inter alios quidã puerum hunc statum nostrorum hæreticorum significare asserit, dicens: *Monstrosa hæc natiuitas significat statum hæreticorum. Nam etsi caput habere volunt, tamen monstrosum est: etsi oculos & aures corporales habeant hæretici, tamen neque audiunt, neque vident veritatem. Os eorum clausum à diuina laude, & virtute. Sunt effrenes & inconstantes: sed pedes ijs, manusque ad quæuis prosua libidine perpetranda non desunt.*

Quid significet.

Edictum Reginæ Angliæ in Catholicos

In Anglia etsi præcedentibus annis multi Catholici capti, multi in exilium electi, multi diris tormentis, extremisq; supplicijs è medio sublati essent, metus tamen Reginæ, Consiliariorumq; non tollebatur: nec Catholici, quos illi perduelles nominant, funditus potuerunt extirpari, nouis semper ex transmarinis Seminarijs veteribus succedentibus. Sperauerat Regina (vt quidã scribit) Seminaria iuuentutis Anglicanæ, quæ Rhemis in Gallia, Romæq; instituta, Summorum Pontificum ac Regis Hispaniarum munificentia sustentatur, his bellorum Gallicorum motibus labascere, atq; extinctum iri. Quod adeò non factũ est, vt etiã magis efflorescerent, & vltra hæc duo

Semina-

Seminaria, tertium quoq; in Hispania, Vallesoleti à Rege hoc tempore erectum sit. Huc accedebat, quòd hoc anno duodecim plus minus Sacerdotes Catholici ex Seminario Hispanico emissi, vario ac dissimulato habitu Angliâ fuerant subingressi, & exploratorum manus præterlapsi. Regina itaque sibi, suisq; metuens, quorundam suorum suasu edictum atrox & seuerum condidit: tui titulum dedit hunc. *Declaratio magnarum turbationum, quæ contra Rempubl. intentantur, per multitudinem Sacerdotum, Seminaristarum, ac Iesuitarum, qui clam immissi & per regnum dispersi sunt, vt insignes proditiones operentur, sub ementito nomine Religionis, cum prouisione valde necessaria, de remedio ad malum hoc euertendum, edicto suæ Maiestatis publicata.* Edictum illud, quo minus statim, vbi conscriptum est, publicaretur, restitisse dicitur Christophorus Hattonus, Regni Cancellarius: nam cum vir moderatior esset, tantam crudelitatem fortassis improbauit. Eo itaque vigesimo octauo Nouembris, è viuis sublato, Cecilius sequenti statim die, post Hattoni obitum, curauit illud in foro publicandum. Sed cùm illud prolixius sit, quam ratio nostri libelli exigit, summaria tantùm hic capita recensebimus: potest enim totum edictum hoc nõ incommodè in quatuor capita distribui. In primo capite, quodque præfatio est, conqueritur Regina, cùm iã probabilibus causis persuadere sibi potuisset, post tricesimum tertium annorum gubernationem, inimicorum, & præcipuè Regis Hisp. violentiam ac ferocem malitiam infirmiorem futuram, tamen ex præsentibus eius actionibus quæ maiori apparatu susceptæ sunt, quàm vn-

Anno 1591.

Seminarium Anglorum in Hispanijs.

28. *Nouemb.*

Anno 1591.

quam antea, contrarium se conspicere. Ideo sibi persuasum esse, Deum cogitare, ruinam & correctionem huiusmodi hominum, qui induci non possunt, vt rebus suis contenti pacificè viuant, & hac de causa permisisse Regi Hispan. (qui plures hodie coronas, plura Regna & nationes, plures etiam diuitias terrenas possidet, quàm vllius antea Maiorum suorum, aut vllus vnquam Princeps Christianus habuit) hac ætate sua inclinata, & hoc tempore, bellum iniustissimum, & vniuersæ Christianę Reip. periculosissimum contra Regem Franciæ incipiat; quale ante biennium quoq; sibi Reginæ molitus erat, eo ipso tempore, cum de pace inter vtrumq; ageretur. Sed Deus ait, illi restitit, & non solum ipsi, sed toti etiam exercitui suo iustam causam resipiscentię dedit. In secundo capite, seu sectione, conqueritur Regina, Regem Hisp. vt nouo aliquo colore exorbitantes & violentas suas actiones muniat, procurasse, vt Mediolanensis quidam, vasallus suus, ad Romanum papatum exaltatus sit: eumque Regem seduxisse, vt sine consensu Collegij Cardinalium, Thesauros Ecclesiæ exhauriat; ad milites in Italia & alibi conscribendos, & in Galliá mittendos, vt inuadant Regnum, quod illi Ecclesiæ in omnib. oppressionibus suis semper auxilio fuit. Id bellum Gallicum non posse non esse suis etiam dominijs, suoque statui periculosum, præsertim cum sciat Regis terrestres, maritimasq; copias maiores contra se cogi in annum sequentem, quàm vnquam fuerunt hactenus. Inde in Seminaria & eorum alumnos inuehitur, eos dissolutus vocat adolescentes, qui partim ob

victus

victus inopiam, partim ob crimina à se commissa facti sunt fugitiui, rebelles, & proditores patriæ. Hos sub præcipuis quibusdam seditionum capitibus, Regni ingratis subditis, obscuro loco natis, Regis sumptibus ali; In scholasticis seditionibus institutos, & bullis pontificijs munitos, ad seditiones concitandas clam in Angliam immitti; quo subditis persuadeant, vt contempto, quo obstricti sunt Dominæ suæ, sacramento, Regi Hispaniarum fidelitatis præstent iuramentũ. In tertia sectione commemorat has Papales molitiones hactenus à se impeditas; multis verbis ostendere conatur, neminẽ hactenus à se ob Religionem occisum, sed quotquot interfecti sunt, perduelles & læsæ Maiestatis reos fuisse. Seminaristas Regi Hispaniarum persuadere, multa Anglorum esse millia, præcipuè in locis maritimis, qui exercitum eius semel in terram expositum confestim sequentur. Id Regi Personium, Pontifici Alanum, nuper ob suis proditiones Gaieri Cardinalitij honore donatũ, occinere. Quæ pleraque etsi & Pontifex & Rex falsa esse rectè intelligant, tamen eos illorum importunitati morem gerere, non paucos intra decem aut duodecim mensium spatium in Angliam misisse, qui per Regnum dispersi, complicibus suis annuntient, Regem omninò statuisse (id enim ex quibusdam comprehensis intellectum) sequenti anno vires suas vniuersas contra Angliam iterum experiri. si nihil proficiat, sic Regem statuisse, posse eandem classem non incommodè contra Galliam, aut Belgium, aut contra partem Scotiæ (quò etiam Seminariorum istorum progenies, Anno 1591.

Anno 1591.

inquit, immissa est) conuerti. In quarta denique sectione ait; Se quidem non dubitare, quin Deus omnes hostium machinationes facturus sit irritas, tamen officij quoque sui esse, media omnia adhibere, quæ sibi à DEO donata sunt. pergit ea recensere.

Primò iubet vt Ecclesiastici officium suum faciant, populum in fide erga Deum & Reginam contineant. Secundò instruendam classem, & copias terrestres parandos solito maiores, ad quod subditos manus, crumenas & consilia conferre præcipit. Tertiò, Commissarios statim ad omnes Regni comitatus, prouinciasque cum mandatis amplissimis dirigendos, ad omnes etiam ciuitates, oppida, locaque maritima, qui summa diligentia, modisque omnibus legitimis inquirant, de personis omnibus suspectis, qui vel persuadeant, vel persuadere sibi permittant, obedientiam vllam, cuiuscunque generis sit, Papæ vel Regi Hispaniæ præbendam esse. Quartò, quia conqueritur multos Seminaristas ementito habitu in Regnum ingredi, in ipsas se vniuersitates, aulas principum, familiasq; virorum & fœminarum nobilium ingerere, mandat, seuerissimeque præcipit, omnibus & singulis cuiuscunque generis, status, sexus, conditionis, dignitatis personis: Imò etiam cunctis palatij officialibus, ministris, & magistratibus, & cuiuscunque familiæ Dominis, aut communitatis Rectoribus, vt statim ineant exactissimam rationem omnium personarum, quæ quatuordecim saltem proximè elapsis mensibus domos suas frequentauerint,

rint, aut in eisdem habitauerint, versati fuerint, Anno
dormierint, aut comederint, vel in præsentiarũ 1595
quicquam horum faciunt. aut in posterum factu-
ri sint. nempè cuius nominis, conditionis aut
qualitatis illi sint, in qua parte Angliæ nati, vbi
antea conuersati, per integrum saltem anni spa-
tium, antequam in domum suam venissent; quo-
modo & vnde se sustentent, quid faciunt, quæna
loca soleant frequentare, quibuscum versari, &
si temporibus debitis, & per leges Anglicanas
præscriptis Ecclesias adeant, ad diuina officia de-
bitè audienda. Vniuersa hæc examina in libros
particulatim referri præcipit: hos libros apud v-
numquemq; patrem familias diligenter per mo-
dum Calendarij asseruari vult, ex quibus Com-
missarij, quando eis videbitur expedire, tum
personarum, quæ in suspicionem venient condi-
tiones, tum patrum etiam familias diligentiam,
fidemque perspiciant. Si quis minùs libenter ad
hæc examina respondere perspectus fuerit, aut
in responsis dubius apparuerit, hunc statim com
prehendi præcipit, & ad aliquem ex Commissa-
rij, qui ei loco vicinior fuerit, cũ custodia trans-
mitti. Idem faciendum patribus familias, domo-
rumque Rectoribus; si qui in hoc examine ne-
gligentiores fuerint, vt pro qualitate delicti ca-
stigentur. Si quis deprehensus fuerit, qui perso-
nas huiusmodi suspectas fouerit, aut intra spatiũ
20. dierum post edicti promulgationem non de-
texerit, hũc castigari vult eadem pœna, qua pro-
ditorum ac perduellium complices, fautores, ac
coadiutores castigari solent. Hactenus Edictum.

Deinde

Anno 1591.

Deinde & Commissarijs data est instructio, quomodo in huius edicti executione procedendum sit: quam, (ne nimis prolixi esse videamur) hoc loco præteriuimus. formam tantummodo interrogandi eos, qui examinandi sunt, subijciemus. est autem hæc: *An quis vobis author fuerit, aut suasor, vt Romano Pontifici aut Hispano Regi adhæreatis, & ipsorum partes sequeremini, aut vllas eis fraudis suppetias, quando contigerit quacunque eos de causa hoc Regnum Anglicanum armis inuadere? Et quisnam ille fuerit, qui vobis hoc suaserit? An fuerint aliquando Romæ, vel Rhemis, vel in Hispanijs, intra proximos hos annos præteritos? Quando reuersi sint in hoc Regnum, & in quem finem? vbi, & apud quos à reditu in Insula permanserint? quibuscum personis locuti aut versati fuerint in Anglia? num qui examinatur Sacerdos sit, vel Iesuita Romano more institutus? vbi? quando? & à quo Episcopo initiatus? an vixerit in seminario, vel collegio aliquo Anglorum, Vvallorum, aut Hybernorum, Romæ, Rhemis, in Hispanijs, aut alibi? quamdiu in re habitauerit? quando inde proximè in Angliam missus fuerit? & cuius rei gratia?* Hæ quæstiones partim sub iuramento, partim sine iureiurando, pro arbitrio examinantium proponuntur. Forma verò examinandi incolas (nam & omnes, qui aliquot præcedentibus annis ad tribunalia delati sunt, ob negotium Religionis, quòd Ecclesias publicas adire noluerint, aut qui aliquo modo suspecti sunt, quod faueant Sacerdotibus, Seminarijs, & Iesuitis, etiam comprehendi & examinari in eadem hac instructione iubentur) hæc est:

Forma examinis.

Primò rogantur quæ ad conscientiam & religionem pertinent; num scilicet templa frequentent, aut quibus de causis id facere recusent? Deinde quæ ad statum Reipub. & fidelitatem

tatem eorum erga Principem pertinent, proponantur. Quo nimirum animo, & qua deuotione sint in pontificem Romanum, & Hispan. Regem: Num Iesuitas, aut Seminariorum Sacerdotes, aut alios Roma vel Rhemis, vel aliunde in hoc regnum missos ad Reginæ subditos, ab eius obedientia seducendos receperint, fouerint, aluerint, &c. Anno 1591.

Curam hanc Regina si suscipiat, vt sese à proditione tueatur, & statum suum politicum conseruet, quis eam meritò poterit reprehendere? facit quod faciunt Reges omnes, etiam Tyranni: facit quod ratio dictat, natura docet. Si autem Catholicæ Religionis odio, dubitari certè de huius edicti posset æquitate. Hoc ideo moneo, quia ante mẽses aliquot prodijt liber, sub nomine Andreæ, cuiusdam Philopatri, qui tam viuis exemplis, tot, tamq; efficacibus argumentis docere conatur, edictum hoc non alitnde, quàm ex odio in Romanum Pontificem, in Regem Hisp. omneſq; Catholicos profectum, ad Religionem in Anglia extirpandam, & alijs nationibus suspectam atque exosam reddendam, vt qui hunc librum legerit, nisi bonus sit Puritanus, facilè cum Agrippa diceret: *Immodico suades me Philopatrianum (Christianum) fieri.* Hic aliquid addendum esset de Inquisitione Hispanica, quid secundùm præscriptum illius his annis in isto Regno actũ sit: sed quia cerdones, lixæ, & calones, ea quasi ex commentarijs recitant, pluraque quàm ego aut legi aut vidi norunt, actum agere nolo. Harum rerum auidiores ad illos remitto. Nos ad reliqua pergamus.

Cæsareæ Maiestatis Legati postquam 17. Octobris Coloniam venissent, statim ad Ordines Hollandiæ

Legati Cæsarei publicam

Anno 1590.

landiæ nuncium miserunt, publicam ab illis fidem petentes. At illi putantes se plus pacis habere, quàm opus esset, eorum petitiones neglexerunt. Venerant enim in Hagam Comitis Reginæ Angliæ & Regis Nauarræi legati, quos tam splendidis & tam magnificis conuiuijs excepe-

Fidem ab Hollandis petũt.

runt, vt aliquot centena millia florenorum breui consumpta dicantur. Scribunt eodem quoque tempore socijs & confœderatis suis commemorantes, quàm exigua manu, & quàm paucis sumptibus, tantas victorias hac æstate adepti erant: petere igitur ipsi inter se consilium ineant, quãtam pecuniæ summam singulæ prouinciæ pendere possent: qua iustus conscribi possit exercitus, ad hostem futuro anno toto Belgio exterminandum. His, alijsq; rebus occupati Ordines, de legatis Cæsareæ Maiestatis non erant solliciti.

Hollandorũ magnificentia.

Legati cùm Coloniæ præter opinionem diutiùs essent commorati, tandem non expectantes fidem publicam ab Ordinibus petitam, Colonia in Brabantiam profecti, 3. Decembris Bruxellas venerunt, vbi summo cum honore excepti sunt. Nam & inter alia præcipui Principes, Reguli, Proceres, & Nobiles dimidio ab vrbe milliari obuiam illis processerũt, & magno cum applausu, magnaque cum pompa in vrbem introduxerunt. Assignata sunt vnicuique pro sua dignitate hospitia, omniaque necessaria liberaliter administrata.

3. Decemb. Honorificè Bruxellis excipiuntur.

Nauarræus, postquam Anhaltius cum suis Germanis in Franciam veniisset, Rhotomagum arctissima obsidione cinxit. Catholicorum vires debiliores erant, quàm vt cum tam potenti hoste auderent

Rhotomagum obsidet Nauarræus.

iuderent congredi. Itali quidem, quos Pontifex Anno
miserat, in Burgundiam, atq; adeò in Lotharin- 1591
giam venerant: sed vlterius progredi noluêre,
nisi prius Parmensis cum suis copijs esset in pro-
cinctu. Parmensis itaque omni qua potuit sedu-
litate equites, peditesque per varias prouincias
dispersos, in Hannonia cogit: Ipse ad lustrandũ
exercitum Valencenas profectus est. Quò cùm
venisset, per internuncios intellexit, Legatos Cæ
sareæ Maiestatis Bruxellas venisse, vt pacis ne-
gotium secum cõferant. Celerrimis igitur equis
Bruxellas reuersus, bis in Concilio statuum eo-
rum propositiones audiuit. Postea Comitem Sa- 5. Decembr.
latinum ab Isenburg, & Baronem Perensteiniũ, *Parmensis Legatos Cæsaris audit.*
seorsim ad se vocatos, iterum audiuit: diu cum
illis de negotio pacis consultauit: tandẽ illis per
omnia satisfecit. His peractis, Parmẽsis Petro Er- *Mansfeltio gubernatio Belgij demandatur.*
nesto Comiti Mansfeltio (vti & superiori anno
fecerat) administrationem Belgicarum prouin-
ciarum demandauit; ipse ad exercitum, qui qua-
tuor millibus peditum, & tribus equitum con-
stabat, reuersus est: vt periclitanti Rhotomago,
Normannij metropoli succurreret: quæ si in po-
testatem hostiũ transiret, Catholicorum res plu-
rimum debilitarentur.

Ad hanc obsidionem Regina Angliæ nume-
rosum militem miserat, cui Ordines Belgici i-
nitio sequentis anni Comitem Philippum Nas-
souium cum viginti & vno lectissimis peditum
signis, nauibus bellicis, & omnia apparatu ad-
diderunt. Nauarræus montem S. Catharinæ ob-
sedit, sæpissimeque, sed irrito conatu oppu-
gnauit. Qui enim in propugnaculo erant, tam
fortiter

Anno 1591.

fortiter se defendebant, vt nemo, nisi vitæ suæ pertæsus, proprius auderet accedere. Multi è Nauarræis occidebantur; & quia importunum anni tempus erat, plurimi in castris moriebantur: ita vt quidam prudentiores dicerent; Occultũ fuisse Nauarræo hostem, qui illi consuluerat, vt vrbem tam munitam, potentem, & omnibus rebus necessarijs instructam, tam iniqua anni tempestate obsideret: potuisse illum cum tam immenso exercitu plura, & multò vtiliora præstitisse. Spes interim erat, vt capta & occupata hac ciuitate, magna Galliæ pars se Nauarræo dederet. Philippus Nassouius cum in castra veniisset, magnificè exceptus est: sed quia ex inuenili feruore multa improbaret, multa temerè tentaret, apud multos, præsertim Catholicos, in contemptum venisse dicitur, quamuis multa supra ætatem suam præstiterit, nec exiguam laudem promeritus sit.

Borussiæ Ducisse & Bipontini in conuentu Dusseldorpiensi petitiones.

Illustrissimus Dux Iuliacensis VVilhelmus, senio confectus, & administrationi suarum prouinciarum parum idoneus, alterum nunc pedem in cymba Charontis (vt aiunt) habebat. Non ignorabant hoc Borussus, Bipontinusque Duces, illius generi. Qui cùm alterius sint, quàm Catholicæ Religionis, non tantum Religionem suam in Cliuiam, Iuliam, ceteraſque soceri ditiones introducere conabantur, sed & administrationẽ earundem ditionum ambiebant: cùm neque pater, neque filius Dux Ioannes (vt illi aiebant) huic muneri aptus esset. Quam ob causam, aliaque plures 15. Augusti conuentus Duisseldorpij indictus est; qui postea in decimum quintum Septembris reiectus, & tandem huc vsque prorogatus

gatus est. Borussiæ Ducissa iam ante in Maio ad- Anno
uenerat: expectabatur quotidie Bipontina vtra- 1594.
que VVilhelmi Ducis filia: tandem venit maritus. In hoc conuentu filia cum Bipontino instabant, vrgebantq; , vt & patre & filio viuente reiecto, sibi administratio Prouinciarum demandetur. Diu multumque hic consultatum est: auditæ sunt variæ sententiæ, sed nihil in hac quæstione determinatum. In causa Religionis Legatus Regis Hispaniarum ipsis pactum Venlonense obiecit; secundùm cuius præscriptum in his prouincijs, non alia, quàm Catholica Romana Religio potest exerceri.

Pragæ quidam Minister hæreticus (quem Cal- *Concionator hæreticus mulierum vxorum marius, Pragæ capitur.*
uiniani dicunt fuisse Lutheranũ, Lutherani verò Caluinianum) homo inquietus & maledicus, seditiosis & inconditis suis concionibus id effecit, vt Cæsar illum orbe interdixerit. Hic mandato Cæsaris contempto, in vrbem clam reuersus suos inuenit, apud quos latitabat. Tandem familiaritate cuiusdam, non exigui census, cõtemnendæque formæ puellæ vsus, eam sibi vxorem ducit. Cum celebrarentur nuptiæ, res innotuit, captus & examinatus est. Conuictus tandem & confessus est, se huiusmodi matrimonia contraxisse plura, etiam cum nuptijs idque diuersis in locis. I nunc hæretice, & Catholicorum sacerdotum lasciuiam buccinator in conuiuijs, in curribus, & nauibus declama. Quid hoc eodem anno de alio Caluiniano Ministro in territorio Vltraiectensi actum sit, cùm & virgo sit nobilis, & res non omnibus cognita, silentio prætherire malo, quàm commemorare.

Anno 1591.

Dux Mãtuæ Romam venit.

Postquam Innocentius IX. Pontifex Romanus Mantuæ Ducem, qui sub finem Nouembris Romam venerat, honorificentissimè excepisset, in Palatio in ædibus Nepotis sui humaniter non minùs, quàm magnificè tractasset, singulisque Dominicis Aduentus in congregationem Cardinalium admisisset, interéque eos sedere iussisset: postquam ménse Decembri in Audientijs Consistorij, Cameræ, minorum maiorumq; Prælatorum, & Principum Legatorum ordinem dierum singulis septimanis constituisset. Decimo octauo Decembris Cardinales duos, D. Segam, Episcopum Placentinum, & Legatum in Francia magnæ eruditionis, prudentiæque, & benè de Reipublicę Christiana meritum prælatum & Antonium Facchinettum pronepotem suum creasset, tandem vicesimo tertio die mensis eiusdem in grauissimam febrim incidit: quam ex eo contractam quidam arbitrantur, quod ante biduum non optimè dispositus ex singulari deuotione septem illas celebriores Romæ Ecclesias inuiserat. Alij aliam causam prætexunt; nimirum quòd continuis laboribus, vt Catholicos Principes, qui Nauarræum sequebantur, ad gremium Ecclesiæ reuocaret, & ne causam totiescommunicati Regis tueri pergant dehortaretur, fatigatus, & viribus exhaustus fuerit. Vt vt est, vir grandæuus postquam paucis diebus ægrotasset, tandem Dominica die, quæ erat vicesima nona Decembris, nocte hora decima tertia, laborante, deficienteque Luna, Lunæ, hoc Ecclesiæ caput, & primarius Antistes in ipsis morbi labori-

Pontifex ægrotat, & moritur.

Mors Innocentij Noni.

laboribus defecit: placideque in Christo Saluatore obdormiuit, postquam in pontificatu sedisset menses integros duos; vixisset annos septuaginta vnum, & menses penè quatuor. Erat singularis abstinentiæ, sobrietatisque præsul, qui nunquam nisi semel in die comedebat, idque tempore cœnæ: macilentus erat, & natura Melancholicus: gaudebat opaco aêre, & camporum viridantium amœnitate. Plerumque in lecto studebat, vbi & causas, quæ adferebantur, audiebat. erat enim natura frigidissimus, inferiorque corporis medietas nunquam non frigebat. Statura corporis erat procera, vultus Maiestate plenus, in moribus & verbis erat grauis, in conuersatione nihilominus comis & affabilis. Voluptas quædam illi videbatur de litteris & scientijs inter colloquendum sermocinari, maximè de rebus politicis. Libenter enim eos, qui de Requbl. administranda scripsêre legabat, atque inter alios Platonem & Aristotelem. Multa per ætatem scripserat, quæ in lucê edere iampridem decreuerat: sed in hoc, vti & in multis alijs tardus erat, quam eius tarditatem complexioni Melancholicæ adscribebant. Vacauit illius morte Sedes mense vno, die vno. Erat hic Innocentius à Gregorio Decimo tertio Pontifex Quartus, qui omnes anno vno, mensibus quatuor, & diebus tribus, per mortem ad semper mansuram patriam translati sunt: mirum profectò sed ei qui in Lege Domini non meditatur. Qui autem illud Prouerbiorum perpendit, *Propter peccata terræ multi Principes eius*, & statum seculi, quo nos miseri viuimus, penitus inspicit Anno 1591.

Prouerb. 28.

Anno 1592.

atque examinat, hic non mirabitur. Sed hæc Theologis relinquamus; nos, quarto instituti nostri libro & anno absoluto, ad quintum properamus.

MERCVRII GALLOBELGICI LIBER QVINTVS, IN QVO RES IN GALLIA, Belgio, Germania, ceteriſque locis anno 1592 geſtæ recenſentur.

CReſcentibus nouis rebus, creſcit quoq; ſcriptionis huius noſtræ materia. Expectabam miſer beatiſſimũ illud ſeculum de quo Tibullus cecinit:

Tibull. lib. 1. Eclog. 3.

Non acies, non ira fuit, non bellæ, nec enſes
Immitti ſæuus duxerat arte faber.

Et Ouidius:

Ouid. lib. 1. Metamorph.

Non galeæ, non enſis erat, ſine militis vſu.
Mollin ſecuræ peragebant otia gentes.

At vana hæc me fefellit expectatio, pro pace namq; bellum, pro otio moleſtias, pro tranquillitate tempeſtatem, pro pietate impietatem, pro iuſtitia cædes, rapinas, incendia, pro virtute omnium vitiorum ſentinam experimur. Exclamare itaq; & mihi & omnibus quorum intereſt, cum Poeta licet.

Euripedes.

O pax opulenta & beatos inter pulcherrima Diuos
Deſiderium me tui habet, quam tardamoraris:

Atqui

Atqui metuo, ne prius laborioſæ vincar ſenectæ, Anno
Quàm iucundum tui tempus inſpexero. 1592.

Laborabant nonnulli Principes, vt pacem diuerſis in locis componerent: fuêre tamen, qui, licet dulce nomen pacis ſit, res verò ipſa, tum iucunda, tum ſalutaris, qua non modò ij, quibus natura ſenſum dedit, ſed & tecta & agri lætantur: fuêre, inquam, qui rem tam popularem repudiarunt, & vltrò oblatam amplecti noluerunt, quidam ob id, quia bellum ipſis, quàm pax erat quæſtuoſius, quidam verò quia ſub pacis titulo inſidias & bellum metuebant. Sed veriſſima huius mali cauſa Deus eſt, qui exigentis id peccatis noſtris pacem iratus nobis inuidet: Recte enim Seneca:

Quidquid patimur mortale genus, *Seneca libr.*
Quidquid facimus, venit ex alto. *Oedip.*

Huius iræ atque indignationis ſuæ ſignificationem, tum præteritis annis, tum initio huius anni, tanta illuſtrium virorum funerum turba, tam breui temporis intercapedine inaudita inſinuauit. Qua re Deus nos admonet, nondum calamitatum finem eſſe. Ferè enim fit, vt magnatum funera, Rerumpubl. mutationes & intertrimenta ſequãtur. Educto ex Sodomis Lotho vrbs tota igne cœlitus demiſſo ſubuerſa eſt. Mortuo Dauide, populus Iſraêliticus in duas ſectas inteſtinis ſe mutuò bellis contriuerunt. Defuncto Philippo Bono, quibus non calamitatibus belliſque Burgundicæ domus Prouinciæ ſunt inuolutæ? Nec mirum, euerſa namque columna domum collabi, remoto gubernatore nauem perire, & oleo conſumpto lumen paulatim extingui

Anno 1592.

ne neceſſum eſt. Non miremur itaque tot bellis ac motibus orbem terrarum his quinque annis cõcuſſum eſſe, in quibus quatuor Pontifices, duo Reges, tres Reginæ, Scotiænimirum & duæ Franciæ, de quarum altera mox dicemus: tot Principes, Duces, Comites, & Magnates ex mortalibus, nobis in medijs bellorum motibus relictis, abierunt.

Sed nec funerum adhuc finis. Initio namque Ianuarij Illuſtriſſimus Iuliæ, Cliuiæ, & Montii Dux, dum generi Boruſſus & Bipontinus Duces, tam de Religione, quàm de Prouinciarum adminiſtratione cum ſocero, eiuſque Conſiliarijs altercantur (hi campanis populum ad exercitium Religionis Catholicæ, illi tympanis ad Caluinianum ritum conuocabant) ſenio confectos, annos natus 76. ipſo Epiphaniæ feſto, ex his terris abripitur, qui 10. deinde Martij, vt ſuo loco dicemus, Duſſeldorpij ſepultus eſt. Præceſſit hic, mox illum inſequuntur Caſimirus, & ſanctiſſima illa princeps Eliſabetha, Caroli Noni Galliarum Regis vidua, de quibus mox prolixius.

Initio Ianuarij Dux Neuernenſis oppidum S. Valerij iuſſu Nauarræi occupauerat in eoque præſidium Germanorum & Gallorum reliquerat, exiſtimans iſtam oram Galliæ hoc præſidio ſatis munitam. Sed Abbatis ſuillenſes ope cuiuſdam Centurionis viceſimo ſecundo Ianuarij per caſtrum ingreſſi, oppidum Confœderatis recuperârunt. 22. Ianuar.

Groeningenſes, qui tot iam annis in Chriſti Seruatoris, & Philippi Regis fide permanſerant, & duriſſima quæque pertulerant, quotidiè magis ma-

gis magisq; ab hostibus circumfusis coarctaban- Anno
tur, & vere nouo vltimâ vrbis ruinam, exitium- 1592.
que metuebant. Decimo itaque die mensis De-
cembris, tertio & quarto Ianuarij, ad Comitem
Mansfeltium, qui nunc Vicario Parmensis offi-
cio fungebatur, litteras miserunt, quibus mise-
riam suam quâtas iniurias & damna quotidiè ab
hostibus acciperent, declarârunt. Quin & Ver-
dugium Gubernatorem suum ad eum legârunt,
vt causam suam promoueat. Lectis literis & au-
dita Legatione Verdugij, Comes Groeningen-
ses per literas consolatur. Dolere se ait tam de- 6. Ianuarij.
ploratum esse Groeningensium statum, & eò ma-
gis dolere, quod facultatem non habeat, illis o-
mnimodè satisfaciendi, eousque ab omni ho-
stium oppressione, violentia, & impetu vindi-
candi.

Hanc eorum calamitatem se litteris suis Re-
gi Hispaniarum significasse, litteras quoq; Groe-
ningensium addidisse, & Regi supplicâsse, vt
rationem eorum habeat, modumque constituat,
quo miles conscribatur, vt non tantùm bellum
defensiuum, sed etiam offensiuum deinceps ge-
ratur, hosteq; pulso & ejecto, omne territorium
recuperetur. Breui se ad has litteras responsum
expectare.

Ne verò interea eos planè deserat, ad susten-
tationem & solatium miseræ plebeculæ, Magi-
stratur misit 3000. coronatos, seu 9000. florenos,
idque in diminutionem decem millium coro-
natorum, quam petierant. Ad hæc Antvverpiæ
cum mercatoribus se agere, vt Hamburgi pul-
uerem tormentarium emant, & Groeningam
mittant.

Anno 1592.

mittant. Sed & vt omni quo potest modo, ipsis succurratur; se laborare scribit, vt bona pecuniæ summa cogatur: qua miles Regius, qui trans Rhenum est, alatur. Hanc se curam continuaturum, quamdiu licebit, pollicetur.

Interim Verdugius in Brabantiam maneret, vt ea procuret, quæ Groeningensibus vlterius essent necessaria. Tandem eos Mansfeltius ad perseuerantiam hortatur, monetq; diligentem sui, suorumque curam habeant, ne gloriam, quam hactenus sua fidelitate pepererunt, amittant: sed potius de illis dicatur: Groeningenses ad finem vsque in fide & obsequio Regis permansisse. Eodem quoque tempore, Comites Arenbergius & Barlemontius, quorum legiones in Limburgensi Ducatu hybernabant, & iam magnopere diminutæ erant, immò pene negligebantur, ad ipsum Hispaniarum Regem scripserunt, & quo loco suæ res essent, ipsi exposuerunt. Dux Parmensis Valencenis Ordines Hannoniæ, & belli Consiliarios conuocârat; cumq; de rebus arduis cum illis consultasset, vlterius profectus, non procul à Cameraco munitionem exstruxit, quam postea maioribus tormentis, firmoque impositio præsidio iussit custodiri. Displicuit hæc res Cameracensibus, videbant enim se, ab excursionibus & spolijs conuectandis hac munitione prohiberi: impedire tamen non potuerunt.

Arenbergius & Barlemõtius ad Regem Hispan. scribunt.

Parmensis in Galliam exercitum ducit.

Progressus inde Parmensis cum exercitu per Champaniam iter instituit, & in vrbem *La Fere*, quam Confœderati Hisp. Regi, vt esset suorum militum receptaculum, concesserant, præsidium introduxit: ipse cum reliquo exercitu Peronam contendit.

Decimo

Decimo sexto Ianuarij Ioannes Casimirus, Dux Palatinus, & Electoris iunioris ex fratre Ludouico nepotis tutor, duabus expeditionibus in Galliam, vna in Belgium, vna in Colonienſem Diœceſin aduerſus Catholicos clarus, columem & protector Religionis, quam Caluiniam vocant, cui nihil vnquam ad voluntatem, ſed multum ad poteſtatem defuit, quò minus Roma cum Pontifice, vniuerſaque Religione funditus iamdudum non ſit euerſa, poſt tot exanthlatos labores, curis & ſolicitudinibus, quibus pro defenſione periclitantis ſuæ Religionis exhauſtus erat, triſtiſſimo Geneuenſis Eccleſiæ luctu, ex hac lachrymarum valle in patriam ignotam euocatus eſt. Anno 1592. *Casimiri mors.* *16. Ianuarij.*

Hunc, ſed alia via, alioque profeſſionis genere, mox inſecuta eſt Eliſabetha, Caroli IX. Galliarum Regis quondam vxor, Rudolphi Cæſaris ſoror, Princeps omni exceptione maior. Hæc à morte Coniugis huc vſque octodecim continuis annis in viduitate ſua Deo nocte dieque famulata eſt. Suis expenſis Viennæ monaſterium expenſis Viennæ monaſterium extruxerat, in quod è palatio ſuo aditus erat breuiſſimus. Hic pia Princeps cum toto ſuo Gynicæo, repudiatis omnibus huius ſeculi voluptatibus, opibus & honoribus priuata vixit, omnibuſque diuinis officijs diurnis, nocturniſq; interfuit. Deum pro ſe, pro Eccleſia Catholico, pro toto Reipubl. Chriſtianæ ſtatu feruentiſſimis precibus ſine intermiſſione obſecrans. In ieiunijs & vigilijs crat aſſidua, in eleëmoſynis non inferior fortè Eliſabetha illa Thuringiæ tantopere laudata, cuius vt *Mors Elizabethæ Reginæ Franciæ*

Anno 1592.

nomen, ita & virtutes referebat. adeò, vt dum viueret sanctissima quibusdam, imò plerisq; haberetur. Cùm per hæc diuina exercitia ad vitæ periodum perueniisset, hoc mense Ianuario mortalitatis exuuijs depositis ad dilectissimum suũ Christum, quem solum amauerat, quem tota vita quæsiuerat, quem in morte optauerat, luctuosissimo bonorum omnium, præcipuè verò pauperum & inopum mœrore & planctu transmigrauit. Huius obitus nuncius, cùm 25. Ianuarij in aulam Imperatoris esset allatus, tota aula contristata est, luxitque mortem tam sanctæ Principis: sed & Imperator ipse aliquot post diebus in publicum non venit, sed in conclaui suo mœrens se continuit.

25. Ianuar.

25. Ianuarij.

Electio Clementis Octaui Pontificis.

Exeunte anno superiore, Pontificem quoque Innocentium IX. exijsse ex hac vita diximus. Sperabant forsitan nonnulli, exspirante & anno & Pontifice, Pontificatum quoq; exspirasse. Cæterùm non sic: firma enim nimis hæc petra est, quæ nec à temporibus, nec à mometis dependet. Cardinales itaq; cum aliquot diebus congregati essent, tandẽ tricesimo Ianuarij elegerunt Hippolytum Aldobrandinum, Florentinum, olim Rota Auditorem, Datarium Sixti Quinti, quem magna cum laude legationem in Polonia paucis abhinc annis obijsse diximus antea. Prælatum sanè, in quo simul certant integritas vitæ, bonitas iudicij, eruditionis magnitudo, & rerum gerendarum experientia Electus nomen Clemẽtis VIII. sibi sumpsit. Meritò itaque laudandus est Deus, pro huius viri electione, simul & orandus pro illius conseruatione, vt diuturniorem illi

30. Ianuarij.

illi vitam, sapientiam, & quæcunque ad tanti o- Anno
neris administrationē requiruntur, abundè lar- 1592.
giatur.

Dux Parmensis, postquam Peronæ aliquan- 30. Ianuar.
diu substitisset, inde Calleium profectus est: v- *Dux Parmensis lustrat exercitum.*
bi duas noctes permansit. Antequam castra mo-
ueret, omnem peditatum, equitatumque conuo-
cat, aciemque ordinat, haud aliter, quàm si ho-
stem vellet inuadere: vt exercitum lustraret, vi-
deretque quas vires haberet, quibus confidere
posset, antequam in penitorem Galliam contende-
ret. Inuenta sunt peditum circiter quindecim
millia equitum verò quatuor. Tam breui, tan-
ta copiarū accessione exercitus, qui nuper qua-
tuor tantùm peditum, & trium equitum mil-
libus constabat, auctus erat. Eodem die, cùm
Dux à Calleio in penitiorem Galliam exercitū
abducere vellet, hostium magna leuis armatu-
ræ equitum caterua, summo diluculo visus est
appropinquare. Institutum eorum erat ex im-
prouiso in aliquam exercitus Parmensis partem
impetum facere, & obuios quosque trucidare.
Sed detectis insidijs, statim ad arma conclama-
tum est.

Dum illi fugam moliuntur, Parmensis eos in-
sequitur, multi trucidati sunt, & Mareschallus
Lauerdinius tam grauiter vulneratus, vt postri-
die è vita excesserit. Accedebat iam ad Parmen-
sis exercitium Mœnius, cum alijs Confœdera-
tis Principibus, vt iunctis viribus hostem quo-
cunque loco aggrederentur.

Primo itaque Februarij Dux Parmensis, cum 1. *Februarij.*
agmine

Anno 1592.

agmine suo ad oppidum Contis venit, & iuxta *Fornezu*, arcem ab hostibus occupatam, dum oppugnare nititur, deditione capit. Progressus vlterius iter versus Normanniam instituit, quo in itinere viginti quinque hostium equites per medium agmen perrumpunt. Existimabant enim Catholici eos ex equitatu Parmensis esse, donec ad Dominum Maldegomium venerunt; qui suspicatus hostem esse, omnes apprehendit; detractisque galeis agnitos in captiuitatem misit. Parmensis omnia, quæ ad expeditionem erant necessaria præparat, vt quinto Februar. recta Rhotomagum ad hostem contendat, & extrema belli aleam experiatur. Interea Rhotomagenses erumpentes, animo imperterrito in stationem hostium irruunt, hostem fugant, insequuntur, cædunt: multi trucidati sunt multi vulnerati.

Catholicorũ victoria. Alijs Formesca.

Nouiomagẽsium anarchia.

Mos est apud Nouiomagenses antiquissimus, vt postridie Calendarum Ianuarij, duo præcedentis anni Consules sua dignitate decedant, & Senatus, Tribuni plebis, tribuumque Magistri conueniant, vt nouos Consules eligant. Reliquus Magistratus perpetuus est; nec qui semel in senatum electus est, vnquam sine causa reijcitur. Nihil hic iuris Regi vel Duci, nihil hic iuris illius prouinciali Concilio. Erat id hactenus sanctissimè & nunquam interrupta obseruatum serie. Aderant huius anni Calendæ Ianuariæ, cogitur Senatus, idque iussu Concilij Aruhemiensis. Veniunt in Senatum Legati. Hic vnus eorum Senatui gratias agit, quòd hactenus Rempublic. scilicet, prudenter & fideliter administrasset: surgere nunc & domum concedere iubet, se cùm opus

opus esset reuocaturos. Inauditum, & ab vrbe coodita inusitatum hoc erat, initiumque abolendorum priuilegiorum, quorum tamen conseruatio erat in cõtractu deditionis promissa. Paucos post dies catalogus ex Haga Comitis allata est, eorum qui consules essent, qui scabini, qui consiliarij. Nulla hic erat popularis electionis locus. Qui ad Magistratũ erant designati, eò quòd Reipubl. status erat deploratissimus, ipsi autem, neque prudentia, neque consilio, neque opibus multum possent, quidam vt homines modesti, & qui se suo pede metiebantur, diu hanc dignitatem recusarunt alij, quia inter illos erat, quem ipsi olim in frequenti Senatu, nescio cuius sceleris condemnarant, & magistratu eiecerant: item alius, qui latrocinij insimulatur, quod tamen ipse negat, & simplex homicidium dicit: cum huiusmodi hominib. in iudicio sedere noluerunt. Mansit itaque ciuitas olim tam celebris, quasi tugurium in cucumerarlo, nullum quatuor aut quinque septimanis habens Magistratum. Tandẽ Comes Mauritius ad singulos designatos scribit, vt circa initium Februarij Nouiomagum se recipiant, & singuli suum in Senatu locum occupent. quòd si qui huic suo mandato non paruerint, minatur ipsis bonorum omnium publicationem, & in ipsorum etiam personas animaduersionem talem, qualis ipsi iusta & digna videretur. Ad constitutum igitur diem cõparuerunt, & Consiliarijs curiæ Arnheimensis, qui tertio Februarij hanc ob causam venerant, sacramentum dixerunt. Paulò pòst aucta, tributa & indictiones, direptæ bibliothecæ; electi suis Monasterijs

Anno 1592.

3. Februarij.

Anno 1592.

Imagines per Carnificem exustæ.

nasterijs Monachis Catholici quidam vtriusque sexus expulsi, alijs arma adempta, imagines, quæ hactenus erant reseruatæ, in foro, indicta causa, nulla lata legitima sententia (hoc vnum defuit) per carnificem exustæ, & cineres in præterfluentem Vahalim sparsi. Erant hæ lapideæ & ligneæ, post quæsitæ sunt (at non combustę) argenteæ. Capti sunt Decanus & Canonici, coacti sunt aurum, argentum, & quidquid erat in Ecclesia cimeliorum prodere. Hoc modo spiritus ille modestiæ & lenitatis, quem Caluinus suis inspirauit, non vno eodemque tempore, sed pedetentim, & per incremẽta in antiqua illa Caroli Magni laudatissimi Imperatoris sede per homines triobolos, & alga viliores debacchatus est.

Parmensis in Galliam expeditio.

Parmensis Dux & Confœderati in Gallia qua potuerunt celeritate exercitium promonebant, vt obsessis Rhotomagẽsibus opem ferrent. cumque iam paucis ab vrbe milliaribus abesset, copias clam in vrbem mittit, vt præsidia, quæ in vrbe & arce erant, supplerent. Ipse vicesimo septimo Februarij Bommerualio mouens, Diepam digreditur, & cum suis Brondeamcourtiũ venit, quod sex circiter leucis Rhotomago distat. Decretum illi erat circa gallicinium, postquam exercitus nonnihil esset refocillatus, instituto itinere pergere, & hosti in castris ad vrbem se ostentare, si fortè stationibus suis illum elicere, & æquo cum illo posset loco decertare: vt inter certamen maius in vrbem præsidium immitteret. Copiæ namque, quas paulo ante vrbi submiserat, ad resistendum tanto exercitui, quantum Nauarræus habebat, non sufficiebat.

Dum

Dum Parmensis in itinere est, obuiam habuit nobilem quendam, ab vrbis præfecto seu Gubernatore Vilaio missum, vt læta quædam illi nunciaret. Vicesimo namque sexto Februarij Gubernator aliquot è suis in castra Bironij, & alios octingentos ciues in stationes Anglorum miserat, qui cum cum hoste velitarentur, & initium pugnæ facerent. Dum vtrinque fortiter pugnatur, animi incaluerunt, exarsitque & ingrauatum est prælium, hostes relictis castris in patentes campos desiliunt, & ad manum veniunt. Mox Villaius cum duobus selectissimorum militum millibus, inter quos centena quarta equites cataphracti, centenas octaua sclopetarij fuerunt, per cuniculos & portas erumpens, in hostes irruit: fugat, in stationes suas fugientes insequitur, castris exuit & 550. circiter trucidauit, trucidatos spoliauit, multos vulnerauit, & 2. Chiliarchas secum captos abduxit. Ciues tria maxima tormenta integra, & duo quæ erant vitiata in vrbem attraxerunt. Cùm tribus continuis horis in hostium castris commorati essent, omnia diripientes, valla & munitiones complanantes, nouamque munitionem iuxta montem D. Catharinæ extruentes, quam desuper ex monte facillimè tueri potuerunt, in vrbem victores reuersi sunt.

Anno 1592. Victoria Rhotomagesium 26. Februar.

Hostes nihilominus post abitum oppidanorum in suas stationes reuersi, quæ diruta erant, restaurare conati sunt. Ceterùm oppidani secundò effusi, denuò illos fugârunt, & in fuga centena quarta esse desideratos asserunt. Nullus enim erat in castris equitatus, quē Nauarræus, qui duabus

Anno 1592.

bus hinc leucis aberat, secum abduxerat. Tantam hoc vno die cladē Nauarræus accepit, quantam ne septimanis aliquot potuit reparare. Hæc vt nunciaret Parmensi, missus erat hic Nobilis: qui addidit; Nauarræum animum despondere, nec illi spem vllam vrbis potiundę superesse, inopia quoque pulueris tormentarij, globorum, omnisque apparatus bellici ad diuturniorem obsidionem necessarii laborare. Quæ cùm Parmensis intellexisset, coacto concilio, quid agendum sit deliberat; expediátne Rhotomagum pergere, an verò pedem retrahere. Decretum est non esse progrediendum Mœnius enim', alijque Principes & Præfecti Gallici demonstrant, non esse necessarium in discrimen & periculum se præcipitare. Rhotomagensibus namque nihil iam deesse, & hostem magnoperè debilitatum. Parmensis itaque exercitum ad Castrum nouum reduxit, licèt inuitus: nam is locus alendis tantis copijs erat incommodus, & tempestas anni ea erat, vt nihil præclari aut laude dignum agi potuerit.

Borussiæ Ducis & Bipontini ad Cæsarem legatio.

Diximus antea Borussum & Bipontinum Duces viuente adhuc seniore Duce Cliuiæ socero suo, Duisseldorpij Ordinibus patriæ institisse, vt ad trium Ducatum, aliarumq; prouinriarum administrationem reciperentur. Defuncto nunc socero, & vnico relicto filio Ioanne, vrgent non tantùm administrationem, sed & post mortem Ducis Ioannis successionem: hoc est, securitatē sibi præstari volunt, vt post obitum ipsi, & non alij, tanquam proximi, ratione vxorum suarum, Ducis Ioannis sororum, hæredes agnoscantur, & ad omnium prouinciarum successionem admittan-

mittantur. Interim viuente Ioãne Legatos suos ad Sacram Cæsar. Maiest. mittunt, & administrationem, quæ nunc penes Ducis vxorem est, eò quod Dux ipse debilis sit, & ad illam minùs aptus, sibi cupiunt demandari. Ceterùm quia Dux secundùm iura priuari non potest, præsertim cũ prudentem habeat, & ad imperandum idoneam coniugem, nihil hactenus pro Borusso & Bipontino determinatum est. Sed nec ipsi inter se conuenire dicuntur: dum Borussus Bipontinum excludere conatur, allegans; se filiam habere Ducis VVilhelmi seniorem; Bipontinus verò Borussum, dicens; se ex sua vxore prolem suscitasse masculam; Borussum non nisi femellas generasse, ideoq; sibi potiùs, quàm illi hæreditatem deberi. At Legatus Pontificis in hoc incumbit, vt neuter ad administrationem recipiatur; cùm Catholici non sint: sed vxor Ducis Ioannis, Princeps Catholica in regimine permaneat; præsertim cum maritus adhuc viuat, nec spes prolis omninò euanuerit. Quis tandem huius controuersiæ finis erit, solicitat multos; & eò magis, quòd circa idem tempus Embricæ, in Collegio Fratrum, quos Hieronymianos vocant, ingenti tempestate illa, quæ initio Martij grassabatur, ædes disturbebat aggeres perrumpebat, naues deprimebat, annosissimas arbores euertebat, aliaque plurima dãna dabat, inter alias arbores fraxinus non quidem radicitus euulsa est, sed in ipso trunco diffracta: quam Procurator Collegij, postquam excidi, & in partes ferrari præcepit (mirabile dictu) in singulis incisionibus agmina militum apparuerunt, inter quos tympanistæ, signiferi,

Annò 1592.

Anno 1591.

gniferi, ductores, alijque gregarij milites, non aliter, quam si ex industria depicti essent: omnes Borussorum & Polonorum seu Sarmatarum more amicti. Si cui incredibilia narrare videamur is partes huius arboris, si vellit, in eodem Collegio apud Doctissimum virum Dominũ Petrum Hulstium, qui hæc mihi communicauit, inueniet. Prodigium hoc multos viros prudentiores, qui quid fieri potest prouident, solicitos anxiosque reddidit.

9. Martij.

Cæsar cùm legationes Bipontini & Borussi audiuisset, nihil aliud respondit, quàm missurum se, qui Duci Ioanni à consilijs esset, eique vicariam operam in administratione præstaret, vt mutuis consilijs & auxilijs, prouinciæ sine alicuius querela vel iniuria, quam optimè gubernarentur. Placuit hoc Cæsaris consilium Bipontino: sed ea lege, vt & ipsi liceret vnum his addere, qui suo nomine, ne quid de iure suo derogetur, attendat.

Exequiæ illustrissimi Ducis Cliuiæ.

Decimo die Martij illustrissimi VVilhelmi Ducis Cliuiæ, Iuliæ, Montium, &c. exequiæ celebratæ sunt honorificentissimè. Præcedebat Mensor, cui à pedibus erant 10. paria studiosorum, qui litteris operam dabant, pullis vestibus, ad thalos dimissis, indutis: faces binas in modum crucis portabant singuli. Inde commilitones eorum cum suis præceptoribus prodibant: iuxta quos ij, qui Ecclesiæ deseruiebant, stolis candidis amicti. Post hos Canonici cum suis vicarijs, quorum vestigijs instabant tubicines octo. Sequebantur equi, atro panno ad terram vsque demisso strati, quorum singuli insignia dominiorũ,

quæ

quæ Illustrissimo Duci parauerant, portabant, & à duobus Nobilibus ducebantur. In primo autē ordine conspiciebantur quinque. Primus insignia Hensbergensia & Leuenburgensia; secundus Dominij Rauensteinij; tertius Morsensis & Nevvenarij; quartus Rauenspurgensis, quintus Marckensis Comitatuum ferebant. Post singulos equos, Nobilis quidam, eadem insignia in vexillo nigro damasceno gestabat. Subsecutus est alius Nobilis, qui symbolum, seu dictum Ducis simili damasceno panno nigro inscriptum, & corona laurea cinctum ostentabant: IN DEO SPES MEA. VVernherus, deinde à Bongardt omnia insignia coniuncta ferebat. Hunc sequebantur alij equi tres, quorum primus insignia Ducatus Montensis, secundus Cliuensis, tertius Iuliacensis dorso vehebat. Prodijt deinde VVilhelmus Cortenbachius, qui Ducis galeam, & Reinhardus Holtorffius qui gladium gestabat. Hos sequebantur primò tres prætorio præfecti, VVarnherus Bogartius, Dominus in VVinantzraedt, Ioannis Alderbockius, & Ioann. Osenbruggius; secundò duo sacellani, VVinand. Thomasius, & Ioann. Levvenhevverus; tertiò Reuerendissimus Dominus Bartholomæus Anstellius, Abbas Veteris montis, & Lutgerus à Lansberg, Abbas Hammerensis; quartò Reuerendissimus Dominus Henricus à Duiden, Abbas VVerdensis, & Rabanus Boetzierus eiusdem Monasterij Prior; lugubri omnes indumento vestiti quartò Nobiles prouinciarum. Post quos funus pretiosissimis peristromatibus stratum à viginti quatuor Nobilibus deferebatur. Anno 1592.

Anno 1592.

Ab vtroq; latere quatuor alij Nobiles ibant, qui periſtromata à terra leuabant: octo itidem ſatellites, & octo Nobiles, qui faces, à quibus dependebant prouinciarum inſignia deferebant. Sequebâtur hos totidem Nobiles, qui ſimiliter faces gerebant, & alij, qui lugubri veſte fuerunt induti. Vix illi prodierant, cùm ſubſecutus eſt Illuſtriſs. Dux Cliuiæ, Ioannes, cuius dextrum latus Reuerendus & Illuſtris Ioãnes Comes Salmenſis, & Rifferſcheitius Dynaſta, ſiniſtrum VVernerus frater eiuſdem claudebat. Horum veſtigia premebat Legatus Cegis Hiſpaniarum, Dominus Verdugius, quem aliorum Principum legati, Comites, Barones, & Nobiles totius patriæ ſequebantur: quos omnes, vti & totam hanc pompam doctiſſimus, & de patria bene meritus vir Theodorus Graminæus peculiari libro, typis æneis exornato, depinxit. Tam celebri pompa Illuſtriſſimus Dux in ſepulchrũ illatus eſt. Ad cetera pergerem, niſi me doctiſſimum, elegantiſſimumque illud Epitaphium, quod integerrimus vir Iacobus Lommius in Ducis huius obitum cecinit, retardaret.

Epitaphium Ducis Iuliacenſis.

Quis iacet hic? Dux Iuliacus: Qua ſtirpe parentum?
Cliuorum illuſtri ſanguine natus erat.
Quæ coniunx? Maria illa fuit. Quo ſtemmate? magni
Cæſaris, & diuo Cæſare nata, ſoror.
Quid inuenis colui? Martem. Quid adultior annis?
Pacem. Quid ſenior? iuſtitiam atque Deum.
Quo morbo periit? ſenio, cordiſq; dolore.
Qualiter? inuicta ſpe, ſtabilique fide.

Ergo

Ergo fuit? viuit pars prima. Quid altera? surget. Anno
Vnde? ex hoc tumulo. Quando? vocante tuba. 1591.

Auditis & dimissis Bipontini & Borussi legatis alij ad aulam Cæsaris aduenerunt. Horũ mandatum erat, vt peterent Duci Simmerio Richardo Palatinatus administrationem. Nondum enim adoleuerat Palatinus ipse, neque ad eam ætatem peruenerat, vt absque tutore ditiones suas administrare posset, atque iam Casimirus tutor illius (vt dictum est antea) mortem obierat. Hæc quidem Simmerius. Ceterũ Palatinatus ordines & viua voce, & editis libris contendebat, Principem suum ex ephœbis exijsse, tutela exemptũ esse, non alium se velle administratorem, præter ipsum Principem, admittere. Atq; hinc lis exorta est. Causa cur Simmerium totorem recipere noluerunt, quidam existimant fuisse hanc. Casimirus cùm ad tutelam daretur, suam, hoc est Caluinianam Religionem introduxerat, ea huc vsque in Palatinatu fuit multis contradicentibus obseruata. Simmerius, qui Protestantium Religionis est, Caluini dogma in suis ditionibus non admittit. Verebantur igitur Caluiniani, si Simmerius ad tutelam vocetur, sibi solùm vertendum, aut se Religione sua priuandos esse. Habebant enim recens exemplum Saxoniæ, vbi VVilhelmus Saxoniæ Dux, iuniori Duci tutor datus, omnem introductum à Christiano Caluinismum funditus extirpauit. Lutherani itaque Simmerium Administratorem cupiebant, Caluiniani repudiabant.

Legatio Palatinatus.

Simmerius Dux ambit Palatinatus administrationem.

Cæsar negat Palatino feudum & regalia.

Legati quoq; Frederici iunioris Palatinæ Pragæ Cæsarem conuenerunt, feudam Palatinatus ab eius

Anno 1591.

ab eius Maiestate petentes. At Cæsar isto rerum statu feadi collationem & regalia negauit, legatosq; re infecta dimisit. Instabant nundinæ Francofordienses; Palatinus itaque per suos Consiliarios Scriptum multis folijs concinnatum edit, in quo causæ suæ æquitatem omnibus significauit, & se 18. ætatis annum ingressum, ad Palatinatus administrationem aptum demonstrauit. Nec illo segnior erat Simmerensis, qui collectis vndiq; Imperij constitutionibus, priuatis quoque Palatinatus placitis & decretis, infirmas Frederici rationes, suas autem firmiores ostendere conatur. Quæ scripta cùm extent, lectorem ad eo remittimus. Interea Simmerensis in sua ditione manet, nihil moritur; Cæsaris, consanguineorum & vicinorum Principum, hac in re iudicium expectans. At Palatinus metuens ne quid aduersarij vel in causa Religionis, vel in imperio sibi aduersum machinarentur, clientes suos fiduciarios euocat, subditos in armis esse inbet, & externum quoque militem cogit. Ioannes Comes Nassouius misit illi ex subditis suis equites centum quinquaginta, pedites 800. in quatuor signa distributos, qui mense Aprili Francofurto per viam montanam Heidelbergam profecti, paulò pòst à Cæsare reuocati, & exauthorati sunt.

Palatinus se munit cõtra aduersarios.

In Palatinatu superiori oppidum est Neomarca, quod incolis **Newemarck** dicitur. Oderant eius ciues Caluinianum dogma, neque vnquam induci potuerunt, vt illius Religionis exercitiũ admitterent: licet tempore Frederici Electoris, & post Casimiro loco Nepotis pupilli imperante, & nunc post obitum Casimiri, sæpe à Consiliarijs

Neumarck à Palatino occupatur.

liarijs ad hanc Religionem amplectendã essent admoniti. Collecta itaque clam militum manu, ex improuiso oppidum inuadunt, occupant, ciuibus arma adimunt, patibulum ad terrorem ciuium erigunt, & valido præsidio, quo ciues in officio contineantur, oppidum muniunt. Anno 1592.

Vicini Ambrgenses isto exemplo admoniti, cùm per exploratores didicissent, præsidiarios Neomarckensium vicesimo secundo Februarij, ope quoruudam Caluinianorum ciuium nocte per arcem in oppidum intromittendos, pridiè armati ante curiam veniunt: orant Senatum, vt pontem arcis deijciat, aut sibi authoritatem deijciendi conferat. Initio Senatus dubitare, quid hac in re ageret: postea rogare suos ne quid præcipitanter agant; tandem quorundam consilio ad aulam scribere. Ceterùm dum responsum protrahitur, & periculum quotidiè crescceret, ciues mille quingenti in armis coëunt, castrum vi aperiunt, ingressique pontem, quo ex arce in suburbanum agrum aditus est, summis viribus demoliuntur. Præfectus vrbis Philippus VVanholtius vim Principi illatam conquestus, vrbem discessit: quem Doctor Rhedingius, & alij secuti sunt. *Ambergenses se contra Caluinianos, tuentur.*

Caluiniani quoque fugam meditabantur, sed in oppido manere iubentur. Ciues interdiu, noctuque diligentissimas excubias agebant, donec oberrans palansque miles, nulla re alia memorabili gesta, exauthoratus est.

Dux Fredericus VVilhelmus Administrator Saxoniæ Torgouiæ, quam Argeliam Misniæ ciuitatem vocant, conuentum ordinum habe-

Anno 1592.

Conuentus Ordinum Saxoniæ.

bat, multaque iam pridem tum ad Religionem, tum ad politicam administrationem pertinētia proposuerat, ad quæ obiter Ordines respondérunt: Dolere se immaturum Ducis Christiani obitum, viduitatem vxoris, & orbitatem sobolis: Se Administratori in omnibus fore obedientes, quæ ad Religionem, & politicam administrationem pertinent: optare se Administratori multos annos, & fœlicitatem in hoc suo munere: Ceterùm orare, ne inconsuetis exactionibus & tributis prouincias oneret: sed iura & libertatem populi sertam rectam conseruet. Famosos Sacramentariorum libellos prohibeat; & in authores debitis supplicijs animaduertat. In futura visitatione diligentiam adhiberi iubeat, vt Caluinianorũ latentium ratio habeatur, ex Scholis, Ecclesijs, Magistratibus, alijsque publicis administrationibus eijciantur. Captiuos Theologos, periuros, & in subscriptionem Concordiæ, cui consenserant, perfidos, Creilij complices, nequaquam bona fide ad tempus (vt postularãt) dimittendos, sed diligentius examinandos esse. Orant vt iunioris Principis diligens habeatur ratio, Pædagogus illi detur vir doctus pius, & Religioni patriæ deditus. Alius itē nobilis quidam illi addatur, à quo mores & consuetudines aulicas, quæq; ad externam conuersationem pertinent paulatim discat: Hæc, aliaque plura in illo conuentu acta sunt. Tandem Ordines accusationem aduersus Doctorem Kreilium instituunt eumque multorum scelerum reum agunt. Eum cruentis & facinorosis consilijs suis patriæ suæ ad perpetuam ignominiam, damnumque irre-

Accusatio Ordinũ aduersus Kreilium Cancellarium.

parabi-

parabile contra conſcientiam ſuam præfuiſſe: E- Anno
lectorem ad mutationem Religionis & politicæ 1592.
adminiſtrationis, ad ſubſidia quoque in Gallias
mittenda impuliſſe: eundem Electorem contra
Cæſaream Maieſtatem ceteroſque Electores &
principes, imperij inſtigâſſe, prouincias, & po-
pulum varijs periculis expoſuiſſe: ſchiſmata &
diſcordias in Concilium Principis diſſeminaſ-
ſe, multos conſiliarios ſuſpectos & exoſos fal-
ſo reddidiſſe: cum ceteris qui ſuæ opinionis &
Religionis erant clandeſtina conſilia communi-
caſſe. Paſtores Lutheranos perſecutum eſſe, Sa-
xonia eieciſſe, adeò vt multo tempore quibuſ-
dam in locis Eccleſiarum miniſtri non fuerint,
qui verbum Dei annunciarent, Sacramenta ad-
miniſtrarent, infantes baptizarent: Biblia & Ca-
techiſmum Lutheri adulteraſſe, reliquos libros
Lutheri, eiuſque ſectatorum prohibuiſſe, & per-
didiſſe: Caluinianorum ſcripta eorum loco in-
troduxiſſe: Auguſtanam confeſſionem anno poſt
milleſimum quingenteſimum triceſimo in Co-
mitijs Cęſari exhibitam per Pierium & Gunder-
mannum in dubium reuocaſſe. Horum, aliorum-
que plurimorum criminum, quæ omnia recen-
ſere non lubet, Ordines Saxoniæ Kreilium in-
cuſarunt, ſingula magno verborum pondere ex-
aggerantes, & tandem vindictam & ſupplicium
ab eo ſumi poſtulantes. Placuêre hæc omnia Ad-
miniſtratori, ſed in contribuendo ne ſint diffici-
les petijt. Kreilium quoque ſe Dreſdam, petente
id vxore, eò quòd in carcere morbum contraxe-
rat, in proprias ædes ſub diligenti cuſtodia miſ-
ſurum Ordines admonuit.

Anno 1592.

Antè annos circiter vigesimo Cæsarea Maiestas Nobilissimum, & maximi nominis virum, D. Keuenhullerum, Baronem in Hispanias ad Regem miserat. Cùm is hactenus legationibus cæsareis functus esset, tantam laudem meruit, in tanto honore apud Regem fuit, vt præter honoraria quàm plurima, aureo quoque vellere sit à Rege honoratus. Expectabatur ille quotidiè ex Hispanijs in aula Cæsaris, vt rediret: multi namque illius flagrabant desiderio. Reuersus tandem hoc mense Martio honorificentissimè ab ipso Cæsare, totaque aula exceptus est. Quid autem in mandatis à Rege accepisset, sciri non potuit: nisi quod fama circumferebatur, ea illum ad Cæsarem referre, quæ ad pacem & salutem Prouinciarum Belgicarum spectabant. Similiter & quædam de matrimonio inter Cæsarem, & filiam Regis Philippi, Hispaniarum infantem contrahendo, in legatione sua dicebatur habuisse.

Legatus Cæsaris ex Hispania reuertitur.

10. Martio.

Polonorum legatio ad Cæsarem vt sponsam Regi suo adducat.

SIGISMVNDVS III. Poloniæ Rex, Sueciæ filius & hæres, nuptias filiæ Archiducis Austriæ Caroli, Carinthiæ & Stiriæ Ducis, Rudolphi Cæsaris patrui ambibat. Erant nonnulli inter ordines Poloniæ, qui nescio quam ob causam domui Austriacæ infensiores, matrimonium hoc non modò dissuaserunt: sed Regi, vt ab eo abstineret, imperare velle videbantur: Sperabant tamen plerique hoc matrimonio effectum iri, vt antiqua illa necessitudo & amicitia, quæ inter Domum Austriacam, & Regnum Poloniæ semper fuerat, iam verò duabus vltimis electionibus nonnihil erat labefactata, resarciretur. Ad hoc

hoc igitur matrimonium peragendum, celebris in Boemiam missa est à Polono ad Cæsarem legatio. Erant in hac legatione Tartari, Moschi, alijque Boëmi nunquam visi Barbari, suo singuli vestitu amicti, & more suo armati: iucundum Boemis spectaculum. Principes huius legationis erant. Cardinalis Radziuilius, & Episcopus Vladomirienſis quidam Palatinus, alijque Comites Nobiles magni nominis & authoritatis viri. Omnes hi equis Polonorum more splendidissimè exornati ducentis octoginta, & cisijs seu cuinis (vehiculi genus est) triginta duobus, quorum duodecim ab equis sex, alij à quatuor trahebantur, Pragam quæ Boemiæ Metropolis, & Cæsar. Maiest. sedes est, decimo tertio huius mensis aduenerunt, & cum omni reuerentia, omnique honoris & obsequij significatione Cæsarem salutauerunt. Cæsar vicissim legationem, vt quæ venerat sponsam, consobrinam suam abductum, magnificentissimo apparatu excepit, splendidè habuit, & peracto negotio per Moraviam, in superiorem Pannoniam, Vienna deduci præcepit; vbi sponsam, futuram Reginam cum regio suo Gynicæo, & aulica Nobilitate expectarent.

Anno 1590. 13. Martij.

Dum hæc in Boemia & Austria fiunt, Ordines Hollandiæ & Zelandiæ euocatis ex omnibus præsidijs aliquot manipulis exercitum trium aut quatuor millium armatorum tam occultè & tanta cum celeritate conflarunt, vt fama expeditionis citiùs, quàm collecti militis ad vicinas prouincias peruenerit. Hi omnes in Campinia, siue Taxandria conuenerunt, atque intempesta nocte

Anno 1592.

nocte magnis itineribus Traiectum ad Mosam, vrbẽ, cuius vna pars paret Ernesto Bauariæ Duci, tanquam Episcop. Leodiensi, altera Philippo Hispaniarum Regi. Ad vrbem cùm veniissent, scalas erexerunt quàm plurimas, & magno cum silentio muros ascendere cęperunt. Ceterùm excubiæ, quæ in mœnibus erant, re cognita, arma inclamant, signum ciuibus dant, hostem adesse, vrbem periclitari vociferantur. Accurrunt ciues præsidiarijs mixti, contis & hastis hostes è mœnibus detrudunt, densissimo globorum imbre, atq; omni telorum genere in illos emisso, multos vulnerant, multos trucidant, obruunt, & à mœnibus repellunt. Hostis receptui canit, & in tutum suos reduxit. Quòd si oppidani defensionem suam cautiùs instituissent, magnam ea nocte sibi gloriam, Regi commodum, & hosti ignominiam parere potuissent: sed tantus erat eorum ardor, vt prouidentia locum nõ haberet. putabant enim se officio suo probè functos esse, si hostem à mœnibus propulsarent, aras & focos defenderent.

Nouiomagensium præsidiarij Steinfeldiam diripiunt.

Paulò pòst Nouiomagenses equites præsidiarij, vt qui ex rapto viuere coguntur, per Gelriam & Ducatum Iuliacensem in Eyfliam excurrentes, antiquissimam illam Abbatiam Steinfeldiã, iuxta Sledam, postquam aliquamdiu ab rusticis esset defensa, occupârunt, & captis nonnuslis diripuerunt. In reditu quadrigas aliquot, omni mercimoniorum genere onustas, habuerunt obuias. Has similiter exoneratas expilârunt; quod secum auferre non potuerunt, per agros dilperserunt, in libros pretiosissimos oleum, ne cui essent

sent vsui idonei, instillârunt. Sed & rustico Iuliacensi occurrentes bonam pecuniæ summã extorquent, cumque ipse multis obloqueretur, apprehensum ab arbore suspendunt, & discedunt. Rusticus cùm à laqueo pendens strangulatus non esset, diu vixit, & transeuntibus significationem se viuere dedit. Accurrunt illi, & præciso laqueo rusticum in vicinam domum inferunt: vbi cùm aliquamdiu respirasset, hostes insecutus est, & apud præfectos authores huius sceleris reos peregit. Anno 1592.

Legati Cæsaris ab Ordinibus fidem publicam petunt.

De Legatione Cæsaris in Belgium missa, ad conciliandam inter Regem & subditos pacem, quædã dicta sunt antea. Salentinus, Pernsteinius, & alij Bruxellis agebant, Rhetius aliquamdiu à Casimiro in itinere detentus, tandem ad eos quoque accessit. Mittebant quotidiè litteras ad Ordines confœderatos, in Haga Comitis congregatos, quibus publicam sibi fidem remitti cupiebant. At Ordines nescio quid causabantur, & petitionem legatorum, quamdiu potuerũt, protrahebant. Nunc abesse Gelros, nunc Consulem Middelburgensem, nunc alios, quos huic negotio interesse necessariò oportere dicebant. Videbantur enim euentum belli Gallici expectare, vt secundùm hunc pacis consilia temperarent. Si res suæ in Gallia bene succederent, pacem aliam, præter hanc, quam habebant, non optabant. sin malè, pacem qualemcunque cum Rege Hispaniarum non abnuere videbantur. Lupum itaque (vt aiunt) auribus tenebant, & ancipiti rerum statu in suspenso hærebant: eò magis, quod quotidie Germani milites, qui cum Anhaltio in Gal-

liam

Anno 1592.

liam profecti erant, magnis copijs fame & inedia penè enecti, per Hollandiam in patriam reuertebatur. quod multis suspicionem pariebat, Nauarræi Regis fortunam inclinari. Augebat hanc suspicionem fama, Nauarræum machinas bellicas omnes Rhotomago ad oppidum *pont Arche* abduxisse, in opiaque pabuli & comeatus obsidionem Rhotomagensem breui soluere debere. Missa itaque fide publica. Ordines Rhetium solum in Hollandiam vocârunt: alios legatos admittere noluerunt. Erant inter Ordines, qui Comitem Lippiensem quoque admittendum censebant, sed vicit eorum, qui contrariam opinionem tuebantur, sententia. Comites ergo duo, Isenburgius & Lippius cum fratre Episcopi Herbipolensis ad sua reuersi sunt. Pernsteinium Coloniam primò, inde in aulam Cæsaris profectus, ad suam Maiestatem totius legationis seriem retulit. Præfractos Hollandorum animos Cæsari depinxit, Zelumque & studium Salentini commendauit. Rhetius in Hollandiam profectus, aliquot septimanis detinetur, nec ad colloquium admissus est, vt sua, quę in mandatis habebat, Ordinibus posset proponere: qui nunc hunc, nunc illum abesse causabantur. Scribebat Rhetius Suæ Maiestati, sperare se sumptus non fore inutiles, neque spem pacis conciliandæ prorsus euanuisse. Cæsar tam diuturnæ moræ pertæsus, scribit legato, vt negotium vrgeat. Legatus in conuentu Ordinum refert. Cæsarem mirari non tantùm, sed & ægrè ferre, non maiorem suæ Maiestatis rationem haberi. Cæsarem ad Turcas, Moschos & Tartaros, homines barbaros & infideles

Vni Rhetio publica fides datur, alijs negatur.

Legatus Cæsaris in Hollandiam profiscitur.

Legatio-

Legationes mittere consueuisse, qui suos Legatos benignissimè, & honorificentissimè semper excipere, liberaliter habere, patienter audire, & pro qualitate causæ cum placido responso dimittere solebant. Mirari itaque Cæsarem, quod nominis Christiani hostes faciunt perpetuò inimico, id Christianos Cæsari, protectori & amico suo denegare. Anno 1592.

Induciæ hactenus inter vtrumque Imperatorem, Rudolphum Romanum, & Amurathen Cõstantinopolitanum pactæ, cum vtriusque subditorum tranquillitate obseruatæ fuerunt: eratque Amurathis propositum octo annorum inducias deinceps ad finem vsque continuare. Accidit interea Amurathem quoque cum Persarum Rege pacem, post diuturna bella, componere. Quare nonnulli Bassæ, hanc occasionem non esse prætermittendam rati, Turcarum Imperatori, eiusque filio, expeditionem in Christianos faciendã, suaserunt. Christianos enim tot ciuilibus & intestinis bellis implicatos facillimè nunc posse debellari, ostenderunt. Exercitum validissimum cogendum, & in fines Vngariæ atq; Croatiæ mittendum esse. Placuit consilium hoc ante alios Amurathis filio: hac enim occasione, se viuẽte adhuc patre viam sternere posse, ad Regni pomeria post obitum patris inter Christianos latiùs proferẽdi, arbitratus est. Nec displicuit hæc res ipsi Amurathi: statimq; mittit, qui belli apparatum, terra mariq; instruant, ad Christianos vndiq; impugnandum. Sunt qui affirmant Angliæ Reginam, & Nauarrẽum, suos in Turcici Imperatoris aula legatos habere, qui hic frigidam suffun-

Amurathes Turcarũ Imperator Christianis bellum parat.

dunt,

Anno 1592.

dunt, & ad idem bellum Imperatorem concitant. Quod si verum sit (verum autem esse posse, vel in Gallorũ Regibus tot ante annos vidimus) dolendum profectò est tantum æmulationem, regnandiq́ue cupiditatem in principibus posse, vt ille Christianissimus, hæc, vt prætendit, veræ, puræq́ue Religionis Christianæ protectrix, natum & iuratum Christiani nominis & Religionis hostem, tyrannum truculentissimum, in Deum & Sanctos blasphemum inuocent, & ad fundendum Christianum sanguinem, saltem vt suæ satisfaciant ambitioni inuitent, instar illius Iunonis Virgilianæ, cuius vox est.

Flectere si nequeam Superos, Acherontamouebo.

Lis inter Regem & magnum Cancellarium Poloniæ.

In Polonia magnus Cancellarius sororem Stephani Bauthoræi vxorem duxerat: quæ ei cùm Maximilianus caperetur filium peperit, quem rogante patre Maximilianus, licet captus, è fonte salutaris lauacri suscepit. Obijt postea vxor hęc, & aliã duxit Cancellarius, ex Nobilissima Poloniæ prosapia, quo matrimonio in tantum aucta est eius dignitas & auctoritas, vt tandem cum Rege contendere, & in multis Regi repugnare non sit veritus. Vnde magnæ inter illum & Regem controuersiæ, simultatesq́ue exortæ sunt. Mense Aprili in ditione Transisalana, inter Comitem Tsherenbergium Hermennum, & Ordines agebatur, de quarundam arcium demolitione: Regij Goor, & Tvvickelo; Ordines Dorth & Vervvorden diruerent, & solo æquarent. Dum

Saesfeldia ab Hollandis occupatur.

pacisscuntur vtrinque, quidam Gerardus Beuerfordius, cum exigua manu castrum Saesfeldis dictum, per insidias, Leucama quodam id negli-

genter

genter custodiente, intercipit. Eius institutum erat, arcem hanc munire, aduersus Regiorum vires defendere: & ex ea in omnes vicinas regiones excurrere. & huc spolia conuectare. Cui malo vt obuiam iretur, Comes Tsherenbergius in cœpto contractu nequaquam progredi voluit, nisi prædictus Gerardus Saesfeldiam prius restitueret. Quod cùm ille non difficulter fecisset, contractus optatum finem consecutus est. Ordinum belgicarum milites cùm nuper Traiecto pulsi redirent, in Campinia Nobilis cuiusdam castrum, in pago Bercheikano interceperant. E quo, cùm plurima damna vicinis locis inferrent, Regij illud recuperare volentes, eò profecti sunt, & castrum obsederunt. Sed Hollandi summissis copijs Regium militem in fugam verterunt, castrumque obsidione liberarunt. Anno 1592.

Regij Bercheikanum castrum obsident.

Ad Rhotomagensem obsidionem, eiusque solutionem priusquam reuertamur, benignum lectorem admonitum velim, quicquid hoc tempore in Gallijs actum est, nimis diuersè à diuersis narrari. Plerique enim hic Nauarræi partibus nimis fauentes, & proinde affectibus præter modum seruientes, ita rem narrant, quasi Nauarræus victor victo cesserit vltro, & vrbem tantis sumptibus, tam diu obsessam comeatuque exhaustam nulla necessitate coactus reliquerit: Parmensis vbique victus, inedia ipse & totus eius exercitus penè enectus, tantæ vrbi sufficienti comeatu subueneritque omnia quasi secum pugnantia videntur. Nos itaque medium ferentes, si non in omnibus verum, quod tamen proximum verò ex viris fide dignis, literisque principum

Anno 1592.

cipum & magnatum didicimus, vsque ad reditũ Parmensis in Belgium commemorabimus,

Nauarræus Diepam, Parmensis Boloniam secedit

Parmensis itaque castra sua non longè à castris Nauarræi habebat, & quotidianis velitationibus se mutuo exagitabant: ita vt vtrinq; multi desiderarentur. Tandem vt militem paululum refocillaret Parmensis, suos Boloniam versus abduxit. Nauarræus Diepam profectus, quæ in vrbe erant necessaria procurauit: fama namque erat, Parmensem Diepę obsidionem minitari. In exercitu Nauarræi pecuniæ, omniumque rerum ad diuturniorem obsidionem necessariarũ summa erat penuria. Rhotomagenses denùo erumpentes in hostium castris magnam stragem ediderunt, multos fortissimos viros trucidarunt, sed non sine cæde & sanguine suorum in vrbem redire coacti sunt.

Rhotomagensium eruptio.

Parmensis cùm suos aliquandiu recreasset, ad oppidum Rue duxit, illud obsedit, & dispositis tormentis, muros verberare cœpit. Vt autem institutum suum maiori cum authoritate & hostium timore exequatur, aliquot Hispanorum copijs suum exercitum auxit: sed & legiones Comitum Arenbergensis, & Barlemontij, quamuis in Belgio erat earũ præsentia maximè necessaria ad se magnis itineribus venire iussit. prædones ex Montibus ad Zomam, vicinisque Hollandiæ, Zelandiæque locis cum audissent harum legionum absentiam, se longè lateque per eas prouincias, quæ Regi parebant, maximè autem per Brabantiam diffundunt, & incredibilibus iniurijs, damnisque subditos afficiunt. Coactus itaque est Petrus Ernestus, Comes Mansfeltius agricolis, & qui

qui extra muros in pagis habitabant, imperare, vt aduenientē hostē, campanarum sonitu incolas conuocent, armatique conueniant, & seipsos tueantur; hostem persequantur, & vbicunq; eos deprehendant, absque vlla mora & dissimulatione trucident. Ruricolæ hoc accepto mandato læti, arma præparant, & se ad bellum accingunt. Excurrentem hostem fortiter excipiunt, occidunt, persequuntur, capiunt. Ab ijs, qui capti erant, grauissimum sumitur supplicium. Quo effectum est, vt sibi metuentes, alij modestiùs agere, & domi se continere didicerint. Anno 1592.

Prædones coercentur.

Parmensis postquam intellexisset Nauarræi equitatum omnem pabulatum longiùs à castris profectum, pedites solos in castris reliquisse, summa cum celeritate Ruensem obsidionē soluit, & oppidulum deseruit, frontemque exercitus præmisit: ipse autem postridie, qui dies erat Aprilis 16. subsecutus est, cum omnibus copijs, quas ex præsidijs vrbiū, quas limitaneas vocant, euocarat, & Samabrinam ponte strauit, per quē exercitum traduxit. Eo traducto pōtem, omniaque instrumenta bellica, quæ hostibus vsui esse possent, igne absumpsit. Cùm exercitum ab oppido Rue abduceret, oppidani numero 500. in tergum exercitus, hoc est, in postremas copias erumpentes, eas carpserunt, & trucidatis nonnullis, in oppidum reuersi sunt. Causam tam subitæ mutationis quidam aiunt hanc fuisse, vt absente equitatu Nauarræi, Parmensis arbitratus fuerit, se facili negotio peditatum castris exutum cædere, & fugare: vrbem verò tam graui obsidione liberare posse. Alij

Parmēsis Ruensem obsidionē soluit. 15. April.

Anno 1592.

asserunt Rhotomagenses litteras ad Confœderatos misisse, quibus significabant, se bello & obsidione defatigatos esse: vrbi itaque succurrerent, quod nisi 15. dierum spatio fiat, se deditionem facere compulsum iri. Etsi Nauarræus, qui 18. huius Diepam venerat, audisset Parmensem Samabrinam cum exercitu traiecisse, tamen Nobilitatem omnem, nihil sibi metuens, à se dimisit, vt se domi nonnihil refocillaret: diutina enim ob sidione, fame, frigore, & hyemis quàm plurimis difficultatibus, iniurijsque iam prorsus erat debilitata. Parmensis hanc occasionem non prætermittendam ratus, summa cum celeritate Castellum nouum exercitum ducit, vt Rhotomagensibus comeatum aduehat, vrbemq; obsidione (inscio Nauarræo) liberet. Habebat enim in exercitu 4000. vasa, pane bis cocto plena, quæ in vrbem inferre decreuerat. At Rutgerus VVilliamus, Eques auratus Angliæ de consilio Parmensis admonitus, Regi Nauarræo per celerem nuncium scribit; Parmensem Rhotomagum iter instituere, & 20. Aprilis, Darentallam cum exercitu venturum esse. Nauarræus accepto hoc nuntio confestim in castra redijt, & Bullionæum Ducem cum 800. equitibus misit, quid hostis agat exploratum. Is reuersus, ait hostem omni cum sedulitate mouere, & à castris non procul abesse. Rex ad classem, quam in Sequana in anchoris stantem habebat, properans, misit præfectos quosdam, qui militem omnem castris educerent, & ad oppidum *pont Larche* deducerent, ibique singulis suas stationes assignarent. Paruerunt illi Regis sui mandato. Nauarræus inde

18. *April.* *Nauarræus Nobilitati missionem dat.*

20. *April.* *Nauarræus soluit ob sidionem Rhotomagensem.*

inde omnes vndique copias euocat, & à 20. vsq; ad 25. diem conuocat. Vicesimo itaque quinto die, cum toto exercitu, accessione multorum Nobilium, & præsidiariorum aucto, mouere incipit, & ad hostium castra propius accedere. Sub vesperem, ad locum, vulgò *Fontaine de Burch* dictũ diuertitur. Habebat Nauarræus in exercitu 8000 circiter equitum, & 16000. peditum: præter copias Monpenserij, & Maresçalli D' Anniu: viginti quoque machinas bellicas, quas omnes, cùm 27. huius Angeuillæum veniisset, displodi iussit: vt Parmensi aduentum suum significaret. Parmensis & Confœderatorum exercitus sedecim circiter millibus, tam equitibus quàm peditibus constabat. Castra ipsa quinque tantùm leucis inter sese distabant. In Nauarræi castris magna erat comeatus inopia, propterea quòd Parmensis iter inter castra & Diepam intercluserat, ne vltro citroque comeare mercatores tutò possent. Sed studio Gubernatoris Diepensis actum est, vt huic malo nonnihil subuentum sit.

Anno 1592. 25 April. 27 April.

Noiomagense præsidium Erkelentium frustra tentat.

Dum hęc in Gallia fiunt, Nouiomagense præsidium, adiunctis sibi alijs quoque nonnullis è vicinis vrbibus, cum aliquot bigis, ligonibus, sarculis & scalis onustis, clam vrbe egressi, Erckelentium oppidum in superiori Geldria contendunt, intempestaque nocte tentarunt. Sed dũ inter se altercantur, quis primus oppidum aggrederetur, insidiæ ciuibus subolerunt, disploso que vno tantummodo tormento, hostes territi in effusam fugam se coniecerũt. Sæpissimè nunc oppidum hoc tentatum, sed fidelitate ciuium & præsidiariorum semper defensum fuit. Rine-

Anno 1592.

ueltius quoque Gubernator Barckenſis, ciues iam admonuerat, vt ſibi cauerent: hoſtem enim aliquid ijs in partibus moliri.

Banditi in Italia.

Clemens VIII. vti in præcedentes aliquot Pontifices, à Banditis hoc tempore plurimum exagitatus eſt. Magnis enim copijs collecti opulentiſsimas Italiæ prouincias depopulabantur: itinera omnia inſidebant, vt nemo tutò proficiſci poſſet. Quare Pontifex coactus eſt exercitum 4000. armatorum conſcribere, eumque in omne oram, vbi ſceleſtiſſimorum hominum colluuies graſſari diceretur, mittere. Quod cum illis ſignificatum eſſet, in montana fugerunt, & Landium vſque, Regnum verſus Neapolitanum ſe receperunt. Pontifex nihilominus eos inſequitur, matureque deliberauit, & ſtatuit peſtilentiſſimum hoc genus hominum ad internecionem delere. Erant Barones nonnulli in Italia, qui latrunculis iſtis fauebant, & ex arcibus ſuis clam omne ſubſidium ſummittebant. Hi capti, & vita & fortunis mulctati ſunt. Erat inter Bannitas Marcus quidam Corra, Dux & anteſignanus eorum, cui equo excuſſo coſtæ aliquot in corpore fractæ erant. Hic cùm in ſummo eſſet vitæ periculo, rogauit vnum è ſuis complicibus, vt in hoc diſcrimine conſtitutum actutum redacto in corpladio è medio tolleret: cadauer vero ſuum igne cremaret, ne aut viuus, aut mortuus in manus Pontificis peruenire. Dum hæc geruntur extra vrbem, in vrbe Dux de Feria Regis Hiſpaniarum Legatus quotidie expectabatur, qui Pontifici, Sedique Romanæ obedientiam Regis ſui nomine præſtaret. Rex ipſe valetudinarius, poſtquam ter

ter singulis venæ sectionibus quatuordecim vncias sanguinis illi medici detraxerant, conualuit. Sed & Dominus de *Orniaq;* nouus Ligæ, seu fœderis sacri procurator, ibidem expectabatur. Anno 1592.

Eodem tempore, quo Banditæ (vt diximus) Italiam exagitabant, præmiatores seu prædones Hollandorum, Zelandorumque iterum continuis excursionibus Brabantiam, Flandriam, vicinasque prouincias infestas habebant. Horum aliquot, qui arcem VVesterloam nuper occuparant, ducentis circiter numero, in meditullium Brabantiæ, inter Louanium & Bruxellas spe prædæ prouecti, in manus regiorũ militum inciderunt, & plerique capti sunt. Qui verò fuga elapsi sunt, paulo post ab agricolis iuxtà Diesthemium, & in alijs Campiniæ locis trucidati sunt: ita vt pauci vel nulli ad suos redierint. Multum pecuniæ apud illos inuentum est. Sed & quidam è captiuis tantum hoc vitæ genere quæstum fecerat, vt lytrum quatuor millium florenorum vltrò offerre non dubitauerit. Mandato quoque publico per has prouincias cautum est, vt quicunque horum latrunculorum ducem aut præfectum aliquem, viuum aut mortuum Magistratui tradere posset, is trecentis florenis donaretur. In Italia quoque decretum est, quicunque vnum ex Bannitarum illorum ductoribus interficeret, is si ex eodem hoc grassatorum genere sit, veniam delictorum suorum impetrabit, & honorario lautissimo donabitur: vt regio semel his sicarijs, sceleratissimisque hominibus exoneretur, viatoribus itinera sint tuta, & rusticis

Prædatores in Brabantia capti 27. April.

Anno 1592.

Status ciuitatis Vltraiectensis.

stici absque vllo discrimine agros colant:

Vltraiectum antiquissima & celeberrima ciuitas, iam ante annos aliquot in duas factiones erat diuisa. Vna Consistorialium, altera Iacobitarum dicebatur: ex eo autem hæc nomina contraxerant, quod Iacobitæ à pastore quodam D. Iacobi, quondam Catholico, post Caluiniano, sed liberiore & laxiore vitæ instituto: illi à Geneuensi Consistorio dependebant. Erant autem Consistoriales austeri magis, & in suo sectæ genere quasi Stoici, quam professionem oderant Iacobitæ. Indignè tulerunt hoc Consistoriales, vt qui homines sunt inquieti, nulloque præter suos ferunt. Hi itaque ante annos circiter sex, cum in Magistratu præcipui magnæque essent apud Anglos, qui tunc sub imperio Leycestrij rerum potiebantur, authoritatis, Iacobitarum antesignanos vrbe eiecerunt, & soli in ea dominati sunt. Eiectorum magna erat in vrbe, atque adeo in tota diœcesi parentela: multumque apud populum, vt homines sinceri & amantes patriæ, poterant. Quodam itaque die, nihil sibi metuentibus Consistorialibus, ciues aliquot pertæsi crudelis & superbæ illorum dominationis, primo diluculo ad arma prosiliunt, armati in ædes eorum, qui primas in Consistorio partes agebant, irruunt: eos apprehendunt, ad portas deducunt, vrbe expellunt, & quos illi exturbarant, in vrbem reuocant. Exularunt Consistoriales illi hactenus, & adhuc exulant. Erat inter illos quidam Brackelius Consul, vir non infimæ Nobilitatis. Is per eosdem hos dies omnes modos & vias quærebat, vt in vrbem reciperetur. Sunt autè

patriæ

patriæ tria ordinum membra, Ecclesiasticorum, Nobilium & vrbium, quorum suffragia in omni re graui & ardua rogantur. Ea vt sibi demereretur, laborabat Brakelius. profectus itaque ad minores ciuitatis, Magistratibus sese insinuauit: eos ad splendida conuiuia vocauit, iniuriam sibi factam ijs exposuit, suæque fortunæ Patrociniũ hoc modo quæsiuit. Deinde Nobilium quorundam animos solicitauit, duosque in vrbe primariæ Nobilitatis viros, sibi fauentes inuenit: qui pro eius restitutione Comiti Mauritio instabãt. ipse cum filijs in pagis, agrisque suburbanis obequitabat. Magistratus, cui hoc genus hominum erat exosum, non ignorans, quæ incommoda ex huius viri restitutione sequerentur, diligentissimam diurnarum, nocturnarumque excubiarum habebat rationem. Deinde Nobiles illos duos, qui Brakelij partibus fauebant, in ius vocauit, & lege illos tanquam perturbatores Reipub. compellendos esse decreuit. At illi non comparuerunt, sed iudicium declinarunt. Anno 1592.

Rex Nauarræus, vt diximus, castra sua locarat in loco dicto *Fontaine de Barch*: Parmensis Diepam inter & Rhotomagum. Submiserat nunc aliquoties Rhotomagensibus militem & comeatum, sed non ea quantitate, vt vrbi tam populosæ & diuturna obsidione exhaustę posset sufficere. Vt autem sufficeret, non terrestri itinere, sed per fluuium nauigijs comeatus in vrbem erat inferendus. Quod quo minus fieri commodè posset, munitissimum oppidum Caudebeka, Portum gratiæ & Rhotomagum interiacens, quod à Nauarræi milite occupabatur, impediebat. Sub ip-

Anno 1592.

Parmensis Caudebekam obsidet, capitque.

ium namque oppidum nauigia erant prouehenda. Necessum igitur erat, vt Parmensis hoc oppidum expugnaret. Obsessum itaque est, & attracta maiora tormenta, vt muri disturbarentur. Ex hostium quidem nauibus multi globi in castra Parmensis mittebantur, qui operas nonnihil interturbarũt: tandem tamen dispositis machinis, maxima contentione vrbs oppugnata, in ius, potestatemque Confœderatorum venit Nauarræus Argeuillæo mouit, vt Caudebekam obsidione liberaret: sed in itinere significatum illi est,

22. April. Caudebekam hosti deditam esse. Parmensem verò cum exercitu in valle quadam, iuxta Iuetotiũ consedisse, ibidemque se munire. Mœnium & Ducem Guisium cum bis mille equitibus, peditibus verò mille ducentis ad illum accessisse. Nauarræus itaq; instructa subsecutus est acie. Cùmque tribus circiter leucis à castris Parmensis abesset, iussit suos illic cõsistere, ipse verò cũ quingentis equis, vlterius prouectus, quid Parmensis tentaret, explorauit. Conspectus à Cõfœderatis, à Mœnio obuiam eunte exceptus est, Pugnatum vtrinque sed leuiter: post pugnam digressus vterque in castra reuertitur. Sunt tamen, qui in hac velitatione Dominum de Contenau captum esse affirmant. Postridie iterum velitatum est paucis vtrinque desideratis. Confœderati, qui Iuetotij erant, post pugnam ad Parmensis exercitum redierunt, & tentoria, casulasque suas, ne ea hostis occuparet, incenderunt.

Nauarræus, vt comeatus (cuius inopia laborabat) Diepa & Sanvalerio tutius adueheretur, è re sua esse existimauit, si Portum gratiæ, quem vulgus

vulgus *Hablegrace*, alij *Haure de grace* nominant, obsideret, & sine intermissione oppugnando in suam potestatem redigeret. Sed in itinere ab Hispanis aliquot, qui itinera insidebant, impeditus, alio exercitum declinauit, & Nateuillam venit. Parmensis continuis velitationibus Nauarræum per hos dies distinuit, interim octoginta naues omni genere comeatus, & annonæ onustas è portu gratiæ aduerso flumine subduxit, & in portum Rhotomagensem incredibili oppidanorum gaudio, & in vrbem venit, & honorificè exceptus est. Cumque iam Rhotomagensibus de omnibus necessarijs prouidisset, tantumque aduexisset, quantum dimidio anno sufficere posset, inde in castra digressus est. Sequentibus aliquot diebus quotidie rursus velitatum est, nunc huc, nunc illuc fortuna inclinante; multis quoque vtrinque desideratis. Parmensis etsi inter collum & humerum dextrum leuiter vulneratus esset, nunquam tamen decubuit; sed equo insidens, castra obequitabat, & in prælijs primus animos militum ad fortiter pugnandum incitauit. Anno 1592.

Rhotomagẽsibus copiosus comeatus aduehitur.

Haud satis æquo animo ferebat Nauarræus, Parmensem hanc oportunitatem, annonam Rhotomagum subuehendi, inuenisse: nec tamen impedire potuit. Huic malo accedebat, quod Gubernator Diepensis, qui Nauarræi partibus impensè fauebat, id temporis quoque mortuus est. Vicarius illius iniquiori in Nauarræum animo, cùm futura prouideret, metueretque; ne Angla tandem in hanc ciuitatem oculos conijceret, atque eam ratione expensarum, in hoc bello

Anno 1592.

bello factarum, sibi concedi postularet; vt in Belgio Ostendam, Brilam, aliaque oppida nonnulla postulauit & obtinuit: vt illam excluderet, se à neutra parte, neque Nauarræi, neque Confœderatorum stare velle (vt tunc famæ datum fuit) proposuit, sed sibi, suisque vrbem reseruare, donec quò inclinaret fortuna videretur. Nam & hoc Gubernatorem Caletensem quoque decreuisse, multorum sermonibus diuulgabatur.

Diepa in fide Nauarræi mutat.

Conuentus Middelburgensis.

Mauritius Comes Nassouius, eodem hoc tempore, Metelli castrum, seu Middelburgum, Zelandiæ metropolim venit; ibique de pecunia, comeatu & belli apparatu comparando consilia cum Ordinibus captauit. Decretum enim erat, mense Maio ad expeditionem aliquam proficiscendum, bellumq; continuandum esse. Hanc ob causam varijs in locis pedites, equitesque multi colligebantur, vt Centuriones signis multorum cæde & obitu debilitatis, supplementum darent.

Pontifex patrocinatur Confœderatorum causæ.

Sub idem tempus Episcopus Viterbiensis, Nuncius Apostolicus Roma in Gallias missus est, ad Legatum cum mandatis, vt Legato & Confœderatis significaret, Pontificem omnem opem, atq; omne subsidium ipsis demonstraturum. Post non multos dies Veredarius Mediolano in Franciam profectus, litteras attulit, quibus Pontifex scribit, se Confœderatis 5000. coronatos collybo mittere. Sed & Genua scribebatur Duci Sabaudiæ ex Mediolanensi Ducatu & Regno Neapolitano 10000. pedites, & 1500. equites à Rege Hispaniarum missos subsidio venire;

Exercitus in Gallia noua supplementa expectant.

nire, quibus victoriam in Prouincia persequatur. Quin etiam in castris Parmensis constans erat in fama, in Coronis portu 6000. circiter Hispanos naues conscendisse, & Britanniam versus velificari. Alphonsum quoque de Vergas cum maximo peditum equitumque exercitu in regnum Nauarræ, Principatumque Biarniæ venisse. Ipse autem Parmensis nouas etiam copias è Normannia expectabat. Sed & Nauarræo subsidia ex Anglia & Hollandia mitti per omnium ora volitabat. Anno 1592.

Amurates, etsi ad terrestre bellum se præpararet, tamen classem nullam instruebat. Triginta tantùm triremes in Archipelagum misit, qui insulas in illo sitas defenderent, ac mare à piratis tutum redderent. Interim Venetiarum Generalis Lipollo, in Istria copias aliquot in terram exposuit, multosque Vschios (prædonum genus est) trucidauit. Inde Cadareum fortissimum, munitissimumque locum Vschiorum receptaculum contendit, vt eos ibidem expugnaret, opprimeretque, & Istriam à barbaris istis erronibus liberaret.

Anna Austriaca à Polonorum legatione excipitur. 1. Maij.

De Polonorum Legatione dictum est antea. Expectabat ea Sponsam, Annam, Caroli Archiducis Austriæ filiam, Sigismundo Polonorum Regi desponsatam. Venit ea primo Maij Viennam, quæ Austriæ metropolis est. Huic aduenanti 6. signa ciuium peditum, & 500. equites obuiam præcesserunt. Eodem die hora 2. pomeridiana Illustrissimus Archidux Matthias celerrimis equis Lyntio Viennam veniens, cum aulica sua Nobilitate Sponsæ quoque obuiam equi

tauit-

Anno 1592.

tauit, fratremque suum Ernestum, Sponsæ Regiæ, Matriq; illius, Sereniſſimi Ernesti, Electoris Colonienſis ſorori aſſidentem inuenit, fraternoque affectu, vnà cùm Patrueli ſua, matreq; illius ſalutauit. Ernestus conſcenſo equo, vna cum fratre Matthia ante currum, cui Sponſa inſidebat, obequitans, eam in ſuburbium deduxit. Hic currus pretioſiſſimus, 4. ſedilibus aureis peristromatibus conſtratis diſtinctus, & à ſex generoſiſſimis equis, ſimilibus auleis exornatis tractis obuiam mittitur, in quem Sponſam Regiam, eiuſque matrem Archiduces collocarunt. Sponſam quidem in ſupremo, excelſiorique ſedili, matrem verò à dextris. Ipſi Archiduces in alio coruino ſeu ciſio comitabantur, & Sponſam in Palatium deducebant. Poſtridie legatio Polonica ad Sponſam deducta eſt, multis curribus, in quibus varij Gubernatores, & Conſiliarij Cæſareæ Maieſtatis ſedebant, concomitantibus. Tertiò die Maij Legati ad colloquium admiſſi, cauſam ſuæ legationis propoſuerunt. Deinde Cardinalis Radzeuilius ſeorſim cum Regina Sponſa de varijs rebus ſermonem habuit. Quartò ſub veſperem inter quartam & quintam horam, in Auguſtinenſium Baſilicam, Palatio proximam itum eſt: vbi poſt veſpertinas horas, Epiſcopus Viennenſis diſertiſſimam habuit idiomate Latino orationem: Poſtquam præcedentibus ſponſionis verbis, ſeu ipſis ſponſalijs, dextrà data eſt. Ambo Archiduces, Erneſtus & Matthias, Cæſaris fratres, paranymphi, & Sponſæ ductores fuerunt. Deinde Legatus Radzeuilius Sponſę digito annulum induit, & matrimonium confir-

Matrimonij confirmatio.

firmauit. Tandem è templo in Palatium, hora circiter ſeptima reuerſi ſunt. Erat in atrio ſiue cœnaculo menſa ſplendidiſſimè inſtructa: hora cœnæ diſcumbitur. Primum locum occupat Cardinalis: cæteri omnes ordine Sereniſſimi Archiduces, Poloniæ Legati duo, Sponſa Regia, Mater, Lantgrauius Luchtenbergius cum coniuge accubuerunt. Sed & alijs in diuerſis conclauibus pro Principibus, Nobilibuſque, pro Gynicæo & Polonis aliæ menſæ viginti quatuor poſitæ fuerunt. Hora porrò duodecima menſis ſublatis ad choreas itum eſt, vbi tanta Nobilium vtriuſque ſexus multitudo fuit, vt ſæpe triginta paria ſimul ſaltauerint. Protractæ ſunt choreæ ad horam circiter ſecundam. Inde omnes cubitum diſceſſerunt. Vnus ex Legatis cataphractus, pro more Principum & Regum, à latere Sponſæ in eodem lecto collocatur. Poſtridiè, qui dies erat Maij quintus, Legatus Sponſæ ſui Regis nomine torquem, cum dependente gemma pretioſiſſima, cimelium ducentis millibus florenorum æſtimatum, donauit. Omnibus ritè, magnificéque peractis, Legati Sponſam ſecum in Poloniam abduxerunt.

Anno 1592.

Conuiuium.

Accubitus.

Pridiè, quo hęc fiunt in Auſtria, Nauarręus iterum ſuas copias in Cõfœderatos ducit. Omnẽ enim occaſionem quærebat, vt cum hoſte de rẽ ſumma decertare poſſet. Videbat enim res ſuas quotidie deteriores fieri: multos milites fugere, multos, eò quòd ſtipẽdia non ſoluerẽtur, murmurare & iuſſa ſua detrectare. Erat enim in caſtris illius nõ tantũ pecuniæ, ſed & comeatus ſumma penuria. Facile itaq; animaduertit, ſe exercitum diu

4. Maij.

Nauarræus pugnandi occaſionẽ quærit.

Anno 1592.

diu alere non posse: ideoque satius esse, aleam belli honestè experiri, quàm postea turpiter ab armis recedere arbitratus est. In exercitu Parmensis, etsi omnium rerum erat caritas & difficultas, suppetebat tamen militibus pecunia. ideoque Parmensis, summam salutem periclitari noluit sed bello ducendo Nauarræum defatigare & exhaurire maluit. Nauarræi (vt dixi) aliud erat consilium: quare educto castris milite, Parmensem ad pugnam prouocauit. Parmensis etsi debilis, lectica tamen se in planiciem deduci iubet: suos in ordinem redigit, aciem instruit, & ad fortiter pugnandum hortatur. Ad arma conclamatur, concurritur, fit atrox prælium; sed dubia victoria. Vtrinque desiderati sunt multi, inter Confœderatos captus filius Dynastæ de Chastre, & Vicarius Centurionis Cousinij interemptus. Insequenti die tam copiosa & importuna cælitus decidit pluuia, vt nihil expediri potuerit. Postridie, qui dies erat Iouis, cælo paululum sereniori Nauarræus castra mouet, sese longius discedere velle simulat: iter autem versus Portum gratia instituit, quasi Confœderatorum exercitum à comeatu vellet intercludere. Cæterùm non lõgius, quàm ad iactũ vnius baliſtæ à castris hostium recessit. Parmensis equo insidens exercitum suum lustrabat, in armis detinebat, & ne qua parte periclitaretur, diligenter cauit, 8. vel 9. continuis horis in armis obequitans. Nauarræus vallum hostium tentabat; illi excurrentes Nauarræum a vallo repellebant. velitatum est initio, post iterum ad iustum prælium incalescentibus animis ventum est. Hic Parmensis equus sclopi

Pugna inter Parmensem & Nauarræum.

Anno 1592.

sclopi ictu sauciatus est. Scipio quidam cæsus, Comes Horatius & Hannibal Bentiuolus vulnerati: victoria tandem in Confœderatos translata, Nauarræi multa suorum cæde & sanguine in castra sua reiecti sunt. Quid multis? vterque exercitus perpetuò in armis erat, singulis momentis decertatum & velitatum est, tanta cum contentione, vt vno impetu subinde debellatum fore putasses. Et quamuis nunc hi, nunc illi, de victoria gloriêtur, tamen si omni affectu exuto rem penitius inspexeris, candideque iudicaueris, ancipitem vbique victoriam dices, nisi quod Parmensis ad quod venerat, id perfecerit Rhotomagumque obsidione liberauerit. Qua in re tanto maiorem meretur gloriam, quanto eius exercitus exercitu Nauarræi numero fuit inferior. Quod hic ais tu, quisquis es, Tolmere? Quot millia Rex in hac obsidione habuit? recita quæso ex sesquipedali tuo illo carmine:

Ioan. B.C. Med. in panegyri sua de Henrici Borbonij ad Regnum Franciæ assumptione.

——rapit agmina ad vrbem
Omnia Rhotomagum, & premit obsidione rebelles
Quinquaginta hominum armatorum millibus ——

Quanto exercitu restitit his tantis copijs Parmensis? dic sodes:

——venit Farnesius, milliaq; octo
Vir armatorum potuit conquirere gentes
Militiam vsq; adeo occipiunt horrere Dynasta
Hesperij, iunxêre suas quoque fœdera falso
Sancta vocata manus, & vix ter sena virorum
Millia conficiunt.

Vidésne, Tolmere, quantam ignominiæ notam inuris tuis Caluinianis? ignauos esse & imbelles

Anno 1592.

necessum est, qui cùm tanto numero essent, tam paucos impedire non potuerunt, quo minus vrbé septem continuis mensibus, tantis expensis, tot fortissimorum virorum funeribus obsessam liberarent, & ab hostium vi salua conseruarent. At multorum sanguine & vulneribus ea Confœderatis constitit victoria. Constet; dum summa rei salua sit. Sine cæde namque & sanguine non semper conceditur victoria. Neque mors eorum, qui occubuerunt, inulta iacet: Testantur hoc pugnæ in Bohimont & Iuetot, in Sanct. Vendrille & Iumeges, vbi per hos dies quanta inter Nauarræos strages edita sit, nemo facile dixerit.

Tolmeri carmen, sed inuersum.

Tantum profuit vnda
Lustralis, qua ter turmas circumtulit omnes
Spargens rore sacro Christi ille Vicarius, istud
Et valuêre cruces dextra sæpe ingeminata, &
Dij (bona verba precor) Cereali è farre creati,
Gestati circum turmas, auidéq; vorati.

Blasphemum os, monstrum in vltimas terras exportandum; quid Christo & Sacramentis illius cum tuis nugis? Quàm religiosè, quàm sanctè, quà reuerenter sanctissimi Ecclesiæ Patres de tremendo hoc & augustissimo Sacramento locuti sunt, eorum testantur monumenta: quæ vtinam tibi nó minus, quàm Hippocratis Aphorismi essent familiaria. Modestius sanè loquereris, & scriberes.

Confœderati cùm vrbem Caudebekanam firmo satis præsidio munijssent, Mœnioque cum duobus Heluetiorum millibus, & aliquot equitum turmis Rhotomagi custodiam demandassent, Sequanam nauali ponte iũxerunt; per quem comea-

tus il

tus in castra eorum inferebatur. Nauarræus namque relicto Pont Larche, Caudebekam exercitum transtulerat, vt anno nam hostibus intercluderet. Chimæus Princeps suam stationem, cum alijs aliquot equitibus habebat in Ransonio, Normannię pago, vt hostium istic excursiones distineret. Erat autem inter eos ordo quidam perturbatus, & excubiæ negligenter agebantur. Non latebat id hostem: decimo igitur Maij Bironius, Philippus Nassouius, Claremontius, Lanous, & alij, summo diluculo pagum aggrediuntur & occupant. Confœderati inopinato periculo territi, sese in fugam coniecerunt, omniaque impedimenta sua hosti diripienda reliquerunt. In fuga nonnulli sunt cæsi, aliquot capti: præda inuenta est ingens; supellex etiam argentea (vt ferebatur) Principis Chimæi, & equorum non paruus numerus, quos sessores istic inuiti reliquerant, eò quod tempus conscendendi non haberent. Nauarræus exercitum suum Iuetotium remisit, ipse subsecutus in pago diuersabatur. Pagus autem 3. milliaribus à castro Iuetotio, duobus à Caudebeka, & vno à Sequana distabat. Id autem eo consilio fecit, tum vt prohiberet, ne comeatus hosti è Portu gratiæ adueherentur; tum etiam, vt Killeboefium, si hostis obsidere vellet, posset defendere. Sed & Dominum de Fay Killeboefium misit, qui oppidum nocte dieque munire non destitit. Classis quoque Hollandica, duabus inter Caudebekam leucis in anchoris stabat, sæpe cum Confœderatorum classe dimicans PARMENSIS videns quod istis in partibus, propter pabuli, qua laborabant equi, penuriam, nihil amplius commodi

Anno 1592.

Victoria Nauarræorum.

Parmensis Rhotomagi Lutetiam reuertitur.

Anno 1592.

commodi præstare poterat, consulto se facturum putauit, si castra mutaret, exercitumque in aliam prouinciam fertiliorem traduceret. Maiorem itaque comeatus partem, machinas quoque præcipuas, apparatumque bellicum Caudebeka Rhotomagum transportari iussit. Deindè peditatum, equitatumque omnem, & aliquot machinas bellicas, per naualem pontem in Sequana stratum, præmisit. Ipse relicto Rhotomagi Mœnio cum 2000. Heluetijs, 1000. Gallis, & aliquot equitum cohortibus, 13. Maij subsecutus est, & per Carnutes Lutetiam versus agmẽ duxit, vt militem laboribus & miserijs exhaustum, refocillaret; pecuniamque colligeret, vnde stipendia exercitui darentur. Iam enim allatæ erant litteræ, Genuam naues regias cum duabus ducatorum millionibus appulisse. Nauarræus cùm hostis abitum intellexisset, ocyus cum toto exercitu aduolat, sperans se exercitus hostilis tergum posse carpere, & à traiectu intercludere. sed antequam ad ripam venit, omnes copiæ transierant. Reuersus itaq; cum suis Caudebekam obsedit. Erant in oppido 250. Hispani, 50. Galli, quos wallones vocant, & 200. Franci, qui oppidum diu conseruare, & tueri potuissent: sed quia mandatum aliud habuerunt, nulla vi expectata, se, oppidumque Nauarræo dediderunt, & cum impedimentis armisque suis dimissi, Rhotomagum profecti sunt. Nauarræus verò recuperata Caudebeka, Diepam se contulit, vt suus quoque miles paulisper respiraret; donec noua subsidia, quæ ex Anglia & Hollandia expectabat, appellerent. Rhotomagenses, à diuturna illa arcta obsidione liberati, nunc securi viuebant, vt quibus

Sunt qui hic facta esse narrant, quæ supra de interceptis Chimæi impedimẽtis diximus. Nauarræus Caudebekam recuperat.

quibus omnia, quæ erant necessaria, abundè suppetebant, & quotidie plura aduehebantur. Anno 1592.

Anna Austriaca, Sigismundi Poloniæ Regis spõsa tandem 24. Maij cum Regio comitatu Plessiam venit. Quod cùm Regi nunciatum esset, mox legationem suam præmisit, quæ sponsam exciperet. Ipse ciuibus imperat, totique Nobilitati, vt quisq; quàm magnificentissimè sese exornet, & postbiduum Regi suo se sistat. Interea arx renouatur & exornatur, plateæ purgantur, Domus priuatæ ornantur & dealbantur, parietes aulæis Turcicis veliuntur. Dimidio ab vrbe Cracouiensi milliari iussit Rex in amœnissimo prato quatuor Turcica erigi tentoria, duo in vsum Sponsæ, duo in proprium; octo circiter passibus à se inuicem disiuncta. Inter hæc tentoria planicies erat, qua ex vno in aliud patebat aditus: eam aurea vmbella, seu cælo, quatuor columnis innitenti, tegi præcepit.

Anna Austriaca in Poloniã venit et Regem Sponsum Spõsa excipitur. Maij 22.

Vicesimo sexto Maij Rex, Regina vidua, & soror Regis, cum quatuor millibus equitum, qui omnes sericis, holosericisque induti erant vestibus, plumis versicoloribus tam ipsi, quàm equi circumquaque ornati; totidem quoque peditibus, qui omnes more Germanorum, sed eodẽ colore vestiti, & in viginti signa distributi erant, ad prædictũ vsque locum Sponsæ obuiam processit. Cùm Spõsa eminus aduentare conspiceretur, æneatores, tubicines, tympanistæ officium fecerunt, & cum tanto triumpho & iubilo Sponsa aduenit. Mox curru descendere iubetur, & in tentoria introducitur. Hic à Regina vidua Stephani, & Regis sorore blandè excipitur. Inde ab Episcopo Præslauiensi, & Magistro aulæ suæ sub vmbellam deducta

26. Maij.

Anno 1592. est, vbi Rex, Archiepiscopus, & Magnus Cancellarius ei obuiam processerunt, & honorificè non minus, quàm blandè exceperunt. Quo facto Rex, Sponsam in pretiosissimum currum, quem eum in vsum incredibili sumptu confici mandarat, eleuari iubet: iuxta quam mater sedit. Equites, peditesque præcesserunt, quos subsecutus est Rex cum Episcopo Presslauiensi & Archiepiscopo Polono. Post Regem sequebatur currus Reginæ sponsæ, qui cingebatur corona Nobilium adolescentum, qui omnes Regia pompa erant vestiti. In vrbe ciues omnes in armis duplici ordine hinc inde à porta ad arcem vsque stabant, Sponsam salutantes. Erecti erant in honorem Sponsæ arcus triumphales varij; in quorum vltimo stabant octo virgines nobilissimæ, suauissima harmonia musica, variorumque instrumentorum modulamine Sponsæ nouas nuptias gratulantes, fœlixque & faustum matrimonium acclamantes. Inter alia multa iucundum erat videre Germanum signiferum, in pinnaculo turris Ecclesiæ Cathedralis, nulli innixum fulcro stare, & vexillum manu dextra absque vlla intermissione rotare, & in orbem agere. Missilia quoque in vulgus spargebantur, nummi scilicet argentei, a quorum vno latere fluctus marini, & iuxta fluctus ab vtraque parte palmæ, quæ supra mare sese ad inuicem inclinabant, cum hac inscriptione, *Amor distantia iungit*, exprimebantur. Ab altero latere in infima parte, insignia Domus Austriacæ, supra hæc à dextris Aquila Imperij, à sinistris Aquila Poloniæ ostendebatur, cum epigraphe, *Ast animos sociasse iuuabit*. Cum tali pompa Regi-

gina

gina candidis vestimentis, vti & Rex, induta, mox in templum inducitur, vbi Canticum Ambrosij & Augustini iucundissimo iubilo decantatum est. Inde in arcem deducitur, vbi secundò à Rege excipitur, qui cum ea diu Latinè, Germanicèque (callet enim ille vtrumque idioma) colloquutus est. Deinde custodiæ matris, totius Gynicæi, Reginæ viduæ & sororis Regiæ commendata est. ANNO 1592.

Vltimo tandem Maij nuptiæ in præsentia magni Cancellarij Somoscij, primariorum Principum & Ordinum Poloniæ magna cum pompa celebratæ, totoque octiduo diuersis spectaculis, ludis, monomachijs, alijsque lætitiæ significationibus continuatæ sunt. Paulò post Rex cum noua nupta ad comitia VVarsouiensia profectus est. *Nuptiæ Maij 31.*

Per eosdem dies Christophorus Gundermannus, quem in Saxonia propter Caluinianam Religionem captum diximus libro præcedenti, pœnitentia ductus, cœpit in fide sua nutare. Nam cùm videret captiuitatem suam opinione fore diuturniorem, suasq; machinationes quotidie magis detegi, peiora metuit, & palinodiam canere velle significauit. Contulit, hoc suum consilium cum viris doctis; petijt sibi libros aliquos de doctrina Lutherana selectos dari, vt legeret. Data ei sunt aliquot scripta Lutheri, vnà cum Formula Concordiæ Saxonicæ. Legit, simulatque se hæc nunquam tanta cum animi attentione legisse: addit; se iam deprehendere, quòd grauiter errasset, & contra veritatem docuisset. Dolere se ex animo quod Deum & homines hactenus offendisset: fatetur se & huius & futuræ vitæ dignum supplicio: *Gundermannus Caluinianus reuocat doctrinam & fidem suam.*

Notate hoc & Martyrum et Doctorum constantiam.

Anno 1592.

Orabat Deum & Magistratum sibi ignoscerent, paratum se quicquid docuisset ore & corde reuocare, & proprio chirographo testari atque promittere, se in posterum nihil Augustanæ Confessioni, articulis Smalcaldicis, Symbolo Athanasij & Formulæ Concordiæ contrarium vnquam docturum, dicturumúe. Nunquam se suggestum conscensurum, aut concionem ad populum habiturum, absque consensu Magistratus; sed priuatam vitá Calæ in sua patria acturum, nec cuiquam offendiculo futurum. Quòd si secundò in causa Religionis peccauerit, se bona, vitamque ipsam arbitrio Magistratus subijcere. Hæc & similia cùm ad aulá delata essent, 30. Maij Gundermannus libertate restituitur, & postquam iuramentum præstitisset, promissorumque chirographum tradidisset, Calam deductus est. Cumque vxorem & liberos sibi quoque reddi peteret, in via intellexit vxorem se laqueo strangulasse. quo nuncio tertius & ipse penè mentis inops (vt Francus refert) factus est.

Legatus Cæsarens infecto pacis negotio reuertitur.

Per id tempus Baro de Rhede Legatus Cæsareus ex Hollandia in Germaniam reuersus est. Cùm enim aliquot septimanis, ne dicam mensibus, in Haga Comitis constitisset, & quotidie vt legationis suæ causam proponeret. oportunitatem quæsiuisset, responsum illi tandem est, statum Reipublic. tranquillum esse, non expedire, vt ipe instabilis & non duraturæ pacis perturbetur. Muneribus deinde donatum Rhetium (quæ tamen illum renuisse quidam aiunt) dimiserunt.

24. Maij. Insignis victoria Ioieu-

Vicesimo quarto Maij Dux Ioieusius insigni stratagemate Hugenottas in Albigensibus eluit. Lautrechium vrbs est, quæ aduersus omnes Hugo-

notta-

notarum vires semper à Catholicis fortissimè fuit defensa. Hanc Ducis Ioieusij consilio quidam ciues, ad id subornati, Nauarræo se traditurum receperunt. Gubernator vrbis Castrensis clam 1500. sclopetarios, & ducentos quinquaginta equites, cum summa celeritate colligit, & 24. Maij, qui dies erat Dominicus, profunda nocte Lautrechium misit. Ioieusius aliquot copias in vrbem miserat: ipse cum 100. equitibus & legione peditum vna ante vrbem in insidijs delituit. Cumque hostis inter vrbem & suas copias medius consisteret, expectans donec aperirentur portæ; consurgit ex insidijs Ioieusius, classicum canitur, erumpunt, qui in vrbe erant: Hostis & à fronte & à tergo cæditur, cadunt sexcenti & 200. capiuntur. Inter hos fuit Dominus de Violet, Gondinius archistrategus, Montmorancio nequaquam inferior: & alij plures ex Hugonottis Nobiles. Inter mortuos verò agnitus est Dominus Tamezius nobilis istius prouinciæ prædator. Alij trecenti sub ducibus Poilrasio & Potalio fuga salutem quæsiuerunt, & in arcem *de la Trappe*, non procul à Lautrechio se receperunt. Ioieusius confestim arcem obsedit, Albigio tormenta & apparatum bellicum aduehi præcepit, vt oppugnaret: omnes vias & modos quæsiuit, patriam hanc à sceleratissimis prædonibus liberandi. Alij fuga elapsi sunt. Significauit hanc victoriam Ioieusius fratri suo Cardinali.

Anno 1592.

sij ad Lautrechium.

Castrenses cum Lautrecesijs de deditione paciscentes, obsides aliquot petierant. Fuerunt extemplò politici quidam, & qui à Nauarræi partibus stabant, qui se vltrò obsides offerebant. Hos cùm se deceptos vidissent Castrenses trucidârunt. atque

Anno 1592.

ita Lautrecesij & foris & intus ab hostibus liberati sunt. Paucos post dies Ioieusius mœnia castri de la Trappe disturbari iussit, sed qui in eo erant, post triginta ictus arbitrio Ducis se dediderunt. Occisi & reperti sunt per hos dies (vt scribit Ioieusius) plus quàm mille, & in fossis quotidie plures ex hostibus inueniebantur. Dux præfectorũ, & præcipuorum capitum, tam captiuorum, quàm occisorum numerum subduxit, & nomina eorum annotauit.

La Trappe deditur Ioieusio

Qui occisi.

Inter mortuos reperti sunt Dominus Tamezius; Domini de Lauta, de la Combe Marescallus, & Lestolleus. Homerus quoque Rastellius, Rauuelius, Bertrandus, Ionas, Augerius, Centuriones: Dominus Villeglius, Ierconius, Deluuannus, & Cambonius iunior, cum centum alijs equitibus, inter quos multi non infimi nominis erant, qui agnosci non potuerunt, & sexcenti milites, qui eo ipso loco trucidati sunt. Dominus Bieusius, Gondinius ductor exercitus, Ribantius, Dorofalius, Iacobus de Lucques, equitum leuis armaturæ Magister, Lupus Oppidi la Nogaredæ Gubernator, Niger Labrossius, & Lespinassius Centuriones. Capti sunt Barrius, Portalius, Peproixius, Grancyrolzius, Pigolasius, Gondinus de Vzez, Pebrasius, Barretus, Adenechius, Seguisius, Astæus, alijque præfecti Nobiles, & 350. milites gregarij.

Qui capti.

Episcopus Argentinensis moritur. 2. Maij.

Illustrissimus Princeps Ioannes Comes à Manderscheit, Episcopus Argentinensis, secundo mensis huius, postquam 23. annos 3. menses & aliquot dies, Ecclesiam hanc summa cum laude rexisset, placidè in Christo obdormiuit. Capitulum Cathedralis Ecclesiæ in duas factiones erat diuisum

Quidam

Quidam enim Truchſeſij, aliorumque Canonicorum, qui à Pontifice excommunicati erant, partes iam ab annis plus minus 7. aut 8. ſecuti erant. Alij Catholici cum excommunicatis communicare noluerunt, ſed cum Epiſcopo ſuo Pontificis ſententiæ parebant. Hinc magnæ inter eos contentiones, tumultuſque exorta ſunt. A partibus excõmunicatorum ſeu Proteſtantium ſtabat quoque vrbis Magiſtratus. Quæ hinc incommoda ſecuta ſunt, non eſt noſtri inſtituti commemorare. Anno 1592.

Electio Proteſtantium.

Defuncto itaque Epiſcopo, Canonici Proteſtantes cum conſilio Magiſtratus diem conſtituerunt, quo nouum Epiſcopum eligerent per Ioachimum Carolum, Ducem Braunſvvicenſem, præpoſitum, Catholicos in vrbem ad electionem vocarunt. At Decanus & Canonicorum primarij, qui partes Catholicorum ſequebantur, ad Tabernas (vulgo Zaberen) conuenerant, ibique decreuerunt, tutum non eſſe in hoſtili ciuitate electionẽ fieri. Ex præcedentium namque annorum iniurijs Magiſtratus & in ſe, & in Eccleſiam affectum ignorare non poterant.

Ante omnia verò officium ſuum eſſe arbitrati ſunt, ijdem Canonici Catholici, Imperatorem mortis ſui Epiſcopi certiorem facere, eumque rogare, ſibi vt curam Diœceſeos demandaret, donec nouus Epiſcopus crearetur; cõſilioque & auxilio contra ſuos aduerſarios adeſſe non grauaretur.

Cæſaris ſcriptum ad Canonicos Catholicos.

Reſpondit Cæſar per litteras; vehementer ſe dolere ob mortem Epiſcopi, principis obedientis & pacifici, cuius prudentia, diligentiaque ſemper fuerat, & nunc maximè futura erat Imperio neceſſaria. Ceterùm cum Deo, luctandum non eſſe. 8. *Maij.*

Ne quid

Anno 1592.

Ne quid itaque detrimenti accipiat Diœcesis, promittit se breui legatos missurum, qui illam administrent, donec nouus Episcopus eligatur: præcipitque Catholicis Canonicis, vt omnia oppidula, arces, & loca munitiora Diœceseos diligenter custodiant, neque cuiquam absque suo consensu eadem patefaciant: priusquam dicti legati veniant. Neque his contentus Cæsar, litteras quoque ad Senatum Argentoratensem dat, seriò ipsi interdicens, ne rebellium Protestantium Canonicorum factiones foueat, eorumúe conatus ope vel auxilio promoueat: sed potius eosdem Canonicos à suo instituto, quibuscunq; posset medijs auertat, atque deterreat. Catholici quoque Canonici Præposito & Capitularibus qui in vrbe erant, & à quo vocabantur, vt in loco consueto & ordinario electio fieret, responderunt; Se nihil hactenus quá priuilegiorum, statutorumque laudabilis & antiquæ Diœceseos conseruationem, subditorú quoque salutem quæsiuisse, & defendisse: in eadem voluntate adhuc esse. Porrò nihil se magis optare, quàm vt in vrbem venire, in loco consueto nouum Episcopum vnanimi consensu eligere possent: quod certè facile fieri posset, si loci istius eadem, quæ solet, esset facies & constitutio: sed cùm ædes, supellectilia, prouentus, & quicquid suum in vrbe erat, hostiliter sibi ademptum sit; præterea ipsi Decanum omnibus modis persequátur; existimare sese, neminem posse hoc sinistre interpretari, si ad talem locum nõ veniant. Ipsum quoque Præpositum ignorare non posse (ad illum enim litteræ diriguntur) quo loco secundùm Cõstitutiones Imperij habendi sint Canonici, qui in vrbe

Litteræ Cæsaris ad Senatũ Argentinensem. 10. *Maij.*

Canonici Catholici quid Protestantibus respondeant.

vrbe sunt, & quod ius in electione habeãt. Vt itaque Præpositus se excusatos habeat supplices orant; se vt antiqua priuilegia & statuta conseruentur, collapsaque & violata restituantur, nunquam defuturos pollicentur. Aderat iam 30. Maij dies, electioni à Potestantibus constitutus. Ascẽdit pulpitum Ioannes Pappus, concionem habet ad electores ex tertio capite epistolæ Pauli ad Timotheum, de virtutibus & conditionibus boni Episcopi. Hortatur eos vt eligant Episcopũ nulli hæresi addictum, sed sinceræ doctrinæ, prout ea in Propheticis, Apostolicisque scriptis, in tribus primarijs Symbolis, quatuor primis generalibus Cõcilijs, & prima atq; non mutata Confessione Augustana traditur, sectatorem, obseruatoremque, & cæt. Sed quia consultum non erat, ex suo corpore Episc. eligere; Oportebat enim Episcopũ esse potentem, & opulentum, qui aduersarijs posset resistere. Talis cùm in Protestantium Canonicorum numero non inueniretur, aliunde postulandus erat. Collatis itaque consilijs Ioannem Georgium, Marchionem Brãdeburgensem Administratorem Diœcesis postularũt. Subscribit postulationi Magistratus: certis tamen (vt aiunt) conditionibus.

Anno 1592.

30. Maij. *Electio noui Episcopi Argentinensis.*

Pappi concio.

Brandeburgẽsis eligitur Episcopus.

Brandeburgensis confestim electionem acceptauit, & post biduũ scribit ad omnia loca Diœcesi subiecta, imperans incolis obedientiam sibi, vt Episcopo, debitam. Magistratus & Reip. Argentoratensis occasioni nouæ electionis intenta, paulò ante quatuor signa peditum, & 60. circiter equites conscripserat. Electo Episc. has copias 3. Iunij, inclinante iam die, cum 17. tormentis bellicis Kochersbergam, quod castrum est Episcopale, non admodum

Argentoratẽses oppida Diœcesea occupant.

Kuchersberg.

Anno 1592.

modum munitum miſerunt, poſtulantes nomine noui Epiſcopi ſibi fieri deditionem, ſed qui in caſtro erant, eam negarunt. Admotis itaque machinis muros ac turres ſternere cœperunt, inde oppugnarunt, adeo vt præſidiarij poſtridie dedere coacti ſint. Erant in arce tantùm 14. præſidiarij, ſub vno centurione: qui tam fortiter ſeſe defenderunt, vt etiam ab hoſtibus laudarentur. Sex ex Argentinenſibus cæſi, multi vulnerati ſunt. Indignè itaque hanc cladem ferentes Argentinenſes, gregarijs quidem millitibus pepercerunt: at gubernatorem, ſeu Centurionem, etſi non minus ipſi (vt quidam aiunt) quàm ceteris publica fides erat promiſſa, capite truncarunt. Inde Dacſteinium facili negotio occuparunt, nouisque collectis vndique ſignis exercitum ſuum quotidie auxerunt. Quæ ſi ita ſint, vt interpres Franci in ſua relatione hiſtorica ſcribit, certè Argentoratenſes initium huic bello dederunt, negotioq; quod nihil, aut parum ad illos pertinebat, temerè ſeſe cum non exiguo Reipub. damno, & nominis atque exiſtimationis ſuæ apud prudentiores Imperij ordines iactura miſcuerũt. Qua in re tu laudanda es, ô fœlix Colonia Aprippina, quæ in ſimili cauſa Truchſeſij tumultus ea vſa es prudentia, ea induſtria, eaq; diligentia, vt in medijs bellorum motibus neutram partem offenderis; ciuitatem ab omni iniuria defenderis. & Reip. cum perpetua & immortali nominis tui apud omnem poſteritatem gloria, ſalutem conſeruaueris non tantùm, ſed & auxeris. Sed ad inſtitutum noſtrum reuertamur. Canonici Catholici tantam iniuriam admirati, ne quid Diœceſis detrimenti caperet, ſibi vigilandum eſſe arbi-

Dacſteim.

trati,

trati, nouæ electioni 9. Iun. diem constituerunt. Non obstante quod Cæsar se patruum suum Fernandum, Tirolis comitem, ipsis administratorem missurum scripserat. Anno 1592.

Historica Steenvvicensis obsidionis.

Steenvvica, alij Steenvvichium vocant, exiguum oppidum est in dominio. Transisalaniæ, vno circiter brachio Oceani, quod Zuderzee dicitur, milliari situm. Ab vna parte in collem assurgit, ab altera suburbanus ager palustris est, è quo cespites, Vulcani nutrimenta, eruuntur. Quà itur in Frisiam septem habet siluas, solumque inter ipsas frumenti ferax est. Oppidum hoc Carolus Gelriæ Dux, anno 1522. per Vicarium suum generalem Michaelem à Pomeren obsederat. sed à ciuibus tam fortiter defensum est, vt Michael maioris tormenti globo prostratus, & obsidio soluta sit. Idē oppidum Renneburgius Comes, iussu Ducis Parmensis, anno 1580. diuturna obsidione pressit: sed ab Ordinibus confœderatis liberatum est. Postea verò Ioannes Baptista Taxius quodam stratagemate cepit, & Regi suo recuperauit. Rex firmo imposito præsidio, locum muniuit, & omnibus vicinis hostium agris tributa imperauit. Neque his contenti præsidiarij, totam Frisiam occidentalem, totamque Transisalaniam excursionibus, & depopulationibus suis habebant infestam. Quare Frisij & Transisalani sæpe, & quidem impensè Ordinibus instabant, vt oppidum hoc obsiderent. Anno superiori recuperata Dauentria, consilium Ordinum erat, huc exercitum ducere, & Steenvvicam suæ potestatis facere. At mutatum est id institutum, & fortè aduentu Parmensis in Batauiam impeditum. Hoc anno, cùm nulla

Anno 1592.

nulla hostium subsidia speranda videbãtur, quod diu deliberatum erat, semel tentandum arbitrati sunt. comes itaque Mauritius in Hollandia & Zelandia, VVilhelmus verò Nassouius in Frisia oẽs copias quas habebant, relicto in vrbib. vix necessario præsidio, contraxerunt; omnem apparatum bellicum, quem semper habent Ordines instructissimum, & in omnem euentum paratum, cum comeatu necessario nauibus imposuerunt, ventúque secundum captantes, soluerunt, & 28. Maij, ipso Venerabilis Sacramenti festo, Steenvvicam venerunt, oppidumque omnibus quas habebant copijs cinxerunt. Erat in oppido præsidium sedecim signorum lectissimorum ex varijs legionibus militum; inter quos aliquot ex ijs, qui Montes S. Gertrudis Parmensi, aut potius Regi reddiderant: quidam etiam, qui Dauentria capta se Regi integro anno non militaturos promiserant. Horum Centuriones, & in primis oppidi Gubernator Antonius Coquellius, cum viderent arcta obsidione sepressum iri, milites conuocarunt; propositoque sacramento, illi militibus, & milites illis iurarũt, oppidum se defensuros: nullam ne in extremo periculo deditionis mentionem facturos, & vitam fortunasque omnes pro Rege, cui sacramento erant obligati, & quorũ liberalitate hactenus vixerãt, periclitaturos: potius pugnãdo se morituros q̃ vrbem dedituros. Dicto hoc sacramento, vnusquisq; ad arma prosilijt. Hostis 1. die castra metatus est in Hauelt. Postridie vniuersas copias suas, ea parte, quà Ommam itur ostẽtauit. Erant pedites numero circiter 4500. sub quinquaginta signis distributi.

28. Maij.

Quid primo ctidie hostis egerit

buti. Coquorum, lixarum, impedimentorum, & eorum, qui comeatum aduehebant, ingens erat multitudo. Tertiò die hostis vicinum emissarium occupauit, & equitatis sub vrbem transiens in proximum pagum Giethornium se recepit, ibidēque castra sua posuit. Erant autem turmæ duodecim. Quarto obsidionis die aliquot signa peditū, viam, qua itur in siluas, præoccuparunt: & sequēti die portæ Sancti Spiritus, & Orientali cœperunt appropinquare, easque postridie continua fossa, gerris munita, iunxerunt. Septimo deinde easdem fossas etiam ad portam pensilem, quā Valportz incolæ nominant, perduxerunt. Tandem octauo die 24. vel vt alij, plures machinas bellicas attraxerunt, quibus muros disturbarent. Oppidani sæpe erumpentes, cum hostibus dimicarunt, & multos trucidarunt, vulnerarunt, & captiuos in vrbem adduxerunt. Hostes toto hoc octiduo neminem ex oppidanis strauerunt, neminem ceperunt, sed quosdam leuiter vulnerarunt. Anno 1592.

4. Iunij. Quarto Iunij Præsidiarij Steenvvicens. erumpētes in hostium castra, magnas strages ediderunt, multos Anglos & multos ex Olthouij copijs trucidarunt. Quinque captiuos secum in vrbem adduxerunt, inter quos Anglus quidam, quem paulo post laqueo strangulatum è mœnibus suspenderunt. Deinde oppidani tria maiora tormenta in turri locarunt, & ex ijs lapides ferreasque catenas, in hostium castra eiaculati, multos strauerunt, plures vulnerarunt. Fama erat in vrbe tantùm septem tormenta fuisse. Sexto Iunij omnibus iam præparatis, summo diluculo cœpit Mauritius muros verberare, tanta machinarum frequentia,

6. Iunij. Steenvvica oppugnatur.

Anno 1592.

tantoque impetu, vt terra per spatium mille passuum tremeret, & tonitrua ad 7. millia audirentur. Toto die tanta violentia continuata est, numeratique sunt eo die plus quàm 7. ictuum millia. Multi globi vi pulueris per muros & domus perrumpentes in castra Comitis VVilhelmi delati, quosdam ex illius militibus interimerunt, quosdã vulnerarunt, adeò vt tandem ne socios perdere vellent, cessare debuerint. Postquam canta globorum frequentia tota die in vrbem debacchatũ esset, oppidani hostium vim illudẽtes, scopis pulueremdetergunt, mœnia in opprobrium & ignominiam hostium verrunt, multaque conuitia factis adijciunt.

Electio Episcopi Argentoratensis Catholica.

Aderat iam 9. Iunij dies, electioni Argentinensis Episcopi status. Conueniunt Decanus & Capitulares Canonici Catholici ad Tabernas, vbi Episcoporum aula perpetuò ferè haberi cõsueuit, & post inuocatum Spiritum S. ad electionem progressi sunt. Initis suffragijs vnanimi omnium consensu Illustrissimum Cardinalem Carolum Lotharingiæ, Calabriæ, Barri & Gelriæ Ducem, Episcopum Metensem elegerunt, cuius electionis Franciscus Baro in Kriechingen, Decanus, nomine capituli rationem longo programmate, Coloniæ, & alibi impresso, reddidit. Lotharingus autem cum electus esset, dignitatemque oblatam acceptasset, in possessionem missus, postridie Magistratui Argentoratensi scribit: Sibi significatum esse, quasdam arces & oppida ope Magistratus, non tantum obsessa; sed & expugnata quoque & occupata esse. Nullam huius iniuriæ occasionem, nec se, nec confratres suos Magistratui dedisse:

10. Iunij Lotharingus scribis Argentoratẽs. Magist.

sed

sed summam semper inter Argentoratenses & Lotharingos familiaritatem, vicinitatisque necessitudinem fuisse. Mirari itaque sese, Magistratum temerario bello, in Sacro Romano Imperio toties interdicto, Diœcesin suam diuexare. Petere itaque sese, vt ab hoc inexcusabili suo proposito abstineant; milites suos ex oppidis & castris ad Diœcesin suam spectantibus reuocet; eadem castra & oppida sine vlla mora sibi restituat, & à proposito suo breui resiliat. Quod nisi faciat, opem Dei, amicorum, & Principum se implorare debere: vt vis vi repellatur, ipsique Argentinenses, & plerique alij re ipsa deprehendant, sibi omninò decretum esse, Diœceseos huius curam suscipere, & in eius administratione perseuerare velle. Anno 1592.

Misit has litteras Episcopus per tubicinem suum, iussitque ei absque responso non rediret. Magistratus acceptis litteris, lectisque respondet; se induci non posse, vt credat, hactenus quicquam à Senatu actum in laudabilis & antiquæ domus Lotharingiæ præiudicium, cur fœdifragi, & perturbatores pacis vocari debeant. Præsertim cùm nihil cupiant, nisi pacem cum Lotharingis colere, & maiorum suorum vestigijs insistere. Suam Celsitudinem non ignorare, quãto candore, fidelitate, & integritate cùm aliàs, tum maximè in bello Nansiensi aduersus Carolum Pugnacem Burgundum Argentoratenses Lotharingis opem tulerunt, auxiliares copias, omniaque necessaria ipsis administrantes. Quantum ad nouam hanc electionem pertinet; Scire Suam Celsitudinem, iam ante aliquot secula vsitatum esse, vt quotiescunque

Responsio Senatus ad literas Episcopi.

Anno 1592.

cunque ad nouam electionem procedendum est, electores non alio in loco, quàm in vrbe Argentinensi conueniant. Nec posse aliquem ad possessionem admitti, nisi in eadem vrbe, consentiente Senatu à Capitulo receptus sit. Id cum Canonum præscripto conuenire, qui nullum ad dignitatem Episcopalem admittunt, nisi qui eorundem consensu electus est. Nefas esse sine illo consensu vel le aliquē inuitis obtrudere. Præterea ante hominum memoriam conuenta inter Capitulum & ciuitatem pacta esse, quibus conditionibus & legibus Episcopus sit eligendus: ijs statutum esse, Episcopum & diplomate suo, & iureiurando promittere debere, se omnia priuilegia, immunitates & constitutiones istius ciuitatis sarta tecta conseruaturum. Post mortem itaque fœlicis recordationis Episcopi Ioannis, Capitulares Argentorati congregatos diem statuisse, quo electio (præscio & consentiente Senatu) fieret. Eam itaque factam esse die Sabbathi, qui fuit vigesimus Maij, secundum stylum antiquum, & ignorante Senatu Suam Celsitudinem membrum, imò caput istius Capituli nominatum esse. Reuerendissimum, Illustrissimumque Principem ac Dominum, D. Ioannem Georgium, Marchionem Brandenburgensem, Borussiæ, Stettini, Pomeraniæ, Cassubiæ Ducem postulatum, vt administrator Diœceseos sit. Eum dignitatem hanc cum consensu patris acceptasse. Magistratui per omnia satisfeciisse, & si opus sit amplius se obstringere promptum esse. Has ob causas, tum etiam quia celebris illa Domus Brandeburgica membrum est Sacri Imperij omnino consentaneum esse rationi, vt ipsi Brandebur-

burgenſem hac vice pro capite Diœceſeos agnoſcant: Suam itaque Celſitudinem facilè poſſe intelligere, ſine leuitatis & perfidiæ nota, ſe ab hoc, qui electus, qui proclamatus eſt, cui iuramentum præſtiterunt, deficere non poſſe. Orant itaque ſe excuſatos habeat, minari ſubditis deſinat. Perpendat etiam paucos illos, qui ſe ab Illuſtri Capitulo ſine vlla cauſa legitima lepararunt, & contra decreta Capituli in loco non dubitato nouam electionem inſtituerunt, non eſſe eius authoritatis, vel potentiæ, vt laudabili familiæ Brandenburgicæ ſuis viribus reſiſtant: vel incommoda etiam nunc Diœceſi illata reſarciant. multo minus eos eſſe: à quibus aliquid ſolatij expectare in hoc negotio Lotharingus debeat. Quod ſi itaque Sua Celſitudo ipſorum precibus acquieſcat, & Diœceſin in antiqua ſua pace & tranquillitate relinquat, fore id ad maiorem gloriam & exiſtimationem, tum ſuam, tum etiam totius Domus Lotharingicę, ſubditorumque ſuorum vtilitatem. Quod ſi hæ præces impetrare nil poſſint, quò minus vis & iniuria ab illorum capitibus repellatur, ſe Deo rem committere, & optimis quibuſcunque poterunt modis ſe vxores & liberos tueri debere: cùm alioquin nihil præter amicitiæ cum familia Lotharingica conſeruationem cupiant. Anno 1592.

Pridiè quàm hæc ad Lotharingum ſcriberet Senatus Argentoratenſis, in Belgio quidam ex Naſſauiano exercitu ductor, in oppidum Steenvvichianum transfugit; ſimilans ſe ab hoſte ad Regem deficere velle. Admiſſus Gubernatori perſuadere conabatur, vt erumpens cum ſuis in hoſtiũ caſtra impreſſionem faceret, ſe locum ei monſtraturum pro- *Steinvvica proditioñe tẽtatur.*

Anno 1592.

promittens, vbi quàm maximè infirma sint, & negligenter excubiæ custodiantur. Tandem proditor hic à Domino VVaterdijkio agnitus comprehensus, & ad quæstionem abreptus est. Fatetur hic scelus suum, & post confessionem à mola, quæ in vallo erat extructa, in conspectu hostium suspenditur. Consilium Nassouiorum erat, hoc modo præsidiarios elicere, & ex insidijs erumpentes trucidare. Deinde corona oppidum inuadere & summa contentione expugnare. Sunt qui existimant operam illius conductam esse, vt puteos veneno inficeret; alij, vt iniecto diuersis locis igne vrbem incenderet.

Celebris Confœderatorum victoria in Britannia Duce Mercurio.

Eodem tempore Princeps D. Ascoli Ambianum venit, qui vrbem tum sua præsentia, tum etiam lætissimo, quod adferebat, nuncio, quàm maximè exhilarauit. Dicebat enim Principem Parmensem ad oppidum, vulgò Chaste authierri dictum, cum exercitu adhuc consistere; plurima lætitiæ signa ob singularem, quam in Britannia ab hostibus Dux Mercurius reportarat, victoriam, edidisse. Is enim paucis ante diebus ope Hispanorum & Gallorum Principem Contium & Ombresium, cum quinque millibus peditum, equitum verò mille quingentis adortus, paucis exceptis, qui fuga saluti suæ consuluerunt, internecione occidit, 11. tormenta, signa & vexilla illis ademit, Craoniumque obsedit. Ingens hæc erat victoria non tam ob numerum cæsorum militum, quàm ob multitudinem Principum & Nobilium, qui ea in pugna aut cæsi sunt, aut capti. Inter quos fuit Comes Mombaisius

baisius è familia de Pohan; Dominus Rochepotius, cum Duce Antonio; Dominus Picherius Gubernator castri Iuliomagensis, Princeps Contius & Ombresius vulnerati fuga euaserunt. Quatuor insuper oppida idem dux Mercurius Britanniæ Gubernator, recuperauerat. Laualium, Castrum Gyronium, Guiachum, & Briantium: quotidie verò Mantium vel Cenomanum versus progrediebatur. ANNO 1592.

Steenvvicam arcta obsidione pressam, & 6. Iunio muros grauiter, sed frustrà verberatos diximus. Tentatum est idem, sed multo maiori cum furore 13. huius mensis die, quo Nassouius mane hora quarta cœpit mœnia conuellere, nec ante sextam vespertinam cessauit. Quo temporis spatio quidam 1200. ictus numeratos asserunt, sed ruinam nullam oppugnationi sufficientem sternere potuerunt. Vt tamen oppidanos terrerent, quinque acies instruunt, seseque componunt, quasi mox in vrbem impressionem facturi viderentur. Sed cùm diu in acie stetissent, tandem ab armis recedentes, singuli in suas stationes reuersi sunt. Dura hæc erat Ordinibus obsidio, & multo sanguine constitit. Scribunt enim nonnulli, à die obsidionis vsque in hunc, plures quàm mille centum cæsos, & plurimos captos, vulneratosque esse.

13. Iulij. *Nassouius iterum ad Steenvvicam fulminat.*

Episcopus Argentinensis Lotharingus, postquã responsum Senatus accepisset, nouis ad eos missis litteris, primo Argentinenses laudat, quòd fœdus & priscam amicitiam cum Domo Lotharingica seruare, & colere cupiãt. Sed quod aiunt; Nõ posse

Anno 1592.

ad Episcopatum quemquam admitti, nisi ab Illustri Capitulo Senatus consensu eligatur, ostendit hoc pugnare cum iuribus & legibus tàm secularibus, quàm Ecclesiasticis. Ex eo facilè colligi posse, Magistratum potestatem creandi & destituendi Episcopum sibi soli arrogare. Illud autem quàm temerarium sit, ipsos facilè posse animaduertere. Optandum quidem fuisse, vt electio in vrbe fieri potuisset, & certè facta fuisset, ait, si Magistratus Capitulum in suo statu, quo ante multa fuit secula reliquisset, Cæsariæque Maiestatis admonitionibus & mandatis paruisset; prohibuissetque ne Canonici vi suorum confratrum ædibus, granarioque pulsi, & fructibus ac prouentibus spoliati, vrbe decedere, & saluti suæ extra vrbem consulere coacti fuissent. Cùm itaque loco cõsueto ob periculum electionem instituere non licuerit, liberum fuisse Canonicis eam tutiori & securiori loco facere: nihil hic iuris esse Magistratui. Sed potius officium Magistratus esse, Cæsaris mandatis obedire, eos, quorum congregationem Cæsar vt verum Capitulum agnoscit, & agnosci præcipit, pro veris Capitularibus agnoscere, colere eortum electionem ratam habere, & ab alijs istis seditiosis abstinere. Quantum ad pacta & conuenta inter Capitulum & Magistratum olim facta, se qualia sint scire, nec ea, si Magistratus officium faciat, infringere aut violare, sed sarta tecta seruare velle. Non dubitare se, quod si Illustrissimus Princeps Brandenburgensis negotij huius qualitatem, vt ea est, intelligeret, filium suum reuocaret, & Magistratus apud ipsum exiguas gratias se inisse re ipsa deprehenderet, quod optimum Principé

in tan

in tantas difficultates coniecerit. Quinimò nec Magistratum se vnquam apud Cæsarem, alioſque Imperij Principes pacis amantes purgare posse, quod contra constitutiones Germaniæ, contra datam Religioni & patriæ fidem, in eos arma moueat, qui nullam ipsi querelarum vnquam præbuerunt occasionem: sed potius Cæsaris mandatis cupiunt obedire. Hac Magistratus temeritate bello Imperium concuti, subditos & vicinos in extremas calamitates adduci, eos damni infecti cautionem meritò posse aliquando ab authoribus postulare. Tandem hortatur & admonet denuò Magistratum, vt ciues & milites suos ex oppidis & munitionibus Diœceseos reuocent, arma deponant, quietè viuant, nec se Capituli negotijs posthac implicent. Quòd si hæc admonitio locum apud ipsos non habeat, se modum viamque inuenturum, quibus seditiosis illorum armis occurrat, eosque in ordinem redigat. Anno 1592.

Ad hæc Senatus, Se viuente adhuc Episcopo Ioanne quorundam susurronum iniustis criminationibus in suspicionem inobedientiæ tam apud Cæsaream Maiestatem, quàm apud Episcopum veniſſe. Huiusmodi susurrones & calumniatores adhuc viuere, qui Suæ Celsitudini & mentem & scriptum suum perperam interpretantur: ideoque vltro citroque multa scribere sibi non minus, quã S. C. tædium adferre. Neque se ad omnia respondere decreuisse. Quod enim suæ litteræ iniquum interpretem habuerint, ex eo facile intelligi posse; quod Suæ Celsitudini persuadetur, arces & oppida Diœceseos authoritate & mandato Senatus occupata esse: ideoque Senatum in Religionis & *Responsum Senatus*

Anno 1592.

Reipub. pacem grauiter deliquisse. Senatum quidem post obitum Ioannis Episcopi à diuersis admonitum, sibi, suisque à Lotharingorum excursionibus metueret: vigilaretque, ne quid Respubl. detrimenti caperet, certum armatorum numerũ ad defensionem vrbis, totiusque territorij sui conscripsisse. Ceterùm maleuolorum commentum esse, Magistratum alicui Diœceseos subdito molestum fuisse, aut quemquam in suam fidem coegisse, tantum abesse, vt arces aut munitiones Episcopales suo iussu occupatæ sint. Contrarium testari posse præsidiarios milites, qui in ijsdem munitionibus sunt, eos non ignorare, cuius authoritate hæc loca occupauerint. Ad id quod Lotharingus scribat; Senatum apud Brandenburgensem exilem initurum gratiam, quòd filium eius in has difficultates coniecerit, eumque extemplò filium reuocaturum, si quis eum sincerè hac de re informaret, aiunt Argentinenses; Vel ex eo quoque facilè colligi Lotharingo res secus quàm sunt narrari, cùm Brandenburgensis & per litteras, & per Legatos suos filium suum Senatui commendauerit: sed & à morte Episcopi Nobilem suum consiliarium misisse, cum mandato, Postulationem nomine filij acceptaret. Eundem legatum ab eo tempore, & etiamnum omnibus negotijs præsentem adesse. Nisi itaque Sua Celsitudo vel Legatum, vel ipsum Principem aliter instruxerit, frustra oppidorum & arcium restitutionem à se peti. Deinde inuehuntur in depradationes, tyrannicam, & barbaricam insolentiam, latrocinia, stupra & depopulationes, quibus Suæ Celsitudinis miles patriam omnem misere diuc-

diuexat & exagitat. Quod si antiqua societas & amicitia inter Domum Lotharingicam & Argentoratenses sit continuanda, humaniora debere esse negotij huius tractandi initia. Quamdiu hæc tanta barbaries & tyrannis non comprimatur, sperare se, neminem ipsis vitio daturum, si ad defensionem sui, suarumque coniugum & liberorum, modis à Deo & natura permissis, hostilibus istis conatibus occurrant. Anno 1592.

Decimo septimo Iunij hora vndecima nocturna Præsidiarij Steennvvicenses, numero circiter 500. interulis super vestimenta induti, iterum erumpentes, hastis, xiphomachæris, cestris, securibus Amazonijs, gladijs & pugionibus armati, hostis vallum superant, & incredibilem stragem faciunt: ducentos occidunt: multos capiunt, plures vulnerant. Inter cæsos fuit Olthouius, eius Vicarius, præfecti istius signi omnes, & plus quã quinquaginti milites gregarij. Ex alijs item signis Centuriones & Tribuni militum non pauci quoque desiderati sunt. Ex oppidanis (quod equidem scitur) nullus, licet exemplar Leovvardiæ impressum etiam ex oppidanis aliquot desideratos esse innuere videatur. Mauritius solicitus, quomodo vrbe hac potiretur, ne cum ignominia obsidionem soluere cogeretur, nouum inuentum excogitauit *17. Iunij Eruptio Steẽvvicensium.*

Excitauit turrim ligneam altissimam, ita vt ex ea in omnem vrbis partem prospectus esset. Hanc tribus contignationibus distinxit, & in singulis centum circiter pedites dispositi: ex hac turri prohiberi potuit, ne quis ciuium aut oppidano- *Die Leynstang.*

Anno 1592.

danorum interdiu in plateas, nisi cum magno vitæ periculo, prodire potuerit. Oppidani igitur omnium ædium parietes perforarunt, vt de vna in aliam ire possent, ita vt in plateas prodire necesse non fuerit. Tecta quoque domorum, vt quæ ferè straminea erant, deiecerant, ne hostis candentes in illa globos inijceret.

Belli Turcici initia.

Ardebat iam bellis Gallia, Anglia, Belgium, & pars Germaniæ. Ne quid autem ad calamitates Christianorum deesset, Armurathes à Bassis (vt diximus) persuasus, nouum bellum adornabat. Quinquaginta millia armatorum in Croatiam misit, & VVirsch metropolim Croatiæ, postquam mœnia essent disturbata, vrbsque bis oppugnata, deditione occupauit. Qui enim in vrbe erant, cùm iam pridem obnixè orassent, vt subsidiũ sibi mitteretur, nec quid impetrarant, vrbem quoque diutius tueri non possent, certis se conditionibus dediderunt. Germani milites cum suo Centurione, & quicunque vellent vrbe exirent, omniaque sua secum auferrent. Qui mansuri essent, his parceretur, bona sua conseruarent, miles ab omni præda abstineret. Sed conditionibus paulò post violatis, barbarico more in ciues Turca delæuijt. Bosniæ Bassa Germanos qui 400. numero erant, per suos in tutum deduxit. Deinde Carolopolin Turca exercitum mouit, vt eam quoque vrbem suo subijciat imperio.

Lotharingus ablata Ecclesiæ Argentinat. recuperat

Cardinal. Lotharing. electus Episcop. Argentinensis, cùm videret Magistratum in suo proposito perseuerare, nec ab armis recedere velle, instructissimum nouem millium equitum & peditum exercitum à patre alijsque amicis impetrauit. Quo cum

non tantum Tabernas & Molzheimium ab hostilibus iniurijs liberauit, sed summa quoque celeritate in ditionem Argentoratensium hostiliter inuadit, omnia depopulatur, & ad mœnia vsque vrbis excurrit. Bensfeldium deinde locum munitū, & oportuno loco ad Illium fluuium, & viam publicam sitū occupauit, suoque præsidio muniuit. Tubicinem post suum Argentoratum misit, & à Magistratu seriò flagitauit; Primò, vt seditiosis Capitularibus vrbe interdiceret: Secundò, Fratrum, aliasque Ecclesiæ Cathedralis ædes, & fructus Diœcesi & Canonicis subtractos restitueret, exercitiumque Catholicæ Religionis in eadem Ecclesia deinceps admitteret: Tertiò, incommoda & damna Diœcesi, Capitulo, & his quorum interest, ea potissimum, quæ causa belli huius data sunt, resarciret. Quod si tria hæc postulata se facturum promitteret, Cardinalem Argentoratensibus quoque antiqua pacta, priuilegia & immunitates inuiolata conseruaturum. Sin minus, Argentoratenses Lotharingum hostem habituros, qui auxilio Dei hæc sua postulata vi & armis obtineret, Argentoratenses vrbe & territorio vniuerso exueret. Addunt nonnulli: Tubicinem aliquot mandati sui habuisse apographa, quæ certis locis, vahisque & portis affigeret. Cumque rogaret in vrbe vbi huiusmodi edicta soleant legenda populo exhiberi, respondit quidam è Senatoribus; si locū nescīret, patibulum non longè istinc abesse, huic affigeret.

Anno 1592.

Bensfeld occupat Lotharingus.

Quæ Lotharingus ab Argentoratensibus postulet.

Decimo quarto Iunij circa meridiem Equites Lotharingici nō procul ab Holtzheimio, in quosdam Argentoratenses incidunt, qui arma quædam

Lotharingē cædunt Argentinenses

Moltz-

ANNO 1592. Moltzheinium deducerent, horum aliquot trucidarunt, & arma diripuerunt, ceteri fuga elapsi sunt. per eosdem dies Lotharingi pagum quendam Gochsvviler spoliarunt: sed Argentinenses, qui in vicinis locis erant, prædam receperunt, & ex hostibus quindecim occiderunt. At Lotharingi postridie redeuntes maiorem pago cladem intulerunt, Prætoremque loci captiuum abducti graui lytro mulctarunt, Paulo post agricolæ domos agrosque suos deseruerunt, & se suaq; in oppida & vrbes transportarunt: ita vt multi pagi magna incolarũ parte desolati fuerint. Antlauienses nõnullos concionatores & ministros Protestantes receperant, qui ijs, qui in vicinis pagis relicti erant, ministrarent: sed Episcopus Antlauiensibus per litteras mandauit, eos expellerent, seu dimitterent: nisi obediant, se missurum, qui Principibus parendum doceant. Vicesimo secundo Iunij Argentoratenses lustrârunt nouum signum peditum Brandenburgensium, in quo quingenti milites, instructissimi & fortissimi omnes recensiti sunt. Post armilustrium in campum educti sunt. Statio illis assignata est in Scafolzheim, dimidio circiter ab vrbe milliari. Ea res cum innotuisset Lotharingis, sub noctem mille quingenti eò missi sunt, qui in ipsis tenebris hostem adoriuntur. Pugnatum est vtrinque fortiter, sed Lotharingi domus aliquot incendentes, sub ipsum fumum in hostium stationem irruunt, multos occidunt, alios in fugam vertunt, quorum mul[illegible] in vicino fluuio submersi sunt. Centurio, signifer, & 70. circiter gregarij milites in arcem

Anno 1592.

trem fugientes, periculum euaserunt. Lotharingi multis etiam ex suis desideratis, spolijs onusti ad suos reuersi sunt, postridie idem vexillum, in eorum locum alijs substitutis, restauratum est, & cum alio vexillo in exercitum ablegatum. Habebant iam Argentoratenses octo signa peditum; equites penè nullos: sed eos quotidiè diuersis ex locis expectabant. Lotharingi quotidie in suburbanum agrum excurrentes ciues multos capiunt, nonnullos etiam occidũt, multisq; cladibus ciuitatem exagitant. Eodem etiam tempore Lotharingi castrum iuxta Geispitzem proditione capiunt, proditores postea Argentorati capti, & in exercitum missi, pœnam suæ proditionis dederunt.

Legatio Cæsaris ad Argẽtoratenses.

Cæsar defuncto Episcopo Mandersceitio, patruum suum Ferdinandum, Tirolensem Comitem constituerat, qui tempore interregni Diœcesin administraret. Is legatos suos misit, cum mandatis, vt operam dent, ne bellum inter partes exoriatur. Hi cùm aduenissent, Diœcesin bello ardentem inuenerunt: rem armis, non consilio geri. Profecti ergo Moltzheimum ad Cardinalem, eum hortantur, vt arma deponat, militẽ sacramento soluat, & quæstionem Cæsari decidendam relinquat. Cardinalis dicto audiens, id se facturum confestim recipit; ea tamen conditione, vt & aduersarij idipsum quoque faciant, & ius suum sibi integrum permaneat. Huius reipublicum programma scriptum, & Cardinalis manu subsignatũ est. Legati deinde Moltzheimo Argentoratum profecti, Senatui, Capitularibus, qui in vrbe erant, atque adeò Brandeburgen-

Anno 1592.

burgensi ipsi, quid à Lotharingo impetrarant exposuerunt: & vt ipsi arma similiter ponant, litemque Cæsaris arbitrio permittant, hortati sunt. Cæterum cùm nihil statui apud hos potuerit, nisi de consilio & consensu Marchionis Brandeburgensis patris; dicerentque huius rei decisionem non ad solum Imperatorem, sed ad communes Imperij Ordines pertinere, Legati arbitrati sunt amplius cum his disceptandum non esse. Quare cum protestatione discesserunt, & ad Lotharingum reuersi, nihil fructuosum in hoc negocio effici posse, confessi sunt.

Protestantes Argent. arma nolunt deponere.

Lotharingus itaque spe hac frustratus, multis literis Magistratum ad tranquillitatem & armorum depositionem hortatus est: quibus omnibus Argentinenses sic responderunt, vt facilè ostenderent, se nunquam inductum iri, vt in electione Lotharingi cum Capitulo consentiant. Negabant tamen constantissimè bellum suis auspicijs vel auxilijs geri. Sed cùm Dachsteinio occupato in oppido repertus sit Centurio Bubenhofferus, iam ante multos annos Argentoratensibus sacramento deuinctus, cũ militibus, quos sub imperio suo habebat, vt paulo post dicemus, quatuor itidem machinæ bellicæ, insignibus vrbis Argentoratensis signatæ, detectum fuit, omnia quæ hactenus acta erant, milite & apparatu Magistratus acta esse.

Lotharingus fortunam suã bello persequitur.

Lotharingus igitur cùm videret, nullam spem pacis superesse, bellum persecutus est. Vigesimo septimo Iunij exercitum Kochersbergam duxit, eamque triduo sine intermissione oppugnauit. Qui in arce erant fortiter sese defenderunt, sed eadem arce vi expugnata omnes, vno excepto, qui

27. Iunij. Kochersberg à Lotharingo expugnatur.

Centu-

Centurionem ſtrangulauerat, iugulati ſunt. Alij deditionem factam aiunt, & contra fidem datam illos interfectos. Arcem deinde exuſſerunt, ita vt nihil præter muros reſiduum ſit relictum. Capta Kochersberga Dachſteinium verſus exercitū mouerunt, maioribusque tormentis mœnia verberarunt. Loci illius cuſtodia Bubenhoffero (vt diximus) erat demandata, qui ſigno militum imperabat. Qui cùm videret nulla expectanda eſſe ſubſidia, & recens eſſet Kochersbergenſium exemplū, quarto Iulij caſtrum hoſti dedidit. Bubenhofferus cum ſuis dimiſſus eſt. in arce autem ingens copia frumenti, vini ſupellectilium, cimeliorum inuēta, hoſti præda fuit. Bubenhofferus ob facilem hāc deditionem in indignationem & ſuſpicionē proditionis apud Argentinenſes incidit, & poſtquam Argentoratum cum ſuis veniſſet, vnà cum Vicario ſuo captus eſt. Lotharingi victoriam proſequentes. VVaſſelheimium, quod ſub imperio Argentoratenſium eſt, obſederunt, facilique negotio occuparunt: vbi etiam incredibilem omnium rerum copiam inuenerunt.

Anno 1592.

Dachſtein deditur. 4. Iulij.

VVaſſelheim deditur Lotharingo. 9. Iulij.

Argentoratenſes interim ad omnes Proteſtantes Principes & Ordines ſcribunt, opem & auxilium implorantes. At nullus inter eos fuit, qui ſe huic negotio immiſcere voluit. VVirtenburgēſis Dux, & Marchio Badenſis Erneſtus Fredericus, publico edicto ſubditis ſuis, ſub pœna capitis, interdixerunt: ſub neutro Electo ſtipendia facerent. Vnus Georgius Fredericus, Marchio Brandenburgenſis, ducētos equites miſit, qui cognatum ſuum, a Proteſtantibus electum epiſcopum, tuerentur, & ſi commodè fieri poſſet, in patriam (vt aiunt)

ANNO 1592.

istinc abducerent. Sed nec ipse pater Ioachimus vllas copias misit. Certis enim conditionibus Brandenburgensem electum asserunt: Iudæos & Iesuitas omnes Diœcesi expelleret, Satrapiq; Beinfeldiæ, quę Episcopo paret, iurisdictionem perpetua donatione in Argentinenses transferret: sedem suam in vrbe constitueret; in rebus alicuius momenti nihil absque consensu Magistratus decerneret. Magistratus vicissim promiserat se Brandenburgensem in trąquillam possessionem Reip. sumptibus missurum; in ea conseruaturum & defensurum esse. Hac de causa parentela Brandenburgensis belli negotium non magnoperè curabat, neque prouincias suas sumptibus immensis exhaurire volebat. Quare Argentoratenses suis expensis equites peditesque conscribere, & bellum gerere coacti sunt.

M. Steinbachius Caluinianus arte Dæmonis captiuitate se exonerare voluit

Inter ministros Ecclesiæ Saxonicæ, qui ob introductum Caluiniauismum captiui tenebátur, quidam erat M. Dauid Steinbachius, Eckersbergæ quondam Superintendens, post Aulicus Dresdæ Ecclesiastes. Is in arce Stolpensi custodiebatur. Cùm autem prętер opinionem diutius teneretur, & infelicem timeret exitũ, 29. Iunij captiuitatem euadere, & seipsum liberare voluit. Sed dum sese ex altiori fenestra demitteret, cecidet, & sinistrũ femur fregit. Ad eiulatum eius exciti ministri inuenerũt eũ, & in arcem reduxerũt. Thomas Leuterus præfectus rem gestam, Steinbachijq; post casum confessionem Illustrissimo Duci Friderico VVilhelmi, Administratori perscripsit. Quomodo ope & auxilio Dæmonis per tres ianuas clausas & illæsus (excepta priore, quã cultro suo pe-

Scriptum Leuterì.

forarat,&
cis scissis
sese dem
ram penc
semore fi
sarcina s
expectab
nõ homi
enim in
torum c
enim eu
tiuos eo
bulanter
pilio plu
tempesta
tos in are
vicini eo
corpore
Steinbac
eum con
arce Stol
dam fugi
omnem
aere tan
nestras
vt pleric
iam adu
ctus, qui
fecerit,
huiusm
plex, vt
inquirat
Augeba

fórarat,& baculo comminuerat)ex ſummitate ar-
cis ſciſsis & connexis lodicibus ac linteaminibus
ſeſe demiſerat. dum medius inter feneſtrã & ter-
ram pendet,rupto vnde pendebat fune,lapſum &
femore fracto grauiter læſum.Inuenta in quadam
ſarcina ſcripta quædã, quibus in colloquio quod
expectabat vti decreuerat. Hanc eius euaſionem
nó hominis opus,ſed Dæmonis fuiſſe. Reductum
enim in præſentia conſulis & quorundam Sena-
torum confeſſum eſſe,ſe àDiabolo adiutum.Sæpè
enim eum ad ſe in nocte venire. Sed & alios cap-
tiuos eodem die ſub veſperem vidiſſe in arce am-
bulantem Rufficum,rubro corio indutum,aurigæ
pilio pluma ornato tectum.Tantam ſubitò ortam
tempeſtatem ex rectis,tantas factas iacturas, tan-
tos in area caſtri auditos ſtrepitus & tumultus, vt
vicini eo in loco manere non ſint auſi.Dæmonem
corpore aſſumpto viſum,& auditũ. Deindè cùm
Steinbachium abducere non potuit (hæc enim
eum confeſſum eſſe) eundem Dæmonem relicta
arce Stolpenſi,cum tãta tempeſtate Biſchofsvver-
dam fugiſſe, vt ſementem, quæ in via erat, penè
omnem perdiderit, & Biſchofsvverdæ commoto
aere tantam excitaſſe grandinem, vt plurimas fe-
neſtras ciuium vitreas prorſus cõminuerit ; adeò
vt pleriq; putauerint, mundi ſubuerſionem iam
iam aduenisse.Commemorat deindè idem præfe-
ctus,quid in cura languentis & afflicti Steinbachij
fecerit, quàm graue ſibi ſit, in tanto timore cum
huiuſmodi hominibus commorari: petitque ſup-
plex, vt adminiſtrator mittat,qui rem diligentiùs
inquirat.

Anno 1592.

O ſancti Chriſti Confeſſores.

Augebatur quotidie dolor Steinbachij & verebatur

Anno 1592.

vitam suam periclitari. Petijt itaq; à prefecto sibi cœnam Dominicam ministrari, promittens se omnia reuocaturum, quę de Caluiniana doctrina tradiderat. Cura hæc Zachariæ Riuandro Superintẽdenti Bisschofs vverdæ cum cõsensu Administratoris demandata est. Forma autem palinodiæ hæc est:

Palinodia M. Steinbachij Caluiniani.

Postquam ego M. Dauid Steinbachius, quo tempore vocatus sum ad ministẽrium Ecclesiasticum aulæ Dresdensis, inusitatam, Caluinianam, erroneam & Augustanæ confessioni contrariam doctrinam introducere voluerim, Ecclesiam quæ in arce est, non parum offendi. Pœnitet me huius facti ex animo. Detestor & damno eandem doctrinam ex toto corde, & supplex atque propter amorẽ Dei oro, vt mihi delictũ hoc ignoscatur: oretq; pro me populus, vt Deus mihi hunc lapsum & errorem nõ imputet, eumq; mihi remittat, dolorem mitiget, & pro paterna sua misericordia me iuuet propter Iesum Christum, filium suum, Dominum nostrum. Porrò si Deus pristinam mihi reddat sanitatem, vitamque longiorem benignè largiatur, & in munere Ecclesiastico continuare me voluerit, promitto me omnes huiusmodi errores, Confessioni Augustanæ anni 30. &c. contrarios, reiectas & damnatas doctrinas, corde & ore detestaturum, & vnitatem Religionis harum patriarum, ex verbo Dei, primarijs Symbolis, Augustana Cõfessione anno 30. condita, Catechismo Lutheri, Articulis Smalcaldicis concinnatæ, & in Formula Cõcordiæ repetitæ, gratia Dei obseruaturum, populoq; traditurum. In quo proposito Iesus Christus Saluator me per Spiritum S. adiuuet, corrobo-

Magna antiquitas & omnibus cõciliis antiquior.

re,

ret,& in finem vsq; conseruet, Amen. Hanc renouationem fateor ego M. Steinbachius me ex propria consideratione, re benè ponderata, composuisse,& propria manu subscripsisse; præsente Reuerendo, Doctoque Domino Doctore Zacharia Riuandro, Pastore & Superintendente Bisschoffswerdæ. Actum in arce Stolpēsi 8. Iulij, Anno 1592. Hic si craticula Laurētij, si equuleus Vincentij, rotæ Catharinæ, Laminæ ardētes & prunæ nudis pedibus calcandæ adhibitæ fuissent, quid nō confessus fuisset fortissimus hic Christi Athleta? O miseri, solidiori clauo tignis vestrę Ecclesiæ affigendi: aut in fastigio galli seu bracteæ loco collocandi. Anno 1592.

Angliæ Regina denuò classem in Oceanum Hispanicum miserat, vt insulas Athlantici maris occuparet. Sed cùm in classem Hispanicam incidisset, 27. naues amisit, quas Hispani captas secum abduxerunt: tres autem depressæ sunt. Hæc tunc in aula Parmensis fama circunferebatur. Ipse autem Parmensis in Belgium redierat, & ad aquas Spadanas ob aduersam valetudinem properabat. Circa idem tempus Fontanus, Caluinianorum in Gelria Antistes, Classicalem (vt vocant) synodum Arnhemiæ celebrauit: in qua multæ constitutiones humanæ, non ex traditionibus Patrum, sed Alcoranico suo Catechismo, qui solus in hac synodo allegatur, excerptæ, propositæ sunt & approbatæ. O cæca hominū pectora, qui in Papistis traditiones Patrum ab Ecclesiæ infantia omnibus a Christianis cultas, & obseruatas reprehenditis: ipsi vnius Caluini (qui qualis fuerit Bolsecus, Herennius, & alij eius discipuli, qui adhuc in viuis sunt, optimè

Classis Angliæ clades.

Parmensis in Belgiū redit.

Synodus Arnhemiensis.

Anno 1592.

nouerunt) catechismo tam firmiter nitimini, vt omnem disciplinam vestram ecclesiasticam non alterius autoritate, quàm illius probandâ aut improbãdam censetis. In tota enim hac synodo nusquam ad sacram Scripturam, sed in omnibus articulis ad Catechismum recurritur.

Subsidia Steenvvicensia cæduntur.

Sub finẽ Iunij Gubernator Frisiæ non ignorans Steenvvicenses pulueris tormentarij laborare inopia, ducentos quinquaginta pedites pulueris onerato misit: tentatum, si quomodo in oppidum venire possent. Præmissus est, qui oppidanis nunciarat horum aduentum: expectarent itaq;, & eruptionem facerent, vt interea ipsi minori cum periculo aditum in vrbem haberent. At captus ille, & examinatus, consilium detexit, missique ex hostibus qui aduenientes suppetias expectarent. Adsunt hora constituta: sed cæsis, captisque circiter ducentis, reliqui fuga elapsi sunt. Cùm itaq; oppidani socios suos quotidie cædi, numerum præsidiariorum minui, comeatum absumi, apparatum bellicum deficere viderent, nec vlla subsidia expectarent, oppidum certis conditionibus Mauritio obtulerunt. Sed cùm ille Geertrudomontanos pro

Offerunt deditio.

sua libidine & arbitrio tractandos postularet, re infecta discessum est. Geertrudomontani namque tumultuantes dicebant, conuentum initio fuisse, omnibus fortunam fore æqualem: vrbem non dedendam, pugnando occumbendum potius, quàm vt quis ab hoste stranguletur.

Tumiculos agum Ordines.

Auctus erat machinarum bellicarum in exercitu Nassouij numerus, & iam 65. tormentis, duobusque alijs maioribus vrbem verberabant, moeniaque & valla miserè lacerabant. Tandem etiam tribus

tribus in locis cuniculos egerunt. Quibus ad perfectionem perductis, tormentarium puluerem subiecerũt. Quarto tãdem Iulij admoto igne incensisq; cuniculis valla, mœniaq;, cum omnibus qui in ijs erãt militibus, & præfectis, disturbata, euersaque sunt, ita vt hiatus & ruinæ facilem hosti in vrbem aditum pollicerentur. Oppidani ingenti hac clade territi, animisque consternati, de communi omnium sententia oppidum hosti dediderunt. Conditiones erant: vexilla & arma omnia deponerent, ijsq; victori cederent, impedimenta omnia secum auferrent, & sex mensibus aduersus Ordines in transrhenanis prouincijs non militarent. Hoc modo fortissimi & generosi milites, post 29000. maiorum tormentorum ictus, post trium cuniculorum eruptiones, post septem aut octo horrendas vrbis oppugnationes, quæ omnia fortiter sustinuerant, à suis turpiter deserti, oppidum inuiti hostibus tradere coacti sunt. Occubuêre in hac obsidione ex Regijs Ludouicus Comes Tsherenbergius, Blondelius & Hesselius Centuriones; Vicarius Steinbachij, vicarius Camminge; & Signifer Eelstij: Torresius Centurio periculosè vulneratus est. Ceteri cum omnibus impedimentis suis, omnibusque vulneratis & ægris curribus impositis in Comitatum Benthemensem deducti sunt. Inde Pedroza Rhenum versus contendit, vt naues procuraret, quibus Rhenum transportarentur.

Anno 1592. 4. Iulij.

4. Iulij. Occisi qui sint in oppido Steenwicum se.

Prudentissimè dictum est à veteribus; Fortuna cùm blanditur tũc vel maximè metuendã; Parcius obsequenti fortunæ potius fidendum esse, quàm vsquequaque fauenti transmutat enim incertos

Nauarræi fortunæ inclinatio.

Anno 1592.

honores, nunc mihi, nunc illi benigna. Nulli præstat velox fortuna fidem, inquit Horat. Exemplum huius incertitudinis & fortunæ inconstantiæ videre est in Rege Nauarræo. Quantis enim ille præcedētibus annis condecoratus est victorijs, quàm feliciter vbique pugnauit, quot vrbes, arces & oppida partim deditione, partim vi & virtute sua suo imperio subiecit, dictum est libris præcedentibus. At nunc fortuna versa in contrarium, ab omnibus penè destitutus, de vrbe in vrbē proficiscitur: vix vllo tutus consistit loco. Anhaltius Princeps cum omnibus suis Germanis in Germaniam reuertitur, Nobilitas Franciæ dilabitur, vrbes aut nutant, aut in potestatem hostium trāseunt, hostis in Narbonensi Gallia, in Britannia, in Prouincia, in Delphinatu & in Normannia multis potitur victorijs, vt verisimè dictum sit ab Homero.

Homer. Iliados N.

Nunc his, nunc illis contingit vincere:
Communis Mars, inque vicem perimit perimentem.

Ponteau de meer capitur à Mœnio.

Etenim Dux Mœnius cum 5000. equitibus & peditibus in inferiorem Normanniā profectus, Pontmarinum oppidum, vulgo? *Ponteau demer*, obsedit, oppugnauit, & expugnauit: omnesque in armis inuentos trucidauit. Occubuit hic Templius, & Rebourius captus Rhotomagum abductus est. Inde Mœnius Chileboefium mouens, fluuium, vbi naues Anglorum, & Hollandorum in anchoris stabant, obstruxisse dicitur. Sub idem ferè tempus Confœderati Espernoniam quoque oppidum ad Mranam fluuium situm, interceperunt: in quo magnam

gnam vini, frumẽtiq; copiam inuenerunt. Nauarræus oculos suos ab vrbe Parisiensi non deflectebat, ratus dimidium Regni se habiturum, si ea potiri posset. Sed cùm vi non posset, proditione tentare decreuit. Inuenit in vrbe, qui ad hoc scelus operam suam commodare nõ sunt veriti. Sed vt res occultior esset, nec suus aduentus aliquam Parisiensibus suspicionem inijceret, scribunt nonnulli, eum corpus defuncti, seu interempti Regis vltimi Sandionysiũ honorificè deduci præcepisse, simulans se exequias illius istic celebrare velle. Sed proditione detecta, proditores capti sunt, & Nauarræi consilium optato caruit euentu. Anno 1592.

Nauarræus tentat Lutetiam.

Turcarum in Croatia exercitus augebatur quotidie: accessit enim ad priores copias non ita nuper Bassa Bosniæ cum multis armatorũ millibus. Doctor Petzenius, qui multis annis legationes Cæsareas apud Turcas obierat, ad omnes Germaniæ Principes missus est, vt ab ijs auxilia peteret. Archidux Ernestus cum quinque millium exercitu Vienna Sauariam, vulgò Gretz. Striæ Metropolin contendit: ex Carintia quotidie maiores copiæ mittuntur. Interim Turcarum exercitus in Croatia 6000. pedites & quingentos equites Christianos, qui montes, siluas, & itinera insederant, corona cinxit, & paucis elapsis trucidauit: inter quos multi viri fortissimi, expertissimiq́ue in rebus bellicis duces fuere; atque inter alios Iacobus Prantius, Georgius Plesbachius, Ioannes à VVeluerdurff: Abrahamus walhausius viuus in hostium potestatem venit: Bassa detruncatis capitibus sex currus impleuit. In Polonia simultas inter Regem & magnum Cancellariũ indies augebatur

Turcarum in Croatia felices progressus

gebatur indictus itaque est conuentus in festum S. Michaelis, in quo tam de hoc, quàm de alijs pluribus Regni negotijs disceparetur. Cãcellarius non exiguum in armis habebat militum numerũ. Defuncta vxore aliam ex præcipua Nobilitate duxit, quo matrimonio authoritas eius, virèsque creuerunt: ita vt se iam apertum hostem Regis profiteretur. Sed & Suetiæ Rex in vsum filij sui Poloniæ Regis multas cogebat & in Belgio & in Germania copias. Metuunt Poloni rem sine cæde & sanguine componendam non esse.

Simultas inter Regem et Cancellarium Poloniæ.

Victoriæ Catholicorum in Gallia.

Per eosdem dies Gubernator Landrecesij ex Gallia ad quosdam in aula Parmensis scribit, Dominum Senallium ante biduum legationem Reginæ Angliæ quinquaginta millia ducatorum ad Nauarræum adferentem intercepisse: captum esse Dominum de Falle, cum alijs tribus magni nominis viris; quos Bellouacum misit: Dominum quoq; Rieuxium aliquot turmas equitũ strauisse, quos ceperat Augustam Vessonũ secũ abduxisse.

Mondragonius fidelissimus Regi Hispaniarum Dux, milesque fortissimus, medio circiter mense Iulio, collecta 3000. militum manu, & quinque tormentis præparatis, Castrum VVesterloum in Campinia obsedit, & tandem 18. Iulij deditione recuperauit. Inde copias suas Turnhoutium transtulit: cuius arcem 20. eiusdem mensis recepit, & postridie Bercheicanum castrum Regi restituit. Qua expeditione Mondragonius ostendit, quàm paucis expensis & viribus maxima Regi præstari possint commoda: Ex his enim munitionibus non tota tantùm Brabantia, sed & omnes vicinæ Prouinciæ vexabantur & diripiebantur. Quod si tam exiguus

18. *Iulij.*

21. *Iulij.*

exiguus exercitus in Transisalaniã missus fuisset, forte Steenvvica Regi salua adhuc esset. Interim nõ missum gaudet tota Frisia, nimis à præsidiarijs illus oppidi exhausta. ANNO. 1592.

Visitatio Saxonica.

Saxones, vt tandem omni lolio Caluiniano agrum suum semel repurgarent, ad visitationem in vltimis Comitijs propositam procedendum esse statuerunt. Huic operi ab initio præfecti erant Nicolaus Seneccerus, & Polycarpus Leiserus. Sed cùm illi mense Maio proximo extremum diem obijssent, alij in eorum loco quidã ex Missna, quidam ex Voijtlãdia, alijsq; Saxoniæ prouincijs surrogati sunt. Articuli visitationis erant quatuor; Primus de Cœna Domini in sex capita distributus; Secundus de persona Christi in quatuor: Tertius de baptismate similiter in sex: Quartus de prædestinatione & præscientia in tres sectiones seu interrogationes diuisus. In singulis articulis præponuntur interrogationes affirmandę & probandæ. Inde subijciuntur negandæ & improbandæ, vt quas ex Caluini dogmatibus desumptas asserunt. Affirmandæ per omnia ferè eædem sunt, cum ijs, quas docet Ecclesia Catholica vna trãssubstantiatione excepta, ideoq;, eas recensere supersedebimus. Negandas obiter enumerabimus. In primo articulo de cæna Domini iubentur detestari; primò, Verbum illud: *Accipite, comedite; Hoc est corpus meum; Accipite, bibite, hic est sanguis meus*, nõ secundũ litterã, sed figuraliter & typicè intelligẽdũ Secũdò; In cœna nuda esse signa & simbola; corpus Christi tã longè abesse à pane, quã cœlũ est à terra. Tertiò, Christũ hic præsentẽ virtute & operatione sua, non corpore, quomodo Sol suo lumine

Articuli dãnandi circa Cœnam Domini.

& ope-

Anno 1592.

& operatione est in his inferioribus efficaciter; corpus verò solare est in cælo. Quartò, Typicum & figurale corpus esse, significãs tantùm. Quintò, Sola fide ascendẽte in cælum, & non ore percipi. Sextò, Solos dignos sumere, indignos verò, qui fide hac, quæ cælos penetrat, destituuntur, nudum panem & vinum accipere.

Articuli dãnandi circa personam Christi.

In articulo secundo de persona Christi anathemizare debuerunt primò; Deum esse hominem, & hominem Deum figuralem esse locutionem. Secundò, Humanitatem cum diuinitate non reipsa & veritate, sed nomine tantùm communionẽ habere. Tertiò. Impossibile esse etiam Christo cum vniuersa sua omnipotentia facere, vt naturale suum corpus vno eodemq; tempore in pluribus locis, quàm vno, sit. Quartò, Christum secũdùm humanitatem suam; per exaltationem suam omnes dotes & gratias creatas, certamque potestatem accepisse: sed non omnia scire, nec posse. Quintò, Christum secundùm humanitatem absentem hic regere, quomodo Rex Hispaniarum in nouis Insulis. Sextò, Execrandam idololatriam esse, spem, fidemq; animi, non in Christum Deum solum, sed etiam hominem collocare, & honorem, inuocationemque super hanc fidem ædificare.

Tantalus tibi Philippe ne à subditis tuibuitur.

Articuli dam nandi circa Baptismum.

In tertio articulo de Baptismo hæc damnanda proponuntur: Primò, Baptismum externum tantum esse lauacrum, quo interna peccatorum ablutio tantum significatur. Secundò Baptismum nec regenerationem, nec fidem, nec gratiam, nec salutem conferre: sed tantùm hæc significare & obsignare. Tertiò, Non omnes qui baptizantur in aqua consequi per illud gratiam Christi, & donũ fidei, sed

sed solos electos. Quarto, Regenerationem non fieri in & circa Baptismum, sed postea, ætate crescente, imò quosdam non nisi in senectute regenerari. Quintò, Salutem non pendere à Baptismo, ideoq; priuatum Baptismum tempore necessitatis in Ecclesia non permittendum, sed cùm ministerium Ecclesiæ haberi non potest, absq; Baptismo puerum mori satius esse. Sextò, Christianorum infantes sanctos esse, & à Baptismo, & à partu: imò in vtero materno, idq; per pactum & fœdus æternæ vitæ, alioquin Baptismum ipsis conferri non posse.

Articuli damnandi circa prædestinationem.

In quarto articulo de prædestinatione & præscientia Dei eiurare præcipiuntur subsequentia. Primò, Deum non pro omnibus hominibus, sed pro electis tantùm mortuum esse. Secundò, Deum maiorem hominum numerum ad perpetuam dānationem creasse, nec velle vt cōuertantur & salui fiant. Tertiò, Electos & regeneratos non posse aut fidem, aut Spiritum S. amittere, vel damnari, etiamsi in grauissima peccata, ac turpissimas blasphemias incidant. Quartò, Non electos necessariò damnandos, nec posse ad salutem peruenire, etiamsi millies baptizentur, etiamsi tam irreprehensibiliter atq; sanctè viuant, quàm qui sanctissimè.

Isti articuli, vt Caluiniani (si Franco credimus) in omnibus Ecclesijs, Scholis & Magistratibus, vbi visitatio instituebatur, propositi sunt: quos eiurare, & subscriptione manus propriæ damnare; nisi officijs suis moueri vellent, omnes tenebātur. Ab vrbe VVittenbergensi hæc visitatio cæpta est. Bi-

10. Iulij.

duo

Anno. 1592.

duo ante visitationem sub pœna capitis interdictum est, ne clandestina fiant conuenticula; sed vt quisque exitum visitationis expectet: Visitatione peracta, ij qui articulis subscribere noluerunt, officijs suis destituti sunt: quatuor Academiæ Doctores, & Professores duo: in iudicio principis duo, in Magistratu totidem, quorũ nominibus parcimus, si fortè cum suis Doctoribus & pastoribus resipiscant. Visitatores deinde VVittenberga Lipsiam profecti, ibidem officium quoq; fecerunt: vbi sex reperti sunt, qui propositos articulos probare noluerunt, ideoq; suis functionibus decedere mãdantur. Quod VVittenbergæ, quod Lipsiæ cœptũ est, per totam deinde Saxoniam fuit cõtinuatum, & hoc modo pestilentissima ista hæresis, qualis qualis illa sit, quæ paucis abhinc annis in Sedem Lutheri irrepserat, cum magna Saxonum laude exstirpata, & vix enata, suffocata est.

2. Aug.

Sabaudus Antibolos occupat. Variæ expeditiones Turcarum in Christinos. 4. Iulij.

Interea dum hæc aguntur apud Saxones, Allobrogum Dux ope Hispanorum Antibolorum vbẽ in Prouincia munitissimam armata manu expugnauit. Cumq; vltertus pergeret, & Massilienses ex insidijs tentaret, re infecta, insidijsq; derectis ad sua reuersus est. Per eosdem quoque dies Turcę varijs in locis cum Christianis feliciter pugnãrunt. Decimo sexto Iulij duo millia Turcarum iuxta Sondram excurrebant, & beneficio densioris nebulæ munitionem se occupaturos sperabãt. Sed hostium aduentu cognito præsidiarij & oppidani sese egregiè defenderunt: sex tamen Christianos, qui in agro erãt suburbano, secũ captiuos abduxerunt. Postridiè maioribus cũ copijs reuersi, quatuor pagos exusserunt & spoliãrunt. Incolæ fuga

fuga sese saluârunt, at hostes prędam omnem cum armétis abegerunt. Præpositus VVarius, Erlæ præfectus, eos (sed frustra) insecutus est Paucis post diebus præsidiarij in Toggáy, incidētes in Turcas, fortiter cum illis pugnarunt, sed cũ hostes numero essent superiores, nostri terga vertunt, & in fuga 20. Vngaros & Germanos amittũt. Eodé quoq; tempore prępositus VVarius cum equitibus, peditibusq; suis 1500. circiter passibus ab Erla, hosti ob uiam factus, impetum in eum fecit, multosq; trucidauit. Sed cùm ad maiora tormenta ventũ esset, in fugam sese coniecit, peditatumq; ferè omnem amisit. Sed & iuxta Agriam 400. Christiani, qui ad nundinas proficiscebantur, cæsi sunt. Anno. 1592. 21. Iulij.

Tandẽ Asson, Bassa Bosniæ collecto iusto exercitu Monastetium Sisseg, inter Sauum & Culpam flumiua situm, & à Canonico Agriẽsi custoditum obsedit, attractisq; maioribus tormentis 24. summa contentione oppugnauit: sed à persidiarijs fortissimè reiectus est. Abducto igitur à mœnib. exercitu, scribi, Canonico præfecto crudeles litteras, minaturq; se oppugnationẽ non intermissurum, donec munimentũ expugnauerit, maiores se copias, tormenta plura, & maiorem apparatũ bellicum expectare. Obsidionem se in hyemen vsq; continuaturum, & monast. occupato se præfecto cutẽ cũ maximo Christianorũ opprobrio detracturũ. Ceterùm neq; præfectus his minis magnopere motus est, nec ipse Bassa hoc anno memorabile quid hoc in loco postea gessit. His tẽporibus Pragá venit Minister quidam hæreticus, qui cùm multos annos Lubecæ, & in vicinis locis concionatus esset, Pragæ in Theologos Societatis Iesu incidit

Bassa Bosniæ Sisseg, frustra obsidet.

Minister hæreticus fit Catholicus.

Anno 1592.

incidit, familiariterq; cum illis aliquamdiu conuersatus, tandem in cognitionem veritatis adductus, errores suos detestatus Catholicamq; Religionem professus est, & 22. Iulij publicè, præsente Nuncio Apostolico, priorem doctrinam suam reuocauit: Vigesimo deinde sexto, qui dies erat Dominicus, in templo Societatis, præsentibus cunctis legatis, & magna populi multitudine, vitam hactenus transactam cum magnis pœnitentiæ indicijs recensuit.

22. Iulij.

26 Iulij.

Rex Nauarræus copias, quas adhuc sub signis habebat, Espernaium duxit vt oppidum illud nuper captũ recuperet. Mareschallus Bironius, dum curiosè lustrat exercitum, ictu machinæ maioris prostratus, & equus, cui Nauarræus insidebat, globo traiectus esse dicitur. Comitis quoq; Tureinæ mors, qui iuxta Sedunũ occubuisset, per omnium ora volitabat. Dux Mercurij multis victorijs in Britannia partis, & ante paucos dies oppido Cenomano capto inclaruit; vti & in Normãnia Mœnius, qui recuperata Caudebeca, eiusq; mœnibus dirutis & munitionibus complanatis, vtramq; Sequanæ ripam inter Rhotomagum & mare tutam ab hostibus reddidit, nauigationiq; suam libertatem restituit. Nemouriæ Dux, Lugdunensium Gubernator, cum exercitu sibi assignato Viennenses compulit, vt se suamq; vrbem Confœderatis redderent, copiasq; suas Gratianopolim, aut, vt alij scribunt, Valentiam traduxit, vt harum vrbium ciues ad similem deditionem adigat, Rhodanumq; vt Mœnius Sequanam, ab hostium iniuria liberet.

Bironius cæditur.

Nemouriæ victoria Vienna deditur.

Magnus thesaurus in Belgium ex Hispania mittitur.

Per id tempus Luxemburgum venerunt ducenti muli 1500000. coronatos in argento portantes, quæ

quæ argenti vis deinceps Namur cum missa est, vt sine mora & intermissione cudatur: Optant hic nonnulli, vt bene, & quidem ad Regis, Reipublicæq; salutem expendatur. Anno 1592.

Turcarum exercitus in Croatia non otiabatur, sed magnos quotidie progressus, magnasque expeditiones faciebat. Trepidabat vtraque Pannonia, Bauaria, Bohemia, Stiria, Carinthia, Morauia, Silesia, & omnes vicinæ Prouinciæ. Cæsar Ordines Silesiæ Morauiæq; conuocat, periculum, quod Imperio imminebat, ipsis significat, omnes vires ad immani huic Tyranno resistendum iungant, etiam atque etiã flagitat. Protestantes Belgæ hoc tanto periculo non mouebantur, & se nihil mali à Turca sibi metuere protestabantur: Securi itaq; suas prosequebantur victorias. Lustrato exercitu, & duobus millibus è suis in obsidione Steenvvicensi desideratis, cum reliquis copijs Ootmarsum oppidulum in Tvventa situm obsident. Præfectus vrbis Alphonsus Mendosius equitum ductor, videns se in vrbe aut parum, aut nihil obsequij præstare posse, præsidiarios pedites hortatur, oppidulum fortiter defendãt, se cum sua cohorte ad Verdugium, profecturum, opemq; & subsidium ipsis allaturum. Quatuordecim circiter equitum turmæ oppidulum cinxerant, præter peditatum, qui non longè aberat: Mendosius imperterritus, cum 60. circiter equitibus oppido excedit, & qua parte hostium cuneus erat densissimus perrumpit, viamq; sibi virib. & armis aperit. Cumq; transisset, nullo è suis desiderato, vertit equum, & secundam in eos impressionem dum parat, videt hostium peditatum aduenire. Metuens itaq; ne vndiq; circunda-

Ootmarsum capiunt Nassouiani.

Anno 1592.

cundaretur, mutato consilio ad Verdugium proficiscitur. Cæterum quia subsidium nullũ in propinquo erat, præsidiarij Ootmarsenses sibi consulere, & oppidulum hosti tradere coacti sunt. Occupato Ootmarso, Ordines magna vsi celeritate, antequam hostes sese recolligerent, Coeuardam omnes copias apparatumq; bellicum traducunt. Est autem Coeuarda exiguum oppidum, seu potius vicus, in ditione Transisalana ad Vidrum fluuium à conditioribus extructus, natura potius, quam arte munitus, cui arx adiacet penè inexpugnabilis, cui præest Satrapa, istius territorij Gubernator. Præsidiarij, cùm hostium aduentum intellexissent, vicum exusserunt, & complanarunt; arbores, fruteta, hortos & arbusta exciderunt, ne quid esset, vbi hostis latere posset. Aduenié itaq; Nassouius nihil præter duas pirus inuenit vbi castra locaret. Ductis itaq; fossis, aggeribusq; & vallis constructis, milites paulatim ad arcem prorepunt, dispositis tormentis aliquod, in arcem iaculantur. Regij ad portam arcis popugnaculum habebant, vnde in hostium castra pilarum emissione magnas strages fecerunt eruptione quoque facta integram centuriam, vndecim tantùm fugâ elapsis, prostrauerunt. Verdugius interim cohortem equitum obsessis subdio misit. Vt autem impressionem in hostium castra faceret, sufficientem non habebat militem. Etsi enim pecunia sæpe ad stipendia multorum mitteretur, etsi Frisiæ multorum millium dalerorũ tributa singulis mensibus imperentur, nescio tamẽ quo fato, cùm ad pugnam prodeundum est, nihil præter milites desideretur.

Coeuarda obsidetur.

Romanus

Romanus Imperator, totusque illius Senatus, licet eam haberet opinionem, quòd Amurathes inficiaretur, iussu suo bellum motum, & inducias violatas esse, sciens tamen eam Turcis esse consuetudinem, vt non restituant vrbes, quas semel occuparunt, omnem mouebat lapidem, vt auxilia cogeret, atque Tyranno resisteret. Sub id Doctor Petzenius, qui nuper ad Bauariæ Ducem, Ferdinandum Tirolensem Comitem, & Archiepiscopum Saltzburgensem legatus erat, in aulam reuersus est, magnam spem multasq; promissiones cõtra Turcas subsidij auxilijque adferens.

Anno 1592.

Cæsar cum suis de Turcis repellendis consilium agitat.

Decimo Aug. Ernestus Archidux ad Imperatorem fratrem cum legatis Vngariæ venit. Septimo post die Regnorum & Prouinciarum Legati conuocati sunt, agitantur consilia, quomodo Turcis possent resistere, & eorum conatus infringere: vnde auxilia, vnde pecunia, vnde apparatus petendus sit. Sciebant periculum esse in mora, expectari Græciæ Gubernatorem cum 60000. peditibus & equitibus, in bellis Persicis exercitatissimis, qui si se cæteris iungat, ingens malum Hungariæ, vicinisque locis impendere. Quas ob difficultates quotidie conuentus Pragæ per hos dies agebantur, & ad quartam aut quintam sæpe horam protrahebantur. Hungari namque, & qui inter illos præcipuus est, Nadasti, heros fortissimus, qui anno abhinc quarto cum mille septingentis militibus decem millia Turcarum prostrauit, vehementer vrgent, vt sibi auxilia mittantur. Quòd si enim Turcarum Imperator reliquis Christianorum in Hungaria oppidis & munitionibus potiatur, toti GERMANIAE

10. *Augusti. Ernestus & Hungari Pragam veniunt.*

Anno 1592.

metuendum est: Vt enim Tyrannus ille vires Germanorum contemnit, sic Hungarorum formidat.

Argentoratenses iuxta Ernstein cæduntur

Argentoratenses adhuc cum Lotharingo Episcopo, nuper electo bellum gerebant: cumq; intellexissent in munitione Ernsteinio ducentos tantùm Lotharingos equites esse; quadringentos pedites, & centum quinquaginta equites miserunt, qui hostem cæderent, & locum occuparent. Sed cùm Ernsteinium vetum esset, Lotharingi numero plures, quàm illi ab exploratoribus didicerat, erumpentes, aperto campo cum hostibus manum conseruerunt, & peditatum ferè omnem aut occiderunt, aut vulnerarunt. Equites fuga euaserunt. Paulo post Lotharingi intempesta nocte exercitum Argentoratensem, qui in Ilkirchen castra sua fixerat, ex insidijs adorti sunt.

Heluetij subsidia mittunt Argentorat. 30. Iulij.

Sed cùm Argentinenses eorum aduentum per exploratores resciuissent, instructo exercitu eos in armis præstolatur, & fortiter excipiunt. Lotharingi desideratis quinquaginta ex suis, sese in tutum receperunt. Tertio Calendarum Augusti cõfœderati Heluetij Bernenses, Tigurenses & Basilienses Argentinensibus auxiliares copias trium millium peditum miserunt. Cùm iam Argentinenses suas vires viribus hostium aut pares, aut superiores existimarent, aperto Marte bellum gerendum esse existimarunt. Tertio itaque Augusti omnem peditatum, equitatumque educunt, & Ersteinium profecti in via Fegersheim & Rinavv iniecto igne exurunt. Post biduum inde Moltzemum exercitum traducunt: deditionem oppidi frustra postulant, obsident. Postridie 7. tormenta

Argentoratenses Moltzemum obsidẽt.

bellica,

bellica, puluis, globi, asseres & quicquid ad oppugnationem erat necessarium ex vrbe in castra mittitur. Interim Lotharingi quotidie excurrentes comeatum, & quicquid exercitui aduehebatur, intercipiebant. Sub sequenti die Lunæ cœperunt muros sternere. Qui in oppido erant omnibus viribus se tuebantur. Occubuerunt eo die ex Argẽtinensibus Comes Albertus Tubingensis, & Hieremias Neunerus armamentarij præfectus. Paulo post Dux Ioachimus. Carolus Brunsvvicensis, præpositus, cum ceteris in castra venerunt. Lotharingi interea suis opem ferre volentes aliquot equites in castra hostium miserunt, vt eorum vires explorarent, & si possent in eos impetum facerent, ac partem exercitus cæderent: sed cùm pauciſſimi essent numero, facilè fugati sunt, triginta circiter in sylua vicina partim captis, partim trucidatis. Anno 1592.

Nono Augusti Heluetiorum, Austriacorumque legati in Alsatiam venerunt, de pace inter Lotharingos & Argentoratenses concilianda, belloque componendo acturi: sed cùm aliquot diebus frustra laborassent, tandem re infecta discesserunt. Quinto decimo Augusti Argentoratenses in vrbe luitrarunt nouum vexillum peditum, in quo sexcenti pedites sub imperio Ioannis Norenburgensis recensebantur. Armilustrio peracto statim in castra mittuntur, vt stipendiũ pro tribus peditum signis, & comeatum pro toto exercitu deducant. Adduntur aliquot equites. Vaudemontius paulò ante cum suis copijs se Episcopo iunxerat, qui pariter belli fortunam tentare volẽtes, Moltzemum profecti sunt, vt hostem prouocarent, & cum eo confligerent. Sub id ex internuncijs didicerunt, hanc

Frustra de pace inter Argenti & Lotharingos agitur.

Insignis Lotharingorum victoria.

Anno. 1592.

hanc pecuniam & comeatum in via esse, vt hosti submittatur. Magna itaque celeritate hosti obuiam profecti, eum non longè à Dippichen conspexerunt. Signo dato mox in equitatum ferebantur, eumq; penè omnem trucidarunt, ordinesq; peditum turbarunt. Fugientes itaq; pedites partim cæsi sunt, partim templum & cemiterium pagi occuparunt. At Lotharingi insecuti eos ad deditionem compulerunt, desideratis plurimis, maior pars eorum qui residui erant, in partes Lotharingi transierunt. Captus est in hac expeditione Ioannes Zysolphenus Senator, & præfectus ærarij Argentinensium, & quidam Israel Golderus, qui vnà cum thesauro 18000. vel (vt alij volunt) 12000. dalerorum Dachsteinium abducti sunt; omnem quoq; comeatum, signa militaria, magnamq; aliarú rerú prędam Lotharingi interceperunt. Currus & alia impedimenta, quæ secum abducere non potuerit subiecto igne concremarunt. Præfectum autè peditum Ioan. Norenbergensem, eiusque vexillifer rum in vrbem remiserunt. Dum hęc in Dippichen geruntur, præsidiarij Moltzemenses eruptione facta tribus penè horis cum hoste velitarunt, eumq; distinuerunt, ne periclitantib. socijs opem ferre posset. Tristi itaque hoc nuncio in castra allato, cum comeatus magna esset penuria, nec is aliunde posset aduehi; pecunia omnis esset intercepta, cæsusq; miles, qui in castris erant Tribuni, coacto concilio, postridie obsidionem soluunt, & sine tympanis tubisq;, ne hostis abitum intelligeret, cum omni apparatu bellico Argentoratú reuerti sunt. Equites & Heluetij in vrbem recepti: alia 8. signa Germanorum biduo, iuxta Fanum S. Arbo-

16 Augusti. Moltzemēsis obsidio soluitur.

gasti

gasti remanserunt: deinde in priores suas stationes in Ilkirchen & Grauenstade reducta sunt. Ernestum Sereniss. Elect. Colonienſ. iam ante multos menses instituisse Parmensi, vt Regius miles ex vrbib. suæ Diœceseos euocetur, & sibi vrbes reddantur, dictum est superiori libro. Tandem impetrauit mandatum Regium, quo Tisslingio, generali vicario præcipitur, vt ipse, omnesq; centuriones præsidiorum, quę ad Rheni ripam sunt Canonicis protestantib. in castra visis literis statim oppidis cedant, eaq; Electori reddant: non obstante quocunq; alio mandato, siue id scripto ad illos peruenerit, siue voce viua allatum sit. Tisslingius accepto mandato hoc, statim milites cõgregat, ipsis voluntatem Regis exponit, & vt se ad iter parẽt præcepit. Sed quia præsidiarijs omnibus aliquot mensium debebantur stipendia, confestim illi tumultuari cęperunt, mandatum tam Regis quàm Tisslingij contemnentes. Tisslingius quod sui officij erat fecit; confestim ad aulam scribit, se mandatum Regis accepisse; Centurionibus primò, deindè militibus prælegisse. Centuriones vt pareant paratos, milites verò obstreperos & rebelles, antequam soluantur stipendia vrbe discedere non velle. Porrò vt suo honori consuleret, inito cum ceteris Centurionibus consilio, decreuit mandatum Regis per tympanistam publicari. Ac magistratus petijt, huic suo instituto supersederet donec scriptum à suo Principe Electore accepissent: fieri enim posse, vt si milites tumultuantes inuiti vrbe educantur, in ciuiũ ædes irruant, easq; diripiant. Hic quid ageret Vicarius? Scribit Verdugius, nisi militem vrbe educat, culpam in ipsum

Anno 1592.

Rebellio præsidij Bonnensis.

Anno 1592.

ſum reijciendam. Ediſcere autem non potuit inuitos, & qui debita ſibi ſtipendia poſcebant. Mittit itaq; ad Tribunum ærarij Regij; orat pecuniam mittat, vt militibus & voluntati Regis ſatisfiat. Reſpondet ille; Se pecuniam non habere, imò de pecunia poſthac Bonnenſibus numeranda nihil ſibi mandatum eſſe, Litteris itaq; Tiſſingius diuerſis Verdugium orat, vt conſilium ſuum in hac difficultate conſtituto non deneget: vt ſciat quid in hoc negotio facere expediat, quòd ſi gregarij milites in hoc ſuo propoſito permaneant, & abſque pecunia vrbem deſerere nō velint, an conſultum ſit vt ipſe, reliquiq́ue Centuriones clam ſeſe ſubducant?

Milites cùm intelligerent Electorem oppidi reſtitutionem vrgere, Vicarium conueniunt; petunt, vt liceat ipſis quoſdam è ſuis Noueſium & Berckam mittere. Quod cùm ille negaret, iterum vrgent, vt duæ centuriæ quotidie excubent, muroſq; & portas vrbis cuſtodiant. Sed nec illud ipſis permittere voluit. Quare milites ſua authoritate mandant, vt nullus ex militibus Electoris in vrbem admittatur, nullus ex Præfectis ſuis vrbe [illegible]re permittatur; omnes litteræ, quæ ad Tiſſingium & Magiſtratum adferuntur, ſibi tradantur, & coram legantur. Poſtea duarum centuriarum excubias iterum poſtularunt cumq́; Tiſſingius id ipſis permittere non vellet, eo inuito ſortem miſerunt, & vigilias duplicarunt. Deinde ciuibus arma adimare decreuerant: at illud proteſtatione Tiſſingij impeditum fuit. Publico quoque mandato iuſſerunt, vt ſi qui miles Bauaricus, in vrbe ſit, ſtatim exeat: claues portarum ab Optione exegerunt

egerunt, tympanistam Nouesium & Berckam legarunt. Paulo post venit Ioānes VVerdenus eiusdem Legionis Cēturio, & Philippus Montaggius, qui à Præfecto ærarij in mandatis habebant, vt militum animos tentarent, quos mensium stipendia poscerent. Hi conuocatis omnibus rogant, an trium aut quatuor mensium stipendijs velint acquiescere. Respondent illi; Nequaquam se id facturos, sed solidum suum sibi solui debere. Quòd si Parmensis viam modumque solutionis nesciat, se inuenturos, Quibus cùm Tisslingius diceret; Sperare se eos hosti vrbem non tradituros. Neutiquam, aiunt se facturos quod probum militem decet. Quarto Ianuarij Tisslingius secundas à Parmensi & Verdugio litteras accepit, quibus illi denuò mandatur, vt vrbe suos educat, vrbemque Electori reddat. Conuocat ille milites, litteras prælegit, ex Gallicis Latinas facit, at illi legere noluerunt, dicentes; Non se vrbem relicturos, nisi pecunia sibi debita numeretur. Quare Tisslingius ab ijs veniam sibi, alijsque Centurionibus abeundi petijt, ne in indignationem Regis & Imperij incurrat, quam illi milites denegarunt, & ad arma conclamantes, iterum arma ciuibus adimere voluerunt Cæterùm aderant, qui illud impedierunt. Tisslingius interim Mansfeltio, Parmensis in administratione Belgica Vicario, sese purgat, & honestam missionem flagitat. Anno 1592.

Milites, quia nulla mittebatur pecunia, sexto Ianuarij ciues coegerunt, vt deinceps sibi victum dent, aut singulis diebus tres sestertios numerēt, vnde quæ necessaria sunt redimant. Interim tympanista,

Anno 1592. paniſta, quem Berckam & Noueſium miſerant, reuertitur, quem cùm Tiſſlingius in carcerem compingere vellet, à militibus impeditus eſt. Menſe Martio Verdugius Duiſeldorpium venit, Tiſſlingium ad ſe vocat, de negotio ſciſcitatur, & poſt maturam deliberationem eum cum Ioanne Baptiſta Taxio Bonnam remiſit, vt militum animos denuo tentent. Qui cùm veniſſent, nihil impetrare potuerunt. Sed & ciuibus imperatum eſt, vt tribus feſtertijs quartum adderent. Quod ne fieret Vicarius diu multumque nequicquam laborauit, ſupellectilemque ſuam argenteam pignori exponens, aliquid pecuniæ coegit, quo militibus ſe ſatisfacturum ad tempus exiſtimauit. Sæpe deinde milites conuocans, voluntatem Regis, Parmenſis, Mansfeltij, & Verdugij illis propoſuit, monuitque ſibi cauerent, ne in indignationem Principum incidant, honoremque & exiſtimationem, quam tot præclaris expeditionibus ſibi compararant, hac ignominia maculent. At ſurdis canebatur.

Tiſſlingius interea ad aquas Spadanas proficiſcitur, vt Parmenſem ipſum conueniat, eique tumultum militum ſuorum exponat. Petit Parmenſis, vt 150. milites ſorte legat, & Steenvvicam cum ceteris, qui Berkam venirent, mittat. Paret Tiſſlingius, & militibus Bonnēſibus voluntatem Parmenſis perſcribit, eique pareant præcepit. At illi mentuentes ne ita paulatim euocarentur omnes, neutiquam obedire voluerunt. Quare Tiſſlingius ipſe Bonnam profectus, multis argumentis docuit, Regis voluntati obediendum eſſe. At illi nihil præter pecuniam vociferabantur.

Elector

Anno. 1592.

Elector Colonienſis Bruelam Ordines conuocarat, tum ob alias cauſas, tum vt modus inueniretur, quo præſidiarijs Bonnenſibus ſatisfieret. Poſt multas diſceptationes inuenta eſt via, aliquid pecuniæ corradendi. Milites, petente id Tiſſlingio, permiſerunt, vt vocetur, cui cura hæc erat demandata, vt cum militibus de ſtipendio conueniret. Offertiſte certam pecuniæ ſummam, quam illi repudiarunt; in ſolidum ſibi ſolui, & deinde exauthorari volentes. Sed & Elector Poppelſdorffium venit, vt cum militibus paciſceretur. Oblata ſunt octodecim coronatorum millia; ſed repudiantur, Tiſſlingius, cęteriq́ue Centuriones in vincula conſecti ſunt, magnaq́; erat illorum inſolentia. Tandem res eſt cõpoſita, pecunia numeratur, Regius miles 24. Auguſti Bonna educitur, & Bauarico vrbe excepto, eiuſdẽ cuſtodia, ſub Nobiliſsimo, Prudentiſsimo, magniq́ue nominis viro Hermanno von der Linden, oppidi Gubernatore demandatur.

Regius miles Bonna educitur.

24. Auguſti.

Increbuit his temporibus fama, Parmenſem tertiò cum exercitu ſub finem Septembris in Galliam profecturum: Regem eligendum, Reginam Angliæ belli pertæſam. Nauarræo ad pacem hortari, & ſimilia multa circumferebantur. Interim Nauarræus cũ intellexiſſet Præſidiũ in Eſpernay à Mœnio introductũ, alio profectum abeſſe, copias clam eò traducens, oppidũ recuperauit: cum paulo ante Dux Mercurius Nauarræos Deſeram obſidentes caſtris exuiſſet, tria millia trucidaſſet, Nobiles multos captiuos abduxiſſet, tormenta omnia maiora quæ non pauca erant, inter-

Nauarræorũ clades.

Anno 1592.

intercepiſſet, Anglicana vexilla non pauca in vrbem reportaſſet: Nemourius quoq; præter Viennam Valenſiam quoque & Romanam in fidem Confœderatorum recepiſſet, magnaſq; expeditiones in Delphinatu ageret, cuius prouinciæ Nobilitas pleraq; à Nauarræo deficiebat.

Valeuſia & Romanſa deduntur Confœderatis.

Sub finem Auguſti Dux Parmenſis, non ignorás Regis quàmplurimum intereſſe, vt arx Coeuardana, totius Friſiæ oſtium, & introitus, in fide maneat; expeditiſsimas aliquot legiones in tranſrhenanam prouinciam miſit: arcem hanc obſidione liberarent, hoſtemq́ue aut fugarent. Quæ cum eò veniſſent, inuenerunt hoſtem munitionib. & propugnaculis validiſsimis tectum, ad quem nullus patebat acceſſus. Quotidianis itaque velitationibus hoſtem eliciunt, & ad pugnam inuitant: ſed metuens ille, ſe ſuis vallis & munitionibus continet. Regij in pago Emlichom caſtra locarunt, nihilq; tantopere exoptabant, quàm vt pugnandi copia daretur: ſed propter paludem, quæ duo inter caſtra interiacet, Naſſouioſq; tuetur, difficilis erat, Regijs ad eos acceſſus. Interim ſæpe velitabantur.

Couerdæ ſubſidia mittuntur.

Germani, qui cum Anhaltio Principe in Galliam profecti erant, peracta expeditione ſua, & rude donati, ij qui reſidui erant quotidie domum reuertebantur: venit tandem & ipſe Princeps Anhaltius, cum equitibus, quos inedia & morbus ſuperſtites conſeruarat. In confinibus Palatinatus ſigna lacerarunt, & manipulatim ad ſua delapſi ſunt 22. die Auguſti Argentoratenſes 300. ex his equitibus ſacramento ſibi, ſub imperio Koteritio, obligarunt. Coegerunt & aliquot Gallos equites, quibus

Anhaltius cũ ſuis Germanis ex Gallia reuertitur.

22. Auguſti.

cubus ad prædas agẽdas vterentur. Sed & Anhaltum ipsum per litteras & internuncios sollicitarunt, vt ipse curam belli susciperet. Placuit Anhaltio Magistratus petitio; venit Argentoratum cum 100. equitibus, & belli Imperator declaratus est. Sed & quotidie plures vndique milites contrahebant. Initio Septembris Anhaltius lectis ex toto exercitu peditibus, equitibusq; aliquot centenis, Lotharingos ad pugnã prouocauit. Qui viso hoste & ipsi ad arma prosiliunt. Ventũ est ad manus, pugnatum arciter, donec tandem Lotharingi inferiores in fugam, ducentis circiter ex suis desideratis, acti sunt. Anno 1592.

Anhaltius militat Argentinensibus. 26. Augusti.

Eodem die quo hæc agebantur in Alsatia, in Hassia VVilhelmus Lantgrauius, princeps prudẽtissimus, doctissimus & insignis Matheseos amator, annos natus 71 rebus humanis subita morte excessit. Aberat fortè fortuna Mauritius, vnicus filius, summæ spei Princeps, in liberalibus artibus, aulica vita, & Principũ disciplina cura patris optimè enutritus. Paulò ante ex aula profectus erat ad baptismum infantis cuiusdam Anhaltij Principis, vbi cùm patris morbũ intellexisset, mox Cassellam reuersus, patrem mortuum inuenit. Fratribus VVilhelmi Ludovvico & Georgio res tardius, quàm potuisset, significata est. Quod Francus consilio quorundam Caluinianorum tribuit, qui paucos ante annos VVittenberga, Bremaq; pulsi, apud Principem hactenus latuerant. Quare exequias Principis non ausi expectare (fortè exequijs Saxonicis territi) paulò post suis conuasatis, duobusq; curribus impositis, Heidelbergam profecti sunt.

Mors VVilhelmi Lantgrauij Hassiæ 3. Septemb.

Sexto

Anno 1592.

Sexto deinde Septemb. Regij attractis aliquot machinis, in propugnacula Ordinum fortissimè irruunt. Defendunt hostes se acriter: vtrinq; cæduntur multi; 300. ex Nassouianis, ex Regis centum circiter & 20. Sed quia propugnaculum primarium multis machinis munitum erat, & qui illud tuebantur fortiter pugnarent, Regij cedere coacti sunt. Desperabant iam penè Regij de Coeuarda liberanda, tamen quotidie hostem lacessebant, & prouocabant. Cadunt vtrinq; plurimi: in Ordinum exercitu VVilhelmus Nassouius in pectore læthaliter vulneratus est.

6. Septemb.

Inopinato hoc euentu territus Comes Mauritius patruelem suum ad castrum cuiusdam nobilis. Ioannis à Steinvveg, non procul ab arce Coeuerdana deduci iubet: vt ibidem curaretur. Ipse quoq; eodem diuertit, mox suspicio orta est, Regios clam agere cum eodem Nobili, vt vtrumq; Comitem proderet. At priusquam, quod pactum erat, perfici potuit, res detecta est, Nobilisque ille captus, & in Hollandiam missus est. Cùm demum Mauritius videret Coeuerdam iam planè conuulsam, omnes turres, propugnacula, muros ac valla prostrata; armata initio manu illam expugnare statuit. Sed cùm postea secum perpenderet, magnâ fortitudinem & dexteritatem præsidiariorum, facileq; animaduerteret hoc sine cæde & sanguine suorum fieri non posse; iterum misso tubicine deditionem flagitauit: promittens, si arcem dedere velint, se illos liberè dimissurum: aut si qui velint Ordinibus militare, his se liberale stipendium daturum: videre namque illos: nec subsidia expectanda esse, nec se diutius tueri posse. Ad hanc

Nassou

Nassouij postulationem illius diei & sequentis noctis deliberatio peti ta & concessa est. Postri die responderunt obsessi; Quod si Comes omnes præsidiarios cum omnibus armis, impedimentis, omnibusque ipsorum bonis dimittere, & ad loca tuta per suos deducere velit, se munitionem dedituros Displicuit huiusmodi deditio in castris Ordinum plurimis. Mauritius tamen conditionem acceptauit, hoc solo excepto, fomite igniaria ac censa non haberent. Hoc pacto Regij arce egressi, Ordinibus illam 12. Septembris concesserunt. Anno 1592. *Coeuerda deditur 12. Septemb.*

Parmensis amissione præclarissimarum vrbium & arcium nihil mouebatur, siue quod mandatum hosti resistendi non haberet, siue quod fortuna maiorem illi gloriam, pluresque quàm habuerat victorias, inuideret; siue denique aliud quid in eius concilio agitaretur. Quam oportunitatem Ordines minimè negligebant. Occupata itaque Coeuarda, coactis militum Tribunis, concilioque bellico, deliberatum est, an exercitus in Lingenses ducendus esset, an miles in hyberna dimittendus. Placuit prius consilium; in Lingensem Comitatum omnis belli vis translata: fortè quia Præfectum negligentiam Regiorum videntem, abiecta spe, oppidum & arcem dediturum sperabant. Sed cum eum forti animo se ad resistendum hosti parare viderent, captis aliquot in via minoribus munitionibus, in Hollandiam, aliaq; loca sibi subiecta, militem, victorijs quas adepti erant hoc anno contenti, remiserunt.

Trepidabat hoc tempore tota Vngaria propter minas Turcarum & maximos qui ab illis fiebant

anno. 1592.

fiebant belli apparatus. Beglerbeglius Græciæ collectis vndiq; copijs cum magno exercitu Vngariam, versus properabat. Nec minus Croatiæ, Carinthiæq; oppidis & munitionibus minabatur Bassa Bosniæ. Vngari ab Imperatore, Imperator à Principibus Germaniæ auxilia petebat. Varij fiebant conuentus in Boemia, Vngaria, Moratia, Silesia; omnium penè Principum Germaniæ Legati ad Cæsarem mittebantur. Consilijs omnia erant plena, sed auxilia tarda. Principes quoq; Italiæ Imperatori subsidia pollicebantur, & Dux Mantuę Pragæ quotidiè expectabatur. Varij rumores, nunc læti, nunc tristes adferebantur. Nuntius Constantinopoli veniens spargebat in vulgus, Imperatorem Turcicum defunctum, pestem in Turcia omnia depopulari. Alius nunciat Persa postquam audisset mortem filij sui, qui instinctu Turcæ paulo ante à proprio ministro erat interfectus, inducias rescidisse: nouum bellum Turcis denũciasse. Spes itaque & metus omnium Christianorum animos suspensos habuit. Interim omnes, quæ colligi potuerunt copiæ in Croatiam mittebantur, vt munitiones aduersus immanem Barbarum tuerẽtur. Decimo octauo Septemb. Turcæ cum omni apparatu bellico, intempesta nocte, munitissimum locum Taggay obsederunt. Sed cùm viderent irritos fortè suos conatus, minorem Gomorram tentarunt; quæ cùm palustri loco sita sit, facilè defendi potuit. Famæ tamen dederunt Turcæ, velle se hyemẽ expectare, quo tempore concretis frigore paludibus, facilior est ad oppidum aditus. Sed & Budensis Bassa eodem quoq; tempore cum tribus legionibus in fines Christianorum venit; &

Taggay à Turcis frustra tẽtatur, & minor Comorra.

post

postquam vrbes, oppida, arces ac munitiones, limitaneas lustrasset. Eudam reuersus est. Vicesimo demum sexto. Septemb. Bassa Bosnensis cum exercitu suo progressus, inter culpã & Sauum fluuios castramentatus est: atque beneficio noctis in insulam nobilissimam Turopolim partem exercitus traducens, eam spoliauit, & ferro atque igne omnia circumquaq; deuastauit: Domino Bonnio, cui hæc insula paret nequicquam eam defendente. anno. 1592. *Bassa Bosniæ Turopolim in sulam vastat*

Hoc eodem tempore Franciscus quidam Puccius, Filidinus, in Germaniam venit, ibiq; pernicio-sissimas hæreses, quas partim ex antiquis Pelagianorum & Chiliastarum erroribus desumpsit, partim nouas commentus est, easque longè & latè pluribus per vrbes & prouincias sparsis libellis disseminauit. Vt autem nulli non cognitum sit, quid non humana audeat temeritas, præcipua libelli illius capita recensebimus. Primò asserit Christianam fidem ad æternam salutem necessariam non esse. 2. Fidem naturalem ad æternam salutem sufficere 3. Fidem naturalem iustificam, saluificamque esse. 4. Eandem fidem antè rationis abusum omnibus & singulis inesse 5. Spem itidem & Dei amorem naturalem esse, omnibusque & singulis, prout fides inesse 6. Peccatum originale nullum esse. 7. Baptismum ad salutem necessarium non esse. 8. Nullum item aliud Sacramentũ. 9. Sacramenta esse tantùm contractus & instrumenta repræsentantia & obsignantia Dei beneuolentiam, qua ille homines, antequam Sacramenta suscipiantur, imò ab omni æternitate, complectitur. 10. Extra Ecclesiam quidem visibilem esse, sed in- *Nouus Pelagianus exortus.* *Paradoxa Filidini Pelagiani.*

Anno 1592.

uisibiliter errare posse. 12. Gratiã Christi omnibus & singulis hominibus (quatenus homines sunt) non sufficientem tantùm, sed & efficacem esse: quod toto penè libro docet. 13. In vltima mundi periodo aureum fero in terra seculum mille annorum. 14. Ante hos mille annos à summo Patre inter bonos & malos spiritus iudiciũ exercendum. 15. Iudicium illud annos complures duraturum. 16. Ante annos eosdem mille Antichristum venturum, & Ecclesiam Dei persecuturum, Ioannis quoq; Enoch & Eliæ ministerium septem annos duraturum 17. Ante eosdem annos mille igne diuini iudicij mundum excoquẽdum, & defœcandum. 18. Ante eosdem mille annos resurrectionem primam, id est, quorundam tãtum iustorum futuram. 19. In illis mille annis iustos, qui resurrexerint, hic in terra cum Christo regnaturos. 20. Eosdem ita regnaturos, vt futuri sint immortales Pontifices & Reges. 21. Tunc etiam Apostolos super duodecim sedes sedentes, duodecim tribus Israel iudicaturos. 22. In ijsdem mille annis Ecclesiæ Christianæ statum, qui nunc imperfectus est, fore perfectum. 23. In ijsdem implendũ, quod nunc in oratione Dominica petimus; *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra.* 24. In *ijsdem multa* vaticinia Prophetarum, Apostolorum ac Sybillarum cõplenda, quæ Hierosolymæ, terræ sanctæ, & Ecclesiæ fœlicitatem promittunt. 25. Post hoc aureum mille annorum seculum. Satanam soluendum, qui contra Ecclesiam armabit Gog & Magog, omnes ingratos & Dei contemtores. 26. Cum his ingratis Satanam tandem perimendum. 27.

Tan-

Tandem resurrectionem secundam omnium & singulorum hominum futuram, quam sequetur iudicium, 28. In hoc vltimo iudicio omnes homines ex eorum factis naturalibus iudicandos. 29. Singulis hominib. beatam resurrectionem & liberationem à mortalitate, quæ per Adami peccatum humano generi superuenit, efficaciter destinatam esse 30. Homines quamuis Deo diffidant & peccent, nullis tamen donis ac beneficijs ab illo acceptis spoliari. 31. Augustini fidem, fidem esse Punicam. 32. D. Augustinum aliquãdiu satis bene cum patribus consensisse, at iam seniorem cũ Pelagianis differentem à patribus & semetipso desciuisse. 33. Sacros Doctores D. Augustini authoritate territos aliquid humani passos esse. Anno. 1592.

Hæc sunt Paradoxa Filidini, quæ sese cum multis in Anglia, Gallia, Hollandia, & Heluetia contulisse gloriatur, & à multis dicit approbata. A Rege quoq; Nauarræo se auditum, illumque à se magnam in spem erectum narrat, fore, vt Sanctissimi in Christo Patris ac Domini Clementis VIII. nouæque huius doctrinæ auspicio, quæ orbem perturbant tempestates ac procellæ omnes tranquillentur. Se quoque cum plurimis Theologis, etiam apud maximum Præsulem in Gallia congressum refert, multisque non infimæ notæ hominibus os obturasse, & è manibus calamum excussisse. Hos errores tandem typis excusos Clementi VIII. Pontifici maximo dedicat, illusum sanctissimum patrem, summumque gregis Christi pastorem nominat: illi post sanctorum pedum oscula optima quæque precatur. Ab illo Apostolica trutina thesaurum suum perpendi rogat.

Astutiæ Filidini Libellæ suum dedicat Rom. Pontifici.

ANNO 1592.

Fol 3.

Fol.5. Iudicio Roman. Eccles. omnia subijcit.

Fol.86.

Fol.87.88. Lactantia Filidini de Spiritu S. quæ habet.

Fol 6.

Fol.67. 71.

Fol.7.

Fol.94.

Omnia, inquit, *subijciuntur iudicio S. Catholicæ, Romanæ Ecclesiæ* Catholicum se nominat Assertionem suam vocat Catholicam. Et alibi; *Respondemus*, ait, *nos Catholicè viuere, & ab omni hæresi & factione, plus quàm à morte abhorrere.* Et quamuis pleraq; sua à Tridentino Concilio damnata sciat; Se tamen Catholicæ Ecclesiæ optimum, liberrimumque indicium optare & quærere asseuerat. Cùm tamen postea ad suum, suiq; consimilium, quos spiritales nominat, tribunal omnia reuocet, vt non Ecclesiæ se, sibi Ecclesiam subijciat. Præterea & Spiritum S. vbique iactat: *Nobis*, inquit, *dedit Deus spiritum discretionis quo percipimus historicam interpretationem sermonum eius, & corpus cælestis doctrinæ.* Rursus; *Nobis affulsit Euangelium. Nondubitamus sententiam nostram persuasam nobis esse à Patre cælesti: aduersariorum verò à carne & sanguine illis esse reuelatam. Id nobis faciendum persuadet sine hæsitatione Spiritus sanctus.* Præfationis ad lectores exordium quàm est prætextatum? *Franciscus Dei & Christi seruus, vocatus ad annunciandum Dei iudicium, & donatus sancto discretionis spiritu, ad diuinos sermones interpretandos, omnibus hominibus qui rationis vsum habent.* Et ne parum extremis prima congruat *Denique, ait, certi sumus hanc interpretationem nobis diuinitus patefactam, vbique obtenturam, quidquid aduersarij moliantur &c.*

Super hoc nunc plangite & vlulate omnes noui Christiani, nuper è terra nati: incedite spoliati & nudi, facite planctum velut draconum, & luctum

ctum quasi strutionũ, quia noua lux venit in mundum, nouum Apostolum misit Dominus, qui euellet & destruet, disperdet & dissipabit Legem, Fidem, Euangelium & Ecclesias vestras: nouam autem plantabit, & ædificabit. Quia verbum Domini factum est ad illum; sanctus Dei homo Spiritu Sancto inspiratus loquitur. Nolite ridere; nolite illum contemnere; cur enim huic Apostolo minor quàm cuinis alij ex vestris Apostolis, Euangelistis & Doctoribus fides est habenda? Non minori cum fiducia loquitur quam illi; eadem habet sui Apostolatus litteras, quas illi: eadem testimonia, eadem sigilla, eadem operatur miracula eodem de doctrinæ suæ perpetuitate vaticinatur spiritum. Sed quid hæc ad institutum nostrum? historiam, non Satyram scribimus. Anno 1592.

Armatus itaq; Franciscus hic Filidinus his suis libellis hoc mense Septemb. Francofurtum ad nundinas venit, vbi & nobis visus est, exemplaria priuatim iunioribus bibliopolis diuendens. Inde digressus ad alias vrbes, & oppida profectus est, eosdem suos libellos quibusuis dãs donans, obtrudens donec tandem Herbipolim venit. Cumq; sibi ad Reuerendiss. & Illust. Principem Iulium, eius loci Episcopum aditũ patefacere percuperet M. Danielem Stauberum, noui Monasterij Canonicum & custodem rogauit; Quid hominis Princeps esset? suumne ipse iudicium sequeretur, an ab alijs penderet? Cumq; audiuisset ingenio esse magno, acri iudicio, præstanti doctrina Principẽ, Catholicum tamen, qui suum in fidei mysterijs intellectum colligari, & quasi captiuum teneri inobsequium Christi non inuitus pateretur; desperato

Filidinus venit Francofurtum, & Herbipolim.

Anno. 1592.

rato, quem prensabat, congressu, abijt. Norimbergam inde profectus cum nobili & clarissimo Domino Carolo Imhoffio, patricio, viro Catholico colloquendi tempus sæpe captauit: semel tandem inuenit, sed cùm quam sibi ipse iudicandi licentiam sumpsisset, aliosq; sumere vellet, indicasset, cùm ne publico quidem Ecclesiæ consensu, qui ex Concilijs, ex ipsa antiquitate obijciebatur, vllo deuinciri modo vellet, ilicò ab illo reiectus est. Ex eo tempore Rudolphus Illustris Comes ab Helffenstein &c. Sereniſſimi Ducis Bauariæ Consiliarius, optauit fore aliquem, qui pestilentissima hæc dogmata contrario scripto refelleret; satius esse iudicans plagam auerti, quàm vulnus curari. Inuentus est tandem Nicolaus Serarius, Societatis Iesu Theologus, & in Academia Herbipolensi Theologiæ professor; qui vt Comitis voto satisfaceret, non minus eleganti, quam docto edito opusculo libellum Fidilini infirmauit.

Turca Kanysiam obsident

Circa finem Septemb. Præfecti munitionum Zigethi Mahatti & Copani, cum Domino Quinqueclesiarum, alijsque magni nominis Turcis, magnoque exercitu inter Zigethum & Rodestum castrametati sunt. Paulò pòst fama in aulam Cæsaris allata est, à Kanysiã, nõ procul à Mura fluuio, Turcis obsessã oppugnari & periclitari. Turcã in itinere plurimos Christia nos cepisse, & Constãtinopolim misisse, vt deuẽdãtur. Habere in exercitu 160. hominũ milia. Sed quia Christianorũ exercitus quotidie augebatur, vt qui iã 60000. sub signis habebãt, plerique bene sperabãt. Ernestus Archidux imperator exercitus, & Marchio Archiducis Ferdinãdi filius eius vicarius renũciati, per hos dies in exer-

Turcarum & Christianorũ exercitus quantus.

exercitum profecti sunt. ANNO

Tertia die Octobr. (vobis, vrbique vestræ, Domini Detteni, funesta atroque lapillo notanda) mane, hora circiter 9. in vrbe Monasterienſi, in ea regione, quæ Transaquenſis dicitur, ab Alpha fluuio, hanc ab altera vrbis parte diuidente, horrendum excitatum est incendium: quod ortum suum habuit à foco pistoris cuiusdam, qui ignem suum incautè custodierat; paucisque horis ducentas circiter ædes, cum parte Occidentali Monasterij Nobilium Virginum, & porta, cui a Cruce nomen est, per quam vrbs tempore Anabaptistarum prodita erat, & hactenus semper clausa fuerat, absumpsit. Magna erat in vrbe trepidatio: non minus metuebatur hostis, seu proditor foris, quàm incendium intus. Quare prudentissimus Senatus consultè admodum decreuit, nemo in vrbem admitteretur, nemo vrbe egrederetur, mœnia quoque & stationes omnes diligentissimè iussit custodiri. Interea dato sine intermissione è turri lugubri signo, viri & fœminæ, cuiuscunque ætatis & conditionis aquam hauriunt administrant, vbi densior ignis infundunt, ædes conuellunt, harpagonibusque tecta detrahunt, solo sternunt; in ipsum incendium prosilientes, nihil non agunt, quod ad restinguendum ignem conducere putabant. Magna erat hic fidelitas & diligentia studiosorum, quorum magnus in ea vrbe ex vicinis locis sub ferula patrum Societatis Iesu militat numerus. Cæterùm tam sæuum fuit hoc incendium, tantaque ea venti illud magis magisque excitantis vehementia, vt omnibus his viribus & conatibus nihil,

1592.

Horrendum incendium in vrbe Monasterienſi ortum.

Annó 1592. hil, aut parum paciſci potuerit, incredibilis theſaurus hoc igne conſumptus eſt, non oppidanorum tantùm, ſed & agricolarum, qui ob cõtinuas militum & prædonum excurſiones, omnem ſuppellectilem, annonam, frumentumque ſuum in hanc vrbem, tanquam in locum tutiſsimum tranſportarant. Tandem cùm vrbs à Monaſterio Roſendalenſi vſque ad portam prædictam hoc incẽdio prorſus eſſet deformata, quin & homines nõnulli æſtu fumoque ſuffocari, ſingulari Dei beneficio ventus mutari cœpit: alioquin metus erat, ne ignis totam vrbem depaſceret. Cœpit itaque incendium minui; donec tandem & diligentia ciuium, & deficiente fomite prorſus extinctum ſit. Minor fuiſſet hæc clades, niſi ignis ad occultum quendam locum penetraſſet, vbi puluis tormentarius ſeruabatur: qui incenſus ædes ipſas, cum omni materia, quæ iam ignem conceperat, ab ipſis fundamentis euulſit, & longè lateque diſiecit.

Circa idem tempus non minus triſte ad aulam Cæſaris allatum eſt nuntium. Nam cum paulò ante Cæſar ſeptem armatorum millia ſub Ducib. Thoma Artelio Beano, Georgio Gleichſpachero, & Dionyſio Denkio in Croatiam ad Turcarum impetus, nouaſque victorias retardandas miſiſſet, magna ſpes erat felicis alicuius expeditionis. Sed cùm ijdem inter VVihitſch & Carolſtadium caſtrametati eſſent, cumque 27. Septemb. aliquot Turcæ ex eminentiori colle exercitum noſtrum luſtraſſent, noſtrique quinquaginta equites emiſiſſent, exploratum vbi exercitus hoſtilis eſſet, & quid ageret, plures autem Turcas quàm quos in

colle

colle viderant non inuenissent, Christiani securè in castris viuebant excubias negligenter habebãt, nec hostem timebant. In hac securitate hostis eximprouiso adest, & cum centum millibus armatorum in ipsas excubiarum stationes irruit. Pedites Christianorum mox in armis sunt, exoritur clamor, ad manus venitur, & ab hora secunda pomeridiana vsq; ad sextam fere vespertinam acerrimè pugnatur, vtrinq; cadunt plurimi. At multitudine hostium tandem circumuenti Christiani succubuerunt. Præfecti videntes periculum, fuga elapsi sunt, cuius infidelitatis postea capti & capite plexi, iustas pœnas dedêre. Gregarij milites pene omnes trucidati sunt viri & mulieres capti, viui in partes dissecti sunt: pueri more canum à pedibus suspensi, quatuordecim currus capitibus cæsorum ad vicina loca miserunt, castra spoliarunt, in quibus sexaginta dalerorum millia, quæ ad solutionem militum ante biduum Lintzio allata erant, inuenerunt. Magna fuit hæc Turcis victoria: sed multo sanguine comparata. Scribunt enim nonnulli 12000. & quingentos ex illis periisse; nec difficile fuisset ijs victoriam perripere, nisi infinita illorũ fuisset multitudo, nostris nullo modo comparanda.

Anno 1592.

Clades Christianorum à Turcis.

Nono die Octob. equites Argentinenses pagum Rheinouiam occuparũt, spoliarunt, & quod è nupero saluum permansérat incendio, igne absumpserunt. Pastorem, Sacerdotes, Prætorem & multos rusticos ceperunt, reuinctisque post terga manibus binos & binos in Rhenum præcipitarũt ac suffocarũt. Eodem fere tempore Sabaudiæ Dux Fayensam in Prouincia frustra tẽtauit, vti & Landigiue-

Anno 1592.

digiuerius ex parte Nauarræi Pinarolam & Susam in Sabaudia. Lipsiæ quoque eodem die 9. Octo noua instituta est, sed particularis, visitatio: multi Caluinianæ Religionis suspecti examinati, officijs suis priuati, & Iurisconsultis nonnullis praxis interdicta est. Inter alios quoque Consul quidam à Visitatoribus citatur, vt causam reddat, cur in suo cõsulatu multos libros, inter quos serpens antiquus, seu Sacramentariorum Dæmon Lupus excoriatus, prodromus, Caluinus reiiuuus, Rationes cur Lutherani Sacramentariorum Caluinistrarumq; falsam doctrinam non deberit approbare, & multos similes interdixerit, vendiq; prohibuerit. Sed ad Turcas reuertamur.

Quòd in Catholicis reprehensum, ipsi faciunt reprehensores.

Turcarum Progressus.

Eodem etiã die Turcicus exercitus intempesta nocte castrum S. Georgij, admotis muro scalis superarunt, & occuparunt, omnes cuiuscunque ætatis in eo repertos trucidarunt, exceptis 150. quos captiuos abduxerunt: Castrum deniq; ipsum exusserunt. Sub id Bega quidam à Christianis capitur, qui Carolstadium ductus, & examinatus, cõfessus est, Bassam Bosniæ septem Sangiacos, seu Begas in exercitu habere, & triginta sex millia equitum peditumque in eius castris esse. Ipsum autem Bassam in noua munitione Petrouina ad Culpam se continere: decretum illi esse ibidem duobus adhuc mensibus permanere, & quotidianas expeditiones in vicinas prouincias facere, nec ab armis recedere, priusquam tota ista regio ipsius imperium susceperit, aut funditus igne ferroq; ab illo deuastata sit. Hanc ob causam plura tormenta bellica VVeinalucam missa, & plaque Nobilium habitacula in Culpæ ripa flam-

esse assumpta. Hæc ille. Sed & prope Sisseg multæ Turcarum copiæ hoc tempore viri sunt, quæ sexcentos circiter Christianos abduxerunt. Non multos post dies Bassa Budensis cum quinque millibus equitum & peditum, cisisque mille Albam Regalem profectus est, ex qua vrbe bis mille alios milites legit, quos suis adiecit, & cum hoc exercitu, quatuorque Begis Vesperinum contendit. Quod autem illius fuerit institutum nescitur, licet famæ datum sit, eum Domini Nadasti ditiones depopulari voluisse. Neque hic malorum finis. Miserant vicinæ prouinciæ præsidijs Christianorum quæ in Croatia erant 300. currus omni genere comeatus onustos, qui omnes etiam à Turcis intercepti sunt. Anno. 1592.

Denunciato-riæ Solymãi ad Imperatorem Rudolphum litteras

Circum ferebantur hoc tempore litteræ Imperatoris Turcici ad Rudolphum Cæsarem typis excusæ; quibus illi apertum bellum denunciabat. Quas cùm videam apud multos fidem inueniisse, etsi mihi semper suspectæ fuerint, hoc loco tamen ponere non grauabor. Magni in cælo imperantis Dei gratia nos Solymannus, solus in terris Deus, magnus, potens & inuictus Imperator, & omnium Regum mundi Rex, ab Oriente vsque in Occidentem Imperator, & Soldanus Babyloniæ, Dux Nobilissimæ stirpis in Prodia & Armenia, &c. Victor & Triumphator Hierosolymorum, Dominus & assessor sepulchri Crucifixi tui Dei, euersor & iuratus hostis Christianorum, omniumque qui se Christianos nominant, denunciamus vobis omnibus, omniq; Germanicæ nationi tuas partes sequēti; Magno quoq; Pontifici, Cardinalibus & Episcopis omnibus, vestrisq;

Anno 1592.

vestrisque filijs & subditis: denunciamus, inquam vobis seriò, idq; per coronam & imperium nostrum, apertum bellum: significamusq; vobis, decretum nobis esse cum tredecim Regnorum viribus, aliquot centenis milibus hominum, peditibus & equitibus, Turcis & Turcicis armis, imò cũ omni nostra potentia, qualẽ neq; tu, neq; tuorum aliquis vidit vel audiuit vnquam, multo minus expertus est, in vrbe & Metropoli vestra Vienna vos obsidere; vos, omnesque vestros quicunque opem tulerint ferro, igne & latrocinijs persequi: omnia exurere, depopulari, trucidare, & crudelissima quam excogitare possumus morte excarnificare: captos Christianos iugulare, aut in perpetua miseria captiuos, vti canes detinere: filios & filias vestras quamcunq; formosos & generosos, adactis per corpora stipitibus imponere, ad vestram, vestrorumq; ignominiam prægnantes fœminas & fœtus in earum virib. instar canum occidere. Constitutum enim nobis nunc seriò est, vos, qui in exigua imperatis regione, in ordinem redigere, vi & virib. Regnum vobis adimere, claues quoq; & Sedẽ Romanam cum aureo sceptro opprimere, ex stirpare, dissipare. Experiemur an vobis Iesus Crucifixus vester opitulabitur, faciet-que quod vestri vobis persuadent, credite huic, eiq; confidite, & videte quomodo legatos suos, qui in illum crediderunt, adiuuerit. Nos enim nec credimus, nec tam in comprehensibilia possumus audire, eum iuuare posse, qui ante tot secula mortuus est, nec seipsum iuuare potuit; quemadmodum nec patriam, nec hæreditatem suam à nostro potuit vindicare imperio, cui nos ante tot secula

domi

dominamur. Hæc vobis,ô terrarum inopes significare voluimus,vt Principes & vos vna cum confœderatis vestris sciatis, quid vobis agendum & expectandum sit. Datum in potentissima ciuitate nostra Constantinopoli,quam Maiores nostri vestris vi & armis extorserunt,expulsis,captis & occisis inde ciuibus,eorum vxoribus, liberisq; partim cæsis,partim ad finem vsq; in perpetua ignominia pro nostra libidine reseruatis; an. æra. nostræ 28. absoluti Imperij.nostri 92. Subsigna ipse Solymmannus. Anno. 1592.

Siue istæ literæ sint veræ & authenticæ,siue fictitiæ,mentem tamen & propositum Barbari eleganter depingunt, quod aliud non esse nemo est qui non facilè ex præcedentibus bellis perspiciat. Expergiscimini itaque Principes Christiani, ponite inueterata odia, ambitiones, contentiones: cessent inter vos intestina bella: miseremini animarum, pro quibus Christus tam dira passus est. nolite fœdera inire & paciscí cum hoc Tyranno, cui nulla maior voluptas potest obuenire, quam vt manus suas in sanguine lauet Christiano. Nolite hanc Bestiam prouocare,& nunc in hunc,nũc in illum Principem incitare. Vbi illos,in quorum capita vos illum inuocatis(quod Deus auertat)sumpserit,an vobis parcet, qui nihil quærit præter gloriam sui maledicti Mahometis nihil præter ignominiam Christi nostri,nihil pręter totius orbis Imperium, an vos in angulo vestro latitare, Christum vestrum colere, vestris dominari permittet? Credite mihi,surget alius Pharao,qui non agnoscet Ioseph,nec erit sors vestra melior eorũ, in quos nunc illum peruocatis.Exemplo vobis sit

Anno 1592.

vna Palæologorum familia, vna Peloponesus, seu Morea. Turpissimum est, nobilissimum illud Imperium Christianum, quod Constantini, Theodosij, Heraclij &c. tot sumptibus, laboribus, & cædibus condiderunt; quod Caroli, Pipini, Ludouici, Ottones tam fortiter defenderunt & auxerunt; quod Petri & Pauli; Cæcilij & Hesichij; Saturnini & Dionysij; Palladij & Augustini; VVillebrordi & Bonifacij; Materni & Chiliani; VVillehadi & Ansgarij; Adalberti & Stanislai; Cyrilli & Methodij, (qui duo posteriores hāc orbis patrem, in quia nunc furit hic Barbarus, ad fidem Christianā conuerterunt) prædicationibus, miraculis, pietate vitæ, & sanguine suo illustrarunt; turpissimum inquam est illud Imperium ob intestinum odium, priuatum commodum, turpem ambitionem crudelissimo Tyranno, cani non homini prodere, & vt offam obijcere. Vestra enim bella illius pax est, vestra incommoda illius commoda. Ipse spectator hactenus sedit otiosus, & hostium suorum vires debilitauit, vos illi gratis absq; vllo stipendio militatis, expensas quas facitis, omnes in gratiam illius facitis. Si viceritis, vincit ille; si victi fueritis triumphat ille: ex vtraq; fortuna vestra semper illi quæstus est & compendium. Cùm autem Christianissimum opibus & viribus exhaustum animis dissentientibus in varias partes dissectum, & bellis fatigatum inuenerit, metuendum, ne ille tum vires suas omnes collectas & integras in nos conuertat, facilióq; negotio in perpetuam & miserabilem nos seruitutem abducat: vbi non erit melior imò deterior fortè principis, quam subditi conditio. Sed reuertamur vnde sumus digressi.

Cyrillus & Methodius Sclauoniam Bosniam & Croaciam conuerterunt.

Pe-

Anno 1592.

Postquam Rudolphus Imperator felices Turcarum progressus & victorias cõsideraret, eorum vires quotidiè crescere, Bassam Budẽsem se quoq; ad nouas expeditiones parare intelligeret, nec scire posset, quid meditaretur, aut quo belli moles verteretur, scripsit ad omnes Imperij Principes & ciuitates, præsens illis in quo versaretur tota Germania periculũ significans, nisi ope & auxilio limites suos tueantur. Germani partim vt Imperatori obedirent, partim vt periclitantib. Christianis subuenirent, militem & pecuniã collegerũt, non tantũ Catholici, sed & Protestantes. Hanc ob causam Dux Fredericus VVilhelmus, Administratõr Saxoniæ in 19. Octob. diem omnes Ordines patriæ conuocauit, significans illis per litteras irruptiones Turcarum in Vngariã & Croatiam, locaq; finitima per Bassas Offensem, Bosnensem, Déschvvartium, & Beglarbegium Græciæ factas, eos contemptis inducijs vrbes, oppida, arces, munitioraq; loca non contemnendo numero occupasse, pomœria sua ad quadraginta milliaria Germanica extendisse, incolas partim trucidasse, partim in seruitutem misisse; optima istorum locorum præsidia strauisse, eò ventum esse, vt nisi iusto exercitu obiecto eorum successus retardentur, fore vt breui pedem in ipsam Germaniam inferat, Crainiam & Stiriam occupet, ibi sedem constituat, inde bellum gerat, & quotannis maiores per Imperium progressus faciat. Id impedire soli Imperatori esse impossibile, & totius Christianitatis interesse. Petere itaq; Cæsareã Maiest. vt Ordines Imperij æraria sua nunc aperiant; pecu-

Cæsar à Germanis auxilium petit.

Anno 1592. pecuniamque singuli pro more consueto mittãt, vt huius Tyranni violẽtiæ resistatur, triginta millia peditum & equitum recenter conscripta iam ad hostem iter parare, vt se veteranis iungãt: colligantur itaq; stipendia, quibus tantus exercitus alatur. Se itaq; petere vt dicto die Lipsiam Ordines veniant, interque se consulant, quibus modis Imperatori, totiq; Christianitati sine vlla aut excusatione aut protractione (periculum enim in mora esse) succurraretur. Quod Saxo, idem fecerunt alij quoq; Principes & Ordines Imperij, Pontifex etiam, Rex Hispaniarum, & Principes Italiæ imò totus orbis Christianus, Gallo & Anglo exceptis, ad hanc expeditionem, necessariamq; defensionem liberaliter contribuerunt.

In Gallia Dux Lotharingiæ Florimontium obsederat. Qui in oppido erant, cùm sese impares viderent Ducis viribus, litteras ad Nauarræum dederunt; cupientes vt veniens cum exercitu hostẽ à mœnibus repellat, maioraque præsidia mittat, alioquin se cum hoste pacisci debere. Misit itaq; Nauarræus Bullonium, qui & Comes Turainiæ, cum expedita equitum peditumq; manu. Hic Lotharingi castra adortus, breui totum exercitum dissipauit, fugauit, trucidauit, vrbemq; ab obsidione liberauit. Periêre in hac pugna multi ex Lotharingis Præfecti, viri in armis exercitati; multi capti, multi post captiuitatem dimissi. Germani præsertim, quorum 5. signa Dux in castris habebat: ceteri fuga elapsi sunt. Cæsorum numerum quidam aiunt fuisse 1400. Turainius, qui in prima literat acie in vultu læsus erat, sed grauis periculo susq; in latere: quam ob causam receptui cecinit, ho-

nit, hostemq; longius insequi prohibuit.

anno. 1592.

Parmensis ex Aquis Spadinis Bruxellam reuersus, mox Regulum Scampanium vrbe primùm, in de cunctis Philippi Regis prouincijs exire iussit. Quæ huius exilij causa fuerit, varij variè narrant, communis autē opinio fuit, eum quædam de Parmensi in Hispanias aut alio scripsisse, quibus honori Ducis nō parum detrahebatur. Paruit Scampanius & in Burgundiam, patriam saam profectus est.

11. Octob. Parmensis Bruxellas redit. Champagny exilium.

Visitatores Saxonici hærebant adhuc Lipsiæ, quotidie magis magisq; in Caluinistas inquirentes. Ne autem oppressa iam hæresis repullularet in posterum, sed vnà cum nomine memoria periret, Bibliopolas omnes in Curiam vocant, eisque sub pœna grauissima præcipiunt, vt omnes libros Caluinianos, præsertim autem Bremensium, Herbornensium, Neustadensiū & Heidelbergensium Theologorum ex officinis suis eijciant; nullos denuo in vrbem inferant, nulli vendant, nisi fortè cuiquam data esset specialis à visitatoribus licentia. Circa hæc etiam tempora & in quibusdam locis mense præcedenti per pleraq; Germanię loca institutum, vt populus circa meridiem pulsu campanæ ad templa conuocetur, ibiq; orationes contra Turcam pro Christiano populo fiant, Psalmiique nonnulli decantentur.

16. Octob.

Laudatur antiqua Ecclesiæ cōsuetudo.

Sub id noua in Colonienſi Diœceſi inter Electorem & Comitem de Salms, Dominum de Rifferscheit exorta est dissensio. Cùm enim hic tempore belli Colonienſis inter Bauarum & Truchsesium Bauari partes sequeretur, Nuenarius verò Truchsesij, Bedburiam, oppidum Nuenarij occupauerat,

Bebbur obsidetur.

Anno 1592.

pauerat,& huc vsq; suo præsidio defendebat. Moritur interea Nuenarius, qui postea Ordinibus Belgicis militauerat, & Ordinum res meliori loco quam solent esse cæperũt, vt externis etiã Principibus imperare audeant, armaq; ferrum & ignẽ minentur, ni pareant. Captauit hanc occasionem Vidua Nuenarij, & Comitis quondam Hornani, instititq; Ordinibus, vt à Capitulo Colonienſi & Electore restitutionem huius oppiduli, cum omnibus fructibus hactenus perceptis postularent. Obtinuit mulier quod voluit. Scribuntur ad Capitulum armatæ litteræ, Comitem ad restitutionem cogi petunt. Quod nisi fiat, se vi & armis oppidum ei ablaturos, quod sine maxima Diœceseos pernicie fieri non posse protestabantur. Territi his minis Capitulares, rem omnem Electori perscribũt, qui suo & Capituli nomine Rifferscheitio præcipiunt, vt præsidium suum oppido euocet, alioque deducat. Cumq; ille non pareret; Elector Dynastam Bornheimensem cùm aliquot militiæ præfectis & peditum copijs eò misit, qui oppidum vigesimo die Octobris obsederunt. At Comes hac obsidione contempta suæ causæ defensionem prosequebatur.

26. Octobris

Rosenbergij Proregis Boemiæ exequiæ.

In Boemia sub finem Augusti obierat *magni nominis vir VVilhelmus Rosenbergius, eius Regni* Prorex. Cumque funus eius aliquot septimanis in Monasterio S. Georgij Pragæ nocte dieque a Clericis, vigilias, precesque legentibus & canentibus esset custoditum, tandem sub finem Octobris cum magna pompa ex arce in templum D. Thomæ deductum est. Præcedebant studiosi omnes, qui literis sub patrib. Societatis Iesu operam dabant

dabant vnà cum confraternitate B. Mariæ Virginis. Inde pauperes ducenti atris induti vestibus, & faces circumferentes. Illos sequebantur omnes domestici, atris, rubeisque crucibus signati. Post hos Clerus omnis cum Abbate Strohouiēsi. Illum sequebantur quatuor equi, tres holoserico, & quartus panno tectus. Iuxta primum, vexillum cum insignibus domus Rosenbergicæ, iuxta secundū vexillum cum aureo vellere, quo ab Hispaniarum Rege donatus erat, iuxta tertiū lugubre vexillum ferebatur. Post equos alij Comites & Barones auream lanceam, aureum vellus, & varia insignia Rosenbergica, galeam, scutum, &c. portabāt. Inde funus, & post funus Petrus Rosenbergius, omnisq; nobilitas aulica sequebatur, & post illos vidua à duob. nobilibus deducebatur, quam totum gynecæum est subsecutū. Tandem tali cum pompa funus vrbe eductum, centum cisijs Grenouiam deductum, & regio more in Rosenbergense monumentum illatum est. Anno 1592.

Argentoratenses & Lotharingi bellum adhuc inter sese ducebant, Lotharingi nunc victi, nunc victores, cùm in pagum quendam prædatum excurrerāt, Anhaltio proditi, ab eodē primo Nouēb. 400. equitib. & 300. peditib. in fugam conijciuntur. Intellexerat Anhaltinus eos numero esse paucos; præmisit itaq; Codtvvitzium, imperterritum militem, cum 50. equitibus, qui eos eliceret atque prouocaret, & cùm ad manus ventum esset, ipse cum ceteris aduenies eos cingeret. Sed fefellit eum opinio. Codtvvitzius enim cùm longius prouectus esset, à Lotharingis circumuenitur: capitur ipse, & multi ex suis cæduntur 1. Nouemb.

Anno. 1592. Dum pars reliqua adhuc in feruore pugnæ est, accurrit Anhaltius, periclitantibus opem laturus. Sed visus cum copijs suis est à Lotharingis; qui in fugam sese coniecerũt. Insequitur eos Anhaltius, & in fuga quatuor ex hostibus comprehẽdit. Alij cum Codtvvitzio captiuo periculum euaserunt. Paulò post Lotharingi VVangem occupant. spoliant, & incendio deformant. Post biduum Argẽtinensium prædones, qui in munitione Herrẽsteinia erant, mercatores aliquot Florentinos, Italos, qui ditissimas, pretiosissimasq; merces sericarum holosericarumq; vestium, & alia cimelia secum vehebant, miserè spoliarunt. Adeo nihil tutum est, vbi Martis dominatur licentia. Dum sic vltro citroq; patriam Argentinensem & Diœcesim depopulantur, tandem Anhaltinus, postquam iam ante diribitorium Lotharingensium turbasset, & aliquot tyrones trucidasset, collectis omnibus copijs de serio bello gerendo cogitauit; & 8. Nouẽ. cum nouo Protestantium Episcopo, seu Administratore, Ottone & Francisco Ducib. Lunenburgicis, Carolo Duce Brunsvvicensi, Fabiano Donavv, alijsque multis Principibus viris & Nobilibus Argentorato in castra profectus est. Administrator cum plerisq; alijs dimisso à se Anhaltino in vrbem reuersus est. Anhaltinus cũ exercitu ad 2000. passuum eo die progressus, nocte inter Argentoratum & Moltemum castrametatus est. Eodam etiam die omnia tormenta bellica, numero. 17. minora maioraq;, prẽter 26. qui antea in castris fuerant, cum omni apparatu bellico in exercitum attrahuntur & comportantur. Lotharingi metuentes Tabernis (vulgò Elszabern) locum illum munie-

3. Nouemb.

munierunt,& introductis nouis præsidijs,ad obsidionem quicunq; ferendam se præpararunt. At Anhaltinus verso exercitu Moltzemum cum omnibus copijs contendit,& 14.Nouē. oppidum circumsedit, legione peditum iuxta Dachsteinium relicta,qui excursiones hostium prohiberent, & comeatum tutò in castra deducerent. Obsessi magna sese contentione defenderunt, sine intermissione & maioribus tormentis & minoribus,scolpisq; suis in densissimos hostium cuneos eiaculati sunt,omne telorum genus in eos contorquent. Sternunt,vulnerantq; multos,non gregarios tantum milites,sed præfectos etiam, tribunos & centuriones.Nihilo segnius tamen Argentoratenses vallo, garris, & fossis castra muniunt: donec ab oppidanorum telorū iactu paulò essent tutiores. Dispositis deinde tormentis muros sine intermissione aliquot diebus verberarunt. Cùm tandem ruinam 23.passuum strauissent,in profesto D. Catharinæ,circa 8. horam vespertinam impressionē in mœnia fecerunt, oppidumque summis viribus,cum toto die maioribus tormentis suis muros conuulserant,tribus locis oppugnarunt: donec quidam iam ipsa mœnia ascendissent.Sed quia socij non sequebantur, cum maxima suorū strage reiecti sunt. Periēre ex Argentinensibus in hac pugna centeni aliquot, vnà cum Domino Ioan. Vlricho,Barone in Hohensaxem, vnius legionis Chiliarcha,Daniele Dienast Argentino,primario Legionis Landianæ Vicario,Christophoro VVolfio,Legionis Hoheusaxianæ Vicario, alijsq; non infimæ notæ hominibus.Postridie Anhaltinus in oppidum mittit,qui deditionem petat. Sed cùm oppi-

Anno 1592.

Argentinenses Moltzemū obsident & occupant.

Anno 1592.

25. Nouemb. Moltzemum hosti deditur.

oppidani deditionem constanter negarent, continuò cœperunt iterum cum summa violentia & furore oppidum maioribus tormentis lacerare. Quod cùm in secundam horam continuassent, secũdò deditionem, misso in vrbem tympanista flagitarunt Obsessi, quia videbãt hostium feruorem & diligentiam, sibi puluerem, aliaq; ad diuturniorem obsidionem ferendam defuturum, certis conditionibus cum Anhaltino deditionem pacti sunt Ecclesiastici nimirum omnes, cum impedimentis suis, quæ ferri possent, ciues item qui manere non cuperent, tutò dimitterentur: qui manere vellẽt, ijs esset licitum saluis bonis omnibus. Milites præsidiarij numero 300. (nam quod instar miraculi est, toto obsidionis tempore in omnibus eruptionibus & oppugnationibus non vltra 18. perierãt) cum omnibus armis suis, incensisque fomitibus, omnibusque impedimentis liberè quo vellẽt proficiscerẽtur. Sed præter publicam hanc fidem Argentinenses eos insecuti, multos perfidè trucidarunt, bonaque deripuerunt. Cùm autem querelæ huius perfidiæ ad Anhaltinum essent allatæ, promisit sese in nefarios illos homines inquisiturũ, suppliciumq; iuxta militarem disciplinam sumpturum. Sed venti, grauioraque negotia cogitationes illas paulò post abstulerũt. Scio hæc pleraq;, præcipuè quæ in oppido acta sunt, aliter ab alijs narrari: sed nos eorum narrationem sequimur, qui viri fide digni toto obsidionis tempore in oppido fuerunt, & literis Spira missis hæc nobis communicarunt.

Comes de Fuentes in Belgium proficiscitur.

Dum hæc in Germania geruntur, venit Bruxellam veredarius Alexandria missus, qui nunciauit comitem

comitem Fuentes ex Hiſpanijs nauigio in Italiam appulſum. Eum noua mãdata & placita Regis adferre, belli ordinem in Belgio renouandum & reſtaurandum; Remp. reformandam, aliaq; multa, quæ ad vtilitatem ſubditorum eſſent, inſtituenda. Venit idem de Fuentes 11. Nouemb. Naſium, atque inde celerib. equis in Belgium properabat: ſperans ſe Parmẽſem adhuc Bruxellę reperturum, vt cum illo árcana quędam magni ponderis commu nicaret. Sed antequam aduenisſet, Parmenſis diſceſſerat. Cùm enim Parmenſis nouiſſima expeditione Gallica Nauarræum feliciter ex agro Rothomagenſi profligaſſet, in Belgium reuerſus, vt diximus, aquas Spadanas adulto iam vere languidus petijt. Ad quas vbi peruenisſet, viresq; corporis paulatim deficere, & mortẽ non procul abeſſe præſentiſceret, teſtamentum condidit. Bruxellam inde profectus S. Synaxin cum ſumma pietate, animique deuotione ſuſcepit, mille florenis in pauperes erogatis. Inde Atrebatũ verſus iter arripuit, vrbem ſibi fatalem 16. Nouemb. ingreſſus eſt. Aduentanti Senatus Atrebatenſis, cum omni Nobilitate, & aliquot armatorũ ciuium cohortib. obuiã honoris cauſa proceſſit: Sole iã inclinato Principẽ portas ſubeunte tormentis omnib. maioribus minoribuſq; exoneratis, ingenti fragore ſalutarunt. Ingreſſum hoſpitio excepit Io. Saracenus, cænobij Vedaſtini apud Atrebates Abbas religioſiſſimus. Toto quindeno ante mortẽm Parmenſis quãlibet ęger ſingulis dieb. bis equo conſcẽſo, aut in mœnib⁹ aut in agro exſpatiãdo ſeſe oblectabat cælo & iam plerunque pluuio: aquam Spadanam ſub inde potitans, & priſtinam expectans valetudinem

Anno 1592.

Ducis Parmenſis mors.

Anno 1592.

tudinem, vt restitutis nonnihil viribus, tertiò in Galliam ad electionem Regis Catholici, quę in vrbe Suessionensi futura putabatur, proficiscere-tur. Ceterum ipsis Cal. Decemb. ingraueſcente morbo pedem domo, vt ſolitus erat antea, non ex tulit. Et poſt Solis occaſum neſcius mortẽ adeſſe, quieti ſe tradidit. Nocte intempeſta dum à mini-ſtris quieſcere creditur, ex improuiſo fatali ægri-tudine oppreſſus; animam agere incipit. Abbas Vedaſtinus mox certior factus, ſtratis relictis ad-uolat atq; eum ſacro inungit oleo. Poſtrid. Caléd. vbi rumor ille vrbem peruaſit, admiratio ciues, luctus habebat aulicos. Nec mora per omnia delu bra & aras ſupplicatum eſt pro eius ſalute: qui ex animi ſimilis iacuit ad horam vſq; primam noctis inſequentis, qua tandem animam efflauit. Die Ia-uis 3. Decembris, mane per Chirurgos corpore exenterato præcordia tabifico morbo deprehen-ſa ſunt admodum vitiata. Circa meridiem cam-panæ omnium ſacrarum turrium ſimul pulſatæ funebres ediderunt ſonitus. Eodem die ſub noctẽ cadauer religioſa veſte amictum, abſque omni pompa, vultu, pedibus & manibus nudatis in au-guſtiſſimum D. Vedaſti templum per proceres portatur, ardentibus plus minus 300. funalibus. Et rurſus cùm iam Monachi ſacras nænias decantaſ-ſent, è templo in conclaue proximum relatum, vnguentis & aromatibus conditur, in Italiã trans Alpes tranſportandum. Cerebrum autem, lingua, oculi cum corde & inteſtinis in eodem templo, pro ara maxima honorificè tumulantur. Vides, mi France, quot modis in huius vnius rei narratione tua allucinaris, in tempore, in genere mortis, in perſo-

Anno 1592.

personis qui morienti adfuerunt, in pompa funebri, in sepultura, Hoc ideo moueo, ne nimium tuis fidas narrationibus, & ne nimis liber sis in alijs reprehendendis: facillimè namque in his & similibus erratur, qui errores, nisi ex malo proficiscantur animo, veniam apud candidum lectorem facilè merentur. Die Veneris sequenti Abbas S. Vedasti exequias defuncti Ducis honorificentissimè celebrauit, Episcopo Audomarensi orationem funebrem habente. Intererāt his exequijs Comes Mansfeltius, Marchio VVarenbonius, supremus Artheſiæ præfectus, Comes Barlaymontius, Marchio Haurechius, Comes Soranus cum multa alia Nobilitate. Persolutis iustis Aula Arrebato die Decembris sexto discessit.

Hic exitus finis est, & catastrophe Magni illius Alexandri Farnesij, Turcis Gallis & Belgis notissimi, contra quos varijs prælijs depugnauit. Cuius in rebus bellicis laus totum terrarum orbem impleuerat; qui quicquid animo concipiebat, stante fortuna opere perficiebat. Notanda tamen in illo est fortunæ inconstantia. Cùm floretissimum totius orbis emporeum, vrbem munitissimam Antuerpiam, præter omnium hominum spem occuparat, fertur à quodam, non infimi nominis viro admonitus, bello valediceret: pacem deinceps coleret, gloriam eius ad apicem, summumq; fastigium peruenisse: maiorem gloria in Belgio sibi comparare non posse. Solere fortunam cum ad summum peruenit rotam voluere, nec diu in eodem statu permanere. Quod si administrationem Ducis in Belgio post captam Antuerpiam consideremus, certè vaticinium illud verum fatebimur

Anno. 1592.

qui enim antea nil nisi vincere norat, mutata post fortuna, multas florentissimas vrbes, oppida, arces, quæ non difficile defendi potuerant, amisit: adeò vt spes quãm Regij de Gelria, Transiselania, Frisia, vicinisque locis recuperandis conceperat, iam prorsus labefactata euanuerit. Hanc tamẽ nominis sui maculam (si modò macula sit) duabus expeditionibus Gallicis, omni æuo memorandis exterfit: quarum priore Parisiensem, posteriore Rothomagensem ciuitates periclitantes summa cum dexteritate ac fortitudine ab hostibus liberauit. Ad cetera pergam, si in laudem victoriosissimi Principis huius aliquid de antiqua & laudabili Ferneſiorum familia ex quodam scripto, quod nuper incerto ad me authore peruenit, addidero.

Familiæ Ferneſiorum antiquitas & res geſtæ.

Non enim familia hæc apud Italos recens est, aut nuper exorta: sed annos abhinc circiter sexcẽtos Sedi Apostolicæ militauit, authoritatemq; pontificiam victricibus semper armis propugnauit, vnde & Ferneſij omnes Vrbe donati, & Sacrę Romanæ Ecclesiæ Confalonieri titulo donati sunt. Vt antiquissimos prætereamus, Petrus Ferneſius Maior Paschale. II. pontifice circa annum Domini M.XCVII. equitum Ecclesiasticorũ præfectus creatus; hostes Sacræ Sedis insigni victoria superauit, & vetustissimam Cossorum Coloniam, nunc Vrbitellium dictam, restaurauit, pristinoque nitori restituit. Petrus Minor à Florentinis euocatus, vt exercitui præesset, quem aduersus Pisanos conscripserant, adeò Pisanorum opes tum florentissimas vna pugna attriuit, vt postea paulatim ea Resp. corruerit. Idem Petrus cruẽtas Guelphorum & Gibellinorum factiones in ditionibus

Ferneſij vex illiferi Romanæ Ecclesiæ.

suis

suis penitus sustulit, pacemq; tunc tota Italia exulantem subditis restituit. Raynutius Petri minoris filius, & Pauli III. pontificis auus, militares Eugenij 4. copias duxit, & acerrimos Ecclesiæ hostes varijs prælijs debilitauit, ac tandem deleuit. Eius ex Ioanna Caietana filius Petrus Aloysius, de quo multa in historijs Italorum, filium habuit, qui varijs naturæ dotibus, omnigenisq; virtutibus ornatus, ad Cardinalitiam dignitatē euectus est in qua cum annos 40. laudabiliter vixisset, Pontifex maximus renūtiatus, vniuersalem Christi Ecclesiam summa prudentia annis XV. grandæuus Senex administrauit, primusque Concilium Tridentinum indixit. Octogenario maior priusquam è vita decederet, Petrum Aloysium filium, Parmensem & Placentinorum Ducem creauit: qui postea in arce Placentina dum pransurus mense accumbit, à Pallauicinis coniuratis per insidias confossus infeliciter obijt, cui filius Octauius in principatum successit, ducta in vxore Margaretha Austriaca, Caroli V. inuictissimi Cæsaris filia, ex qua nostrum hūc Alexandrum, cuius nunc mortē descripsimus, suscitauit. Qui duos itidem filios, Raynutiū seniorē qui Patri in Ducatibus succedit, & Odoardū iuniorē, nuper à Gregorio XIIII. pontifice Cardinalē creatū post se reliquit. Nono Decemb. principes Bruxellam reuersi sunt, & postridie corpus defuncti Ducis Parmensis à multis Nobilib. in eandem vrbem deductum est. Mox à Comite Barbanzonio cum maxima solemnitate, comitate omni Clero, Concilio Regio, Magistratu, ciuibus, militibus tā equitibus quā peditib. signa atq; arma post se trahētibus tympanis & tubis lugubre murmur sonantibus, multis funalibus facibusq; præcede n-

Anno 1592.

Funus Parmensis Bruxellā deducitur.

Anno 1592.

tibus in Sacellum Regium, quod in Palatio est, infertur. Subsequentibus aliquot diebus proceres consilium inierunt, quibus modis mortuo iam Gubernatore Belgium esset administrandum. Comes de Fuentes quid in mandatis habebat à Rege exposuit, arculam ostendit, in qua litteras voluntatis Regiæ, ordinisque in Belgio constituendi esse aiebat, quam post exequias se referaturum affirmabat: interim omnes quàm optimè sperare iussit.

Badensis Argentoratensib. auxilio venit.

Per eosdem dies Ernestus Fredericus Marchio Badensis cum mille equitibus, & bis mille peditibus Argentoratum venit, cumque honorificè exceptus esset, inde per pontem, quo Rhenus sternitur, copias traducens, Anhaltino se iungit, Argentinensibus contra Lotharingos opem auxiliumq; laturus. Equitatus verò ac peditatus maiorem partem in Comitatu Hanouiensi reliquit, vbi summa cum petulantia, militariq́ue licentia subditorum bona diripiebant, pagos spoliabant, incolas miseris modis diuexabant. Quæ cùm Marchio admonitus dissimularet, tandem Philippus, eius loci Comes, Spirâ proficiscitur, querelas suas apud iudices Cameræ deponit, & Marchionem Magistratumque Argentinensem repetundis postulat. Et si enim Marchioni per ditionem suam transitus esset permissus, additum tamen fuisse conditionem ait, à rapinis miles, & ab omni vi atque iniuria abstineret, si quæ necessaria peteret, ea præsenti pecunia solueret, contempta hac conditione vbique cis & vltra Rhenum in suis Dominijs intolerabili vsum insolentia. In toparchia Lichtenavv plus quam mille quingentos florenos consumpsisse,

sumpsisse, sed hospiti (quod aiũt) insalutato abijsse aliquot in super vasa argentea furto secum abstulisse. Caroli Frederici telonarij Hanouiensis in Renchenlach filiam puerperam inhonestè detexisse, suppellectilemque lineam illius rapuisse. In pagum Brumas, non obstante quod omnis comeatus necessarius offerretur, equites, peditesque cum incredibili furore & violentia irruisse, ianuas, & fenestras comminuisse, armata manu in ædes inuolasse, arcas & cistas omnes aperuisse, quidquid inuentum diripuisse, quod secum auferre non potuerunt, pedibus conculcasse, fregisse, perdidisse. Præfectum ipsum spoliasse, sigillũ, clauesq; ex pera sua rapuisse, in proprijs ædibus scolpo pectori eius admoto minitasse mortem, ni & suam, & Domini sui pecuniam traderet. Frumenta inter se distribuisse, quod reliquum erat per vias publicas & plateas conculcãdum proiecisse. Ne quidem ab his quæ Comitis erant abstinuisse. Apud caupones vinum ad satietatẽ bibisse, quod bibere non potuerunt, diffractis vasis effudisse: incolas aliquot occidisse, & discedẽtes tribus locis incendium excitasse. Eodem ferè modo Krautvveilleros, VValtenheimenses, & alios, quod longum est, alijs in locis tractasse, & multa immanis crudelitatis exempla in innocentem populum, præter omne ius & rationem statuisse. Damnum in solo Brumat acceptum Comes quadraginta quinque millibus aureorum æstimabat. Iudices cùm iustissimas Comitis querelas audiuissent, tam Comitem ipsum, quàm Magistratum Argentoratensem in 30. diem Ianuarij peremptoriè citarunt, vt aut sese defendant, aut sententiam de repetundis

Anno 1592.

Anno. 1592.

petundis iuxta constitutiones Imperij audiant.

Non otiabantur Ordinum milites in Belgio. Is enim Ordinibus mos est, vt stipendia pollicentur suis exigua, in solutione aut non sint infideles Nam septem hebdomadæ mensem apud illos in rebus bellicis constituunt, & singulis istis mensibus eques viginti circiter florenis Belgicis meret. Hanc ob causam cùm in præsidijs sunt nisi rapto viuant, se, suosq; non possunt alere, Quotidianas itaq; faciunt excursiones, & quicquid obuium est, nulla vel amicitiæ vel inimicitiæ habita ratione diripiunt, quã negotiandi artem an hi à Regijs, an Regij ab his didicerint, incertũ est. Hoc constat, Magistro parẽ esse discipulũ. De his Regijs loquor qui in præsidijs sunt limitaneis. Honestius de his sentio, qui in prouinciarũ sunt meditullio. Ordinũ itaq; milites cùm nuper pagum quendã Loeuenich in Ducatu Iuliacẽsi spoliassent, & paulo post diribitoriũ Regiũ in Ducatu Limburgẽsi, cæsis, captisq; nonnullis tyronib⁹ disturbassent, hoc mẽse Decẽbri septingẽti aut octingẽti numero, auspicio Comitis Mauritij, cũ scalis, alioq; apparatu ad tumultuariã oppugnationẽ necessario, in Ducatum Luceburgẽsem magnis itinerib⁹ profecti sunt. Est in cõfinib⁹ huius Ducatus oppidũ Sãcti Viti, inter duas opulentissimas abbatias, Pruminensem & Stabulensem, cui adiacet tertia Malmodiẽsis, sitũ. Institutũ illorũ erat oppidũ hoc ex improuiso expugnare & occupare. Neq; malè, nã gen⁹ hoc hominũ etsi irreligiosum, libẽter tamẽ cohabitat Religiosis, præsertim Abbatib⁹, ijsq; ditiorib⁹. Præterea quia pars aliqua istius oppidi olim Principi Orẽgio, Mauritij patri paruerat. Sedcũ fama huius expe-

Ordines Belgici oppidum S. Viti tentant.

expeditionis ad oppidanos esset perlata, ciues in armis esse, & diligētissimas excubias agere iubentur. Cùm hostes 16. die Decēbris in ipso diei crepusculo ad oppidū peruenissēt, missis ad ipsa mœnia exploratoribꝰ, intelligūt propositū suū detectū, oppidanos in armis & se spe sua frustratos esse. Re itaq; infecta ad penitiores Ducatus vrbes & tandē ad metropolim ipsam excurrūt. Luceburgēses ratiēas aliquid in vrbē tētaturos, sese præpararūt, vt aduenientes exciperēt. Sed metuētes sibi Mauritiani, extra teli iactū sese continuerunt, & in diuersos pagos distributi, magnam prædam, nonnullis etiam pagis igne absumptis abegerunt. Anno. 1592.

In Germania, quæ vt Africa monstrorum, sic hæreseon est feracissima, inter alia monstrosā quandam sectam, quam Vbiquitatem appellant Docti, discipuli aliquot Lutheri, vt Brentius, Illyricus & alij excogitarunt, aut, vt quidā volunt, ex eius scriptis eruerunt. Lutherus namq; in sermone de Sacramento Cœnæ, tom. 2. operum eius, fol. 112. *Credimus, inquit, quod Iesus Christus sit iuxta humanitate super omnes creaturas collocatus, & omnia impleat.* Et paulò post; *Et omnia habeat in manu sua, & sit vbiuis præsens.* Cæterum quomodo hoc ipse intellexerit, disputent scholæ Saxonicæ & alij Theologi. Hoc constat, primū qui ex professo doctrinā hāc tradidit, fuisse Brentiū, quē secutus est Flaccus & alij. Est autē eorum hæc sententia, Christum humano suo corpore non minus quam diuinitate sua in omni esse loco, & re: non minus in cloaca (horret animus dicere) quam in altari, non minus in artocrea, vel alio aliquo cibo profano, quam in Eucharistiæ Sacramento, in quo tamen realiter. *Vbiquitarij in Germania.*

Anno 1592.

liter & verè non aliter quam Catholici ineſſe ſentiunt. Hæreſin hanc Luthero mortuo Eccleſiæ Saxonicæ doctore Philippo Melanchthone arciter impuguarunt Is. n. in Epiſtola ad Fredericum comitem Palatinum, qua ſcripſit anno LIX. Alij inquit, *Vbiquitatem excogitarunt.* Et addidit, *Hæc ſunt portentoſa omnia* Sed & anno deinde LXXI celebrarunt Synodum Dreſdenſem, conſentientibus omnibus Superintendentibus Ducatus Saxonici, nec non Doctoribus Academiarum Lipſiæ & VVittenbergæ, atq; ibi ſtatuerunt Vbiquitaté corporis Chriſti eſſe horribilem prophanationem omnium articulorum ſymboli, & renouationem omnium hæreſeon. At non fluxerunt anni decem quando prodijt ex eadem VVittenberga, Lipſia, ceteriſque eius regionis locis noua Concordia; in qua tantopere damnata illa Vbiquitas recipitur pro articulo fidei, Sic enim habet Concordia, edita anno 1580. in forma parta pagina 731. *Reuera omnia implet & vbique non tantum vt Deus, verùm etiã vt homo præſens dominatur, à mari vſq; ad mare.* Sunt & in eadem Concordia ſimilia loca plura, quam Concordiam cùm nemo in Saxonia improbare audeat, & multi ab Vbiquitate abhorreant, verba hæc Concordiæ *aliter atque aliter* interpretantur. Hinc factum, vt per hos dies Daniel Hoſtmannus Superintendens & Profeſſor Helmſtadienſis, & Baſilius Stalerus Herici Iulij Ducis Bruinſvvicenſis concionator alicus grauiter inter ſeſe de hoc dogmate contenderint. At Henricus Dux tãquam Adminiſtrator Diœceſeos Halberſtadienſis, vtrumque ad ſe euocauit, ſerioq; admo-

admonuit, ab huiusmodi disputationibus abstinerent, neq; in pulpito coram populo quoquo modo de hoc dogmate, nisi indignationem suam, grauemq; pœnam velint incurere, dissererent. Atq; ita recens natum malum in ipsis primordijs oppressum est, quod magnas alioquin tragœdias dare potuisset. Sed relicta Minerua ad Martē reuertamur. Anno 1592.

Decimo septimo mensis huius Decēbris Princeps Anhaltinus Christianus ex castris Moltzemū profecturus, cùm Dachsteinium hostile oppidum in itinere haberet, sibi metuens, ducentorum operariorum & centum equitum comitatum secum duxit. Fortè fortunà incidit in ducentos equites, & nonnullos pedites Lotharingos: ita vt neutra pars cedere potuerit, sed vi & ferro via paranda esset. Pedites Anhaltini longiusculè præcesserāt, nec quicquam de hostis aduentu cognouerant: Agnitus hic est Anhaltinus, quare à quodam Lotharingo ictu, sed irrito, petitus est: quem Anhaltinus impetu in eum facto occidit. Ferebātur omnes in Anhaltinum, & certè periclitabatur, pugnatum est acriter, donec Moltzemenses mali aliquid suspicati citatis equis accurrerēt, & Lotharingos in fugam desijcerent. Ex Lotharingis desiderati sunt quindecim, ex Anhaltinis præter alios Fredericus Comes Mansfeltius, vulnerati plurimi, inter quos Dauid Comes Mansfeltius, eiusdem Frederici frater qui postridie Argentoratum læthaliter vulneratus in lectica deportatus est. *Anhaltius periclitatur.*

Octobri mense die 30. Ioanni Georgio Marchioni Brandenburgensi ex Elisabetha Anhaltina Coloniæ ad Spream fluuium natus erat filius. Is *Sigismundus Marchio Brandenburg nascitur.*

Anno 1592.

vicesimo Decembris baptizatur, & Patrui nomine Sigismundus appellatur. Multi ad hæc solemnia vtriusque sexus euocantur Principes; instituuntur omnis generis ludi, multi inutiles fiunt sumptus, multa animorum oblectamenta, quæ omnia cùm & peculiari libello & rypis æneis excusa sint, ad ea lectorem remittimus: nobis satis est natalem Iunioris Principis diem annotasse.

Legati Cæsarei ad Argentinenses & Lotharingum

Decimo nono Decembris Argentoratum venerunt legati Cęsarij, Gallus Adamus Poppelius Stadianus, & D. Textorius cum Heroldo & aliquot equitibus, vt pacem inter Lotharingum & Brandenburgensem conciliarent eodemque die Brandenburgensi & Capitularibus Protestantibus, qui in vrbe erant, litteras Imperatoris tradiderunt. Biduo post Heroldus Cæsareus tunica *indutus* ex nigro holoserico facta, & ad talos vsque demissa, aliaque breuiori tunica crocea superimposita deauratum manu tenens baculum, in forma prodijt, ibique Magistratui Cæsaris mandatum denunciauit; petijtque arma deponerent, & de controuersia compromissum facerent. Inde legati ad Lotharingum & Canonicos Catholicos profecti sunt.

Mansfeltius Belgij gubernator.

In Belgio Comes de Fuentes *conuocatis proceribus*, consiliarijs, Ordinibusque, quid sibi à Rege mandatum esset partim declarauit, partim se postea declaraturum promisit. Inter alia ostendit Regis voluntatem esse, vt si Parmensis obierit, Comes Mansfeltius Senior mox illi in gubernatione succedat, cui omnes prouinciæ obedirent, donec alium Gubernatorem mittat. Iuxta ora-

orem autem Mansfeltium Ducem fore exercitus Regij in Gallia, vna cum Duce de Feria, qui ex Hispanijs quotidie expectabatur. Mox litteræ mittuntur ad omnes prouincias & belli præfectos, voluntatem Regis ijs significantes, & obedientiam Mansfeltio præstandam imperantes. Nec mora, adsunt confestim vicini proceres, ordines, ciuitatum Magistratus, Mansfeltio gratulantes, eique omne genus officij atque obedientiæ offerentes. Sub id Taxius Suessione ex Francia venit, cum alijs quibusdam fœderis sacri legatis, pecuniam & militem flagitantes, quibus Parisiensibus succurratur. Vicesimo deinde mensis eiusdem die in sacello Palatij, in eadem vrbe Bruxellensi, magna cum pompa exequiæ Parmensis celebratæ sunt. Quibus peractis consultatum ac deliberatum est quanto cum exercitu Mansfeltius iunior in Galliam mitteretur. In Croacia vicinioribusque prouincijs res iam erant pacatio res. Nam cum audissent Turcæ Christianos firmissimum pontem in Drauo construxisse, eumque munijsse, vt quandocunque velint exercitum traducere nullo negotio possent, maximas eosdem copias cogere, multorum millium exercitum in procinctu esse, Pontificem, & omnes Duces Italiæ auxilia mittere, receptui canunt, exercitum colligunt, & relictis præsidijs in ijs quas occupauerant munitionibus, castra deserunt, & in penitiores suas prouincias reuertuntur. Huc accedebat quod maxima pestis Constantinopolim depopularetur, ita vt quotidie circiter mille, plus minus homines morerentur, quæ contagio exercitum quoque

Anno 1592.

20. Decemb.

Turcæ exercitum reducunt.

Anno 1592.

Turcicum inuaserat, ita vt Christiani metu istius morbi quoscunq; Turcas comprehenderent actutum occiderent. Has aliasque ob causas fama per hos dies increbuit, Imperatorem Turcicum à nouis inducijs non abhorrere.

Rex Suetiæ moritur.

Ioannes II. Suecorum Rex mense proximo Nouembri inter viuos esse desierat, vnico relicto filio Sigismundo, Polonorum Rege: qui intellecta patris morte paterni Regni suscipiendi occasionem captabat. Indicta sunt in Polonia Comitia, tum hanc ob rem, tum etiam propter simultatem quæ inter Regem est & Samoscium magnum Cancellarium. Ceterùm cùm nihil singulare in his Comitijs actum esset, Nobilitasque discederet, Cancellarius Reginæ manus est exosculatus, cum protestatione se id facere Regis vxori, non autem Reginæ Poloniæ.

Prodigium in aëre.

Falkenburgi in Silesia vesperi inter septimam & octauam horam mirabile spectrum, seu prodigium in cælo visum est. Initio densissimus fumus exoritur, haud aliter, quàm si aliquot maiora tormenta bellica displosa fuissent: sequuntur sanguinei, igneique radij magni & multi. Post radios stella magna instar maximi disci visa est quasi à filo dependens: in cuius vno latere septem aliæ stellulæ, & altero quinque spectabantur. Lumen maioris stellæ noctem in diem conuertit, tanta erat eius claritas. Excepit mox & inuoluit hanc stellam nubes, & sub nube crux apparuit tota sanguinea & cruore perfusa. Tribus continuis horis crux hæc ab omnibus incolis videbatur. Postea cœlum atris obductum est nubibus, & Aegyptiacas redijsse diceres tenebras, & in istis tenebris tanta

tanta procella, tanta ventorum vis concitata est, vt omnia sursum deorsum versum iri putarétur. D. Herbersteinius istius prodigij spectator ex Silesia in Germaniam reuersus, huius narrationis veritatem confirmauit. Anno 1592.

Mansfeltius cum exercitu in Galliam proficiscitur.

Vltimus funesti huius anni iam dies illuxerat, cùm Carolus Mansfeltius collecto exercitu, omnibusque ad expeditionem Gallicam necessarijs præparatis, Bruxella discessit. Comitabantur illum Comes de Fuentes & alij multi proceres ac nobiles Landrecesium vsque. Quò cùm veniissent, datis dextris hi Bruxellam reuersi sunt, Mansfeltius verò in Galliam exercitum duxit, vt nouũ annum nouis prælijs auspicetur.

Anno 1593.

MERCVRII GALLOBELGICI LIBER SEXTVS,

Res in Gallia, Belgio, Germania, Italia, aliísq; Regnis & prouincijs anno 1593. post millesimum quingentesimum gestas continens.

QVod Nauclerus in naui, quod Pater in familia, quod Rector in schola, quod Sol est in cælo, id Regem esse Regno, nullus est qui ignorat: qui si adsit omnia prosperè succedunt, omnia belli, pacisq; munia rectè administrantur; si absit omnis Regni salus periclitatur. Bartholdi quondam Grimbergensium Dynastæ, vt in Brabantinorum annalibus commemoratur, cùm multis annis grauissima cum Brabantinis bella gererent, in omnibus superiores fuerunt, quàmdiu Barbati filio mortuo Brabanti-ni Ducem non habuerunt, quem videre, quo cum colloqui, cui in bello possent latus claudere. Dux enim in cunis adhuc infans vagiebat. Incredibile dictu est, quàm parua sæpè manu Bartholdi hostem fuderint. Prudentiores tandem inter Brabantinos, & longo rerum vsu exercitatiores, cùm rem penitius introspicerent, animaduerterunt non aliunde hostibus tantas victorias, sibi verò tot clades nasci, quàm quod illi Ducis sui præsentia

tia in omni expeditione vterentur, qua sui destituebantur. Consultissimum itaque visum fuit Ducem infantem in castra deportari, & in conspectu pugnantium constitui: Argenteæ fiunt cunæ, auro, gemmis & lapidibus pretiosis destinctæ: in ijs Godefridi Barbati ex filio nepos Godefridus imberbis collocatur, & insigni cum comitatu in castrs deducitur. Dici non potest quanta mox omnium animorum, viso Duce suo, creuit alacritas: gaudia fletu miscebantur, & certatim omnes vitam & fortunas suas pro salute Ducis deuouebãt. Mox ad arma proruũt, excusso metu omni, hostem vltro prouocant; canitur vtrinq; classicum, Dux in cunis iacens inter duas arbores in conspectu totius exercitus suspenditur, concurritur, atrocissimè pugnatur. Alios iam sensere, quàm solent hostes Bartholdi: non iam in fuga Brabantinis; sed in armis spes, vincere aut mori omnibus statutum erat, nec spe sua fraudati sunt. Trium namque dierum prælio, omni posteritati memorabili, Bartholdos vicerunt, eorumque vires adeò contriuerunt, vt manus dare coacti nunquam in posterum rebellauerint. Tanta potuit vnius infantis, sed Principis legitimi præsentia. Galliæ Principes Catholici fœdere inter sese coniuncti tandem in similes cogitationes animos intenderũt, videbant enim bellum imperantium multitudine minus feliciter geri; Prouincias & ciuitates, eò quòd ignorarent, pro quo tandem tot incommoda paterentur, tantasque expensas facerent, à bello alieniores fieri, ad inducias aspirare, aut democratiã quãdã meditari. Collatis itaq; cõsilijs tandẽ Dux Mœnius omnium cõsensu Comitia

Anno. 1593.

Anno. 1593. Parisijs indixit, in quibus Rex Catholicus communibus confœderatorum suffragijs crearetur. Huius illorum consilij rationes scripto comprehendi, & quinto Ianuarij per præcones & tubicines Lutetiæ in omnibus biuijs publicari mandauit. Quod scriptum è Gallico transferre, & hoc loco ponere non inconsultum putaui.

Scriptum Ducis Mœnij de electione Regis.

Inuiolabilis, atque ab initio sanctè semper obseruata Religio, diuinusque cultus in hoc Regno, vna & sola res est; quæ idem Regnum hoc præ omnibus orbis Christiani Regnis nobilitauit, celebre, florensque reddidit: quæque Reges nostros titulo Christianissimi, & Sanctæ Ecclesiæ primogeniti condecorauit. Quorum nonnulli vt hunc titulum sibi compararent, & suis posteris relinquerent, per maria, terrasque ad vltimos vsq; orbis fines cum maximis exercitibus profecti sunt, vt infideles Ethnicos debellarent, & ad suaue Christi iugum adducerent. Quidam etiam fortissimè pugnarunt aduersus eos, qui aliam, quàm aui tam Religionem vellent introducere. Ad huiusmodi expeditiones semper illis promptissimam opẽ tulerunt, Nobiles & subditi paratissimi semper & vitam & fortunas suas in extremum periculum conijcere, vt veræ huic & solidæ gloriæ participes efficerentur: veram Religionem in sua patria conseruarũt, & in alias terras, vbi nondum erat, & in quibus nec Dei nomen, nec eius inuocatio & cultus erant cognita, introduxerunt & propagârunt. Horum facta aliorum Principum & Magnatum fuerunt exempla, quibus ad similia præstanda incitarentur. Neque hic Regum nostrorum, seu subditorum ardens zelus vnquam ex

tinctus

tinctus est: sed viguit semper vsque ad extrema hæc tempora, quibus Hæretici (prò dolor) in hoc Regnum irrepserunt. Modis quibus id factum est, cùm omnibus cogniti sint, nó opus est hic recensere. Tam longè verò lateq; virus illorum diffusum est, vt etiam Catholici, quos meritò vnitas sanctæ Ecclesiæ coniungere debebat diuisi, disiunctique sint, & inter sese bellum gesserint. Nobis quidem persuasum est factum id esse noua, clamdestina, versuta, imò prodigiosa Hæreticorum inuentione, qui nihil aliud agunt, quàm Catholicis fingunt, semperque occinunt, bellum hoc non propter Religionem, sed vel ad Regnum occupādum, aut perdendum susceptum esse. Etsi nos quidem hactenus ex singulari quadam symphatia, imò necessitate iustis armis huic malo restiterimus, nulli tamen id adscribendum est, quàm Consiliario pessimi, infidelissimi, pernicioſissimique consilij. quale nulli vnquam Principi datum meminimus: & morti Regis, qui quidem occisus est clam, manu vnius hominis, absque auxilio & cognitione illorum, qui fortè iustissimam id faciendi causam habebant. Semper itaque nos protestati sumus, vnicum scopum & spem nostram fuisse, conseruationem Regni, & communis tranquillitatis: constitutionum etiam & statutorum patriæ, adeò, vt Cardinalem Borbonium Regem nobis cooptassemus, tanquam proximum & primum Regij sanguinis Principem: qui viuente adhuc Rege iam defuncto, diplomate suo, in omnibus Concilijs & Parlamentis approbato, Successor erat renunciatus, si Rex absque mascula prole decederet: ideoque nos obligati eramus, ei hunc

ANNO 1593.

1593. honorem exhibere, eique omni officiorum genere subijci & obtemperare: quod omniũ nostrum tunc erat propositum & institutum, si Deo placuisset eum ex captiuitate, in qua erat, liberare. Præterea si Rex Nauarræus, à quo solo id sperare potuit, animos Catholicorum mouere potuisset, vt se Regem renunciarent, mortemque Cardinalis naturalem expectassent, atque interea se vera fide institui, & Catholicæ Ecclesiæ reconciliari curasset, Catholicos omnes præparatos & dispositos habuisset, ad exhibendum ei eundem honorem, eandemque fidem post obitum Regis sui patrui. Cùm verò in erroribus suis permaneat, minimè id nos decet, modò velimus vt Catholici Catholicæ, Apostolicæ, Romanæ Ecclesiæ, quæ illum excommunicauit, & omni iure quod in successionem Regni habebat, priuauit, obedire. Præterea si Nauarræum Regem suscepissemus, violassemus profectò antiquam, & à tot seculis cũ summa diligentia & reuerentia obseruatam consuetudinem, & successionem tot Regum, à Clodouæo vsque ad hæc tempora, in qua semper obseruatum vt nullus Princeps aut Dominus ad Thronum Regium recipiatur, qui non est Catholicus: *hoc est*, obediens Sanctæ Ecclesiæ fuerit filius, *quique non* promiserit antea, & iure iurando *confirmauerit*, se cùm sceptrum & diadema acceperit, in eadem Ecclesia viuere & mori velle, eandemque Religionem tueri, defendere, & conseruare, contrarias etiam hæreses omnes pro viribus extirpare. Primariũ hoc Regum nostrorum est iuramẽtum, cui sacramẽtum fidelitatis subditorum innititur, sine quo nunquam Principem agnouerunt (tã chara fuit

fuit illis semper Religio) etiamsi ius ad electionem legitimam prætenderet. Hæc constitutio tam sancta & necessaria ad conseruationem Regni & publicæ tranquillitatis habita est ab Ordinibus Blæsis, anno post natum Christum M. D. LXXVI. congregatis: quo tempore Catholici nondum erant in defensione Religionis diuisi, vt constitutio illa iudicata sit principalis, & fundamentalis Regni lex: quare eodem tempore authoritate & approbatione Regis decretum est, vt duo ex singulis ordinibus ad Regem Nauarræum & Principem Condæum mitterentur, qui explicarent illis, quantum se in periculum conijcerẽt, eò quod à Catholica Ecclesia recederent: monerent etiam eos, vt resipiscerent, & Ecclesiæ reconciliarentur. Quòd si id facere negarent, ijdem legati illis significarent, si quando ad successionem Regni deueniretur, eos fore exclusos, minimeque vt inidoneos ad Regnum admittendos. Sed & declaratio postea Rhotomagi anni LXXXVIII. facta, & in postremis Comitijs Blæsis habitis confirmata, in qua cauetur, ne hæc antiqua consuetudo à Caroli Magni temporibus hucusque nunquam mutata violetur, sed vt fundamentum Regni obseruetur: nil aliud est, quàm simplex approbatio iudicij & censuræ prædictorum Ordinum, de quibus nulla potest moueri suspicio. cur eorum consilium & authoritas sint reijcienda. Quin etiam Rex ipse nuper defunctus hanc consuetudinẽ pro lege acceptaui-, & in eã in templo iurauit; quod iusiurãdũ sumptione pretiosi & sacrosancti corporis Dominici confirmauit, & cũ eo legati Ordinũ oẽs, idq; in nouissima congrẽ

Anno 1593.

gatione

Anno 1593.

gatione, non tantùm priusquam immane illud latrocinium, quod illum tam infamem, & funestum reddidit, perpetratum esset; sed & postea, cũ iam mortuos non timeret amplius, & superstites contemneret, tanquam eos, quorum salus erat desperata. Quare credendum omnino est, eum hoc fecisse, quia sciret sibi, vt omnibus Principibus, incumbere constitutiones & leges, quæ præcipuæ columnæ sunt Regni & Reip. inuiolabiter obseruare.

Non possunt itaque iustè reprehendi Catholici confœderati, qui constitutiones sanctæ Ecclesiæ, exempla suorum maiorum, & fundamentalem Regni legem secuti sunt, quæ lex requirit in Principe, qui ratione sanguinis ius in coronam prætendit, vt sit Catholicus: quæ qualitas essentialis est & necessaria Regi, Regni illius, quod acquisiuit sibi Christus Iesus Dominus noster virtute sancti Euangelij sui: quod Regnum hoc ante tot secula in tali forma accepit, quali in Sancta, Catholica, Apostolica, Romana Ecclesia annuntiatum est.

Hactenus commemoratæ rationes nobis spem faciebant, quod etsi multi Catholici Regem adhuc dum viueret, sequebantur sub titulo iuramẽti, quo erãt illi deuincti, post mortem tamen eius Religio (fortissimum, potentissimumque vinculum homines vniendi) eorum animos coniunxisset, præsertim in defensione eius, quod pretiosissimum, charissimum, & optimum illis est. At contrarium est subsecutum: contra iudicium, rationem & expectationem hominum. Quamobrẽ facilè fuit in tã subita mutatione illis persuadere, nos

nos authores esse illius mortis, (quæ ne quidem in mentem nobis venit vnquam) & æquum se facere, quod opem & auxilium præbeant Regi Nauarræo, qui se vltorem istius mortis profitetur, & iactitat. Promittit insuper illis, se trimestri spatio Catholicam Religionem amplexurum. Cumque iam semel hanc viam ingressi sint, seseque in incommoda ciuilis belli intromiserint; subsecutæ diuersæ, quas habuit Nauarræus victoriæ, & calumniæ, quas contra nos hæretici excogitârunt, & sine intermissione publicarunt; verissimæ causæ sunt, quæ illos in proposito detinent, & modũ, viamque dent hæreticis vires suas augendi, donec Religio, statusque Regni periclitetur. Etsi nos eminùs prospexerimus mala & incommoda, quæ hæc nostra diuisio secum adferret, eamque fore causam stabiliendi hæresin cum bello & effusione sanguinis Catholicorum, quæ omnia concordia nostra facilè prohibere potuisset, quam nos tam seriò, totque modis quæsiuimus: tamen eam obtinere nunquam potuimus, adeò erant animi alieni, & varijs affectibus occupati: quæ causa fuit, cur modum salutis nostræ inuenire non potuimus. Sæpissimè illos obsecrauimus, vt in congressum & colloquium nostrum venirent, deque rei statu nobiscum conferrent, quemadmodum & nos id facturos etiam illis obtulimus, vt omnis dissensio sopiretur. Id non tantùm illis, sed & ipsi Regi Nauarræo significauimus: imò propositiones & cõditiones quasdam dedimus, quibus Regno pax redderetur: nimirum si ipse erroribus suis renuntiare, Ecclesiæ sese, Sancto patri nostro Sanctæq; Sedi vera, non ficta conuersione reconciliare

Anno 1593.

Anno 1593.

ciliare vellet, easque actiones facere, quæ testimonium dare possent, veri erga Religionem nostram zeli. Quod si faceret, nos vicissim illi omnem ex promptissima volũtate obedientiam præstaremus, omniaque faceremus, quæ secundùm rationem à nobis possent postulari: vt sic finis omnium nostrarum esset miseriarum, id nos tali cum animi promptitudine & sinceritate facturos promisimus, vt nemo dubitare posset, nos tali animo, & proposito fuisse. Hæc autem à nobis acta sunt tunc; cùm res nostræ meliori adhuc erant loco, melioresque habebamus modos aliquid tentandi, quàm nunc, cũ nostra voluntas non fuisset, salutem populi & tranquillitatem Regni conseruare. Ad quæ Rex Nauarræus, vt cuiuis constat, respondit, Se à subditis suis cogi nolle, coactam nominans petitionem, admoneri, vt ad Sanctam Ecclesiam reuerteretur: quod certè vt bonam & salutarem admonitionem interpretari debuisset, cùm ab eo peteretur, quo non minus deuincti sunt potentissimi orbis terrarum Reges, quàm minimi subditi obseruare. Christianissimum enim qui semel recepit, idq; in vera Ecclesia, quam nostram esse scimus (neque in minimo de eius authoritate dubitamus) is non potest illum denuò deserere: multo minus quàm miles, qui semel stipendium accepit, & nomen dedit militiæ, denuo potest sacramento, quod semel dixit, absolui: nisi haberi velit desertor & violator legis Dei, eiusque Sanctæ Ecclesiæ. Sed & responso prædicto addidit; Quod si subditi illum recipere, eiq; obedire velint, se postea coacto generali & libero Concilo, velle admonitiones acceptare,

acceptare, opinionemque suam, si damnetur, deserere. Quasi verò Concilia desint, ad hos errores condemnandos, qui toties ab Ecclesia damnati sunt & reprobati: imò in nouissimo etiam Concilio Tridentino, tanta solemnitate & authoritate celebrato, quanta multis seculis vix aliud. Præterea cùm diuina permissione victoriam in certamine obtinuisset, eadem petitio illi secundò est repetita & proposita, non à nobis, qui in eo statu non eramus, vt nos faceremus: sed à Reuerendis atque Honorandis Viris, qui nihil, nisi salutem, pacemque Regni desiderant. Quemadmodum & in obsidione Parisiensi, per magni nominis & dignitatis prælatos factum est, quibus obsessi supplicarunt, ad eum proficiscerentur, remediumq; suarum miseriarum quærerent. Quo tempore nonnihil cõmotus cœpit de cõuersione sua cogitare, aut potius Deus per Spiritũ suũ Sãctũ (sine quo nemo in eius Ecclesiã potest ingredi) ei volũtatẽ tribuit; ita vt Catholicis spẽ aliquã suæ cõuersionis fecerit. At nũc argumẽta habent manifestissima, vt meritò timere possint, negotiũ tendere ad mutationem, cùm diuini cultus extirpatione; cũ Catholici non possint esse securi, vbicumq; dominantur hæretici. Sed spes quã ipse illo tẽpore conceperat Parisios occupãdi, eoq; exẽplo & terrore sui exercitus alia loca occupandi, ceteraq; media quæ sibi ex ista victoria promittebat, eũ à sana illa cogitatione resilire fecerunt: ita vt admonitiones & pia ista consilia denuò contempserit, neq; Ecclesiæ reconciliari voluerit; quæ tamẽ oẽs Catholicos vnire debẽt, ad suę Religionis conseruationẽ. Anno 1593.

Postquam autem Deus Parisiensis ab obsidione

anno. 1593. dione liberasset, idque ope Principum, Dominorum, & multorum Nobilium huius Regni & externorum militum, quos Rex Catholicus, qui causæ huic semper armis, alijsque modis patrocinatur (quamobrem illi plurimum deuincti sumus) per generalem suum belli ducem Parmensem, Principem piæ memoriæ satis peregregiè facta sua celebrem, statim Nauarræus Rex ad spem pristinam redijt; eò quod videret auxiliares copias, mox post obsidionem solutam, rursus è Regno discedere, cumque suos emisisset, breui tempore ingentem coegit exercitum, cuius virtute Magistrũ campi sese constituit, & continuò absque omni dissimulatione publicauit, crimen esse ipsum orare, aut consulere, vt se conuerteret, priusquam pro Principe agnosceretur, & sibi sacramẽtum fidelitatis diceretur: nos autem teneri ad armorum depositionem, & sibi nos inermes nudosque tradere idque per libellos supplices: atque hoc modo illi potestatem dare in bona, vitam & Religionem nostram: vt ijs vteretur & abuteretur pro sua libidine: his omnibus propria nostra negligentia periclitari, quæ authoritate Sanctæ Sedis, ope Regis Catholici, aliorumque Principum, qui suo nos semper auxilio iuuarunt, semper sperauimus, Dei gratia & fauore nos conseruaturos. *Quòd si* nos illum semel pro Rege agnouerimus, & dissidium Religionis exoriatur & crescat, cum tanto hæreticorum quæstu & commodo, inter illum tanquam caput & defensorem hæreseos, nostra obedientia, totiusque Regni potentia armatum & nos inermes, & omni defensione destitutos tãtummodo simplicibus & inefficacibus suppli-

cationibus

tationibus apud Principem inuitis auribus illas auditurum, minimè verò exauditurum, quid obtineremus facilè videmus. Etsi iniustissima sit voluntas hæc, & vnicum medium Religionē tollendi; multi tamē Catholici, qui eius partes sequuntur, aduersariorum verbis inducti sunt, vt credāt seditiosum esse illi resistere, & nos potius obedire debere illi, illiusque mandato & legibus policitæ administrationis, quas ipse vult condere, veteribus Regni legibus, Ecclesiæ constitutionibus, & statutis antiquorum Regum, quorum coronam ipse sibi ratione successionis arrogat, contrarias; qui Reges non docuêre nos agnoscere hæreticos, sed potius eos detestari, reijcere, bello persequi, & non defendere aliam causam quantumuis iustam, præter hanc, etiamsi id fieri non posset, nisi cum summo periculo & incommodo. Anno. 1593.

Meminisse debebat, quòd ipse toties se armauerit contra Reges nostros, vt nouum dogma in Regnum introduceret, quòd multi libelli famosi scripti sunt, & diuulgati aduersus eos, qui restiterunt, & consilium dederunt, quo malum crescens tempori opprimeretur, meminisse quòd eo illo tempore ipse voluit ab omnibus credi, bellum suum esse iustum, quia pro Religione & conscientia sua pugnaret: Nos verò Religionem defendere tam antiquam, & quæ postquam cœpit, tam citò in hoc Regno est accepta, & qua cum Regnum creuit, vt sit fortissimum & potentissimum totius Christianitatis; scimus enim esse impossibile, vt illud purum, mundum, & absque vllo periculo sub Rege hæretico conseruetur; quamuis initio, vt nos arma deponamus, eumque absolutū Prin-

Anno 1593. cipem renunciemus, aliud ſimuletur & promittatur, vicinorum exempla, æquitas, & quotidiana experientia, nos meritò cautiores, prouidentiores, prudentioresque reddere debebant, ſimul etiam docere quod.

Regis ad exemplum totus componitur orbis:

ſubditos libenter vitam, mores, & Religionem Regum ac Dominorum ſuorum imitari, vt eorum ſibi demereantur gratiam, donisque & beneficijs cumulétur, quæ ipſi ſoli cui volunt, dare poſſunt, & cùm aliquos fauore & muneribus corruperũt, ſemper facultatem habét alios authoritate, & viribus cogendi. Omnes homines ſumus, & quicquid ſemel pro iure & æquitate cenſetur, etſi minimè ſit, idipſum & aliàs pro tali habetur, etiamſi miſerè fallamur.

Conſiderationibus nonnullis moti ſunt multi Catholici, vt ſibi perſuadeant licitum eſſe Regem hæreticum ſequi, eumque inaugurare; Templa verò, altaria, monuméta patrum ſuorum quorum multi in diuerſis prælijs, vt hæreſin exterminaret, quem hi defendunt, occiſi ſunt; ſed nec præſens, nec futurum Religionis periculum eos a propoſito reuocare potuerunt, quanto magis itaq; nobis timenda eſſet eius potentia & fauor, ſi inauguratus eſſet, ſi Dominus & Rex noſter *abſque vllius* eſſet contradictione? Cùm enim quilibet feſſus, viribus exhauſtus, aut fortè bello hoc inteſtino (quod tam parum profuit) totus depauperatus eſſet, potiùs quælibet ferret, vt ſecurè, vt cum ſpe fauoris, aut beneficij alicuius a Rege impetrandi viuere poſſet, quã illi reſiſteret, aut cũ illo pugnaret

Dicet aliquis; Catholici tunc eſſent vnius eiuſdemque

demque animi, & voluntatis suam Religionē defendēdi, atq; hoc modo facilè posset illa mutatio impedire. Debemus quidem bonum hoc optare, attamen tā facilè sperare non audemus. Sed esto, cùm ignis extinctus est, calor facile in cinere perit: & positis armis simultates & odia quoq; citò cessarent. Certum tamen est, nos etiam tunc non fore securos ab alijs affectionibus, quæ nos sæpè fallunt; nimirū semper nobis ob oculos versabitur periculū; volētes, nolentesq; subijciemur hæreticorū libidini, qui facturi sunt siue clā, siue palā, per vim & oportunitatē quā habēt ex eo, quòd Rex eiusdē cū ipsis est Religionis, quicquid voluerint. Quòd si Catholici vellēt diligenter animaduertere acta Concilij aduersariorū nostrorū, manifestè viderent, quò res tendat, optimæ enim ciuitates, arces, aliaq; loca munita, aut ipsis traduntur, aut ijs personis, quas scimus sēper ab illis stetisse. Catholici, qui ijs in locis adhuc sunt, aut imperāt, quotidie accusantur, & dānantur: crimē illis impingitur, quod sunt inobedientes, seditiosi &c. cùm tamē sint innoxij: oēs difficultates in illos recidunt, etiam principibus coronæ non parcitur. Anno 1593.

Bullæ Sanctorum Patrum nostrorum Pontificum Gregorij 14. & Clemētis 8. quibus continebātur piæ admonitiones ad Catholicos, vt ab hæreticorū ope & cōsilio abstinerēt, abiectæ sunt, & cū summo contēptu pedibus cōculcatę, idq; à Magistratib⁹, & Magnatib⁹, qui se adhuc Catholicos nominant, licet reipsa non sint. Si enim verè tales essent, simplicitate verorū Catholicorum non abuterentur per exempla sumpta ex rebus, quæ in hoc Regno contigerunt, cùm disputaretur de

Anno 1593.

violandis immunitatibus & priuilegijs Ecclesiæ Gallicanæ: non quidem ipso facto, quomodo nostri factitant. Regnum hoc nunquam ab ipsa Religionis susceptione, vsq; huc in eam incidit miseriam, vt necesse fuerit hæreticum habere principem, aut aliquem videre eius qualitatis, qui in illud ius habere prętendit. Quòd si has Bullas existiment tales non esse, quales deberent: tamẽ quia Catholici sunt, rationibus vti debuissent, & probabilibus argumentis demonstrare, in quo peccatum fuerit, cum reuerentia S. Sedi debita, & non cum tanta iniuria, blasphemia & impietate, quantam hi exercuerunt. Est autem hoc ipsum indicium, quo significant se meliores esse Catholicos, quàm sunt reliqui: quia reprehendunt cap. Sanctæ Ecclesiæ, aut, vt futuris temporibus facilius agnoscantur & ab alijs discernantur. Malum hoc ĩuos habet progressus, initio auspicantur per aliquem qui nullius est authoritatis, post additur illi alius, deinde iterum alius, donec tãdem numerus compleatur. Ex hoc cognoscimus Deum huic misero & desolato Regno grauiter offensum, & quòd maiora nobis adhuc propter peccata nostra supplicia meditatur, dum ab vna parte tot fiant machinationes & studia ad Religionem nostram eliminandam & extirpandam, & ab alia parte per nos tot edantur declarationes, quæ toties repetitæ sunt, & quidem ante paucos adhuc dies, quibus protestamur nos obtemperaturos, & omnino acturos, quidquid eius Sanctitas, Sanctaque Sedes ad conuersionem Regis Nauarræi optimum fore decreuerit, si fortè Deus pro sua misericordia illi peccata dimiserit, & ex errore liberauerit,

quæ

quæ profectò certissima sunt testimonia nostræ innocentiæ, puriqúe mentis affectus: & quod ad bellum gerendum inuiti cogimur. Hæc illi non considerant, neque perpendunt. Nihilominus rebus sic se habentibus, non intermittunt illi in vulgus disseminare, & publicare; Principes ad defensionem Religionis confœderatos nihil studere, quàm perdere, opprimere & dissipare: quamuis demonstrationes eorum omnium consensu, imò primorum Principum, qui à nobis stant, factæ, veræ & securissima media sunt, ad omnes causas mali, omnesque prætextus tollendi. ANNO 1593.

Hæretici criminabantur auxilium Regis Catholici; quod inuitis oculis cernunt: dicebant se nos pro fidelioribus, melioribusque Francis habituros, si illud acceptare nollemus, ecquid hoc aliud est, quam inermes nos, nudosque velle vincere & subiugare? At nos illis respondemus; Religio, quæ in hoc Regno in summo constituta est periculo, cogitur hanc opem & auxilium implorare, ob quod nos ad maximas gratiarum actiones obligamur, & obligationem hanc publicè proclamare, eiusq; perpetuò recordari meritò debemus: quia nos ipsi ab hoc potentissimo Rege, huic coronæ confœderato subsidium petiuimus, quod nobis misit, nullam petens à nobis retributionem. Neque nos cum quoquam aliquid pacti umus, siue in Regno, siue extra illud, quod quoquo modo posset magnitudini & Maiestati huius Regni quicquam detrahere, ad cuius conseruationem nulla vnquamadire pericula recusabimus, eo scopo & fine, ne quis Dominus aut Princeps constituatur, qui est hæreticus, est enim hæresis malum tam

Anno. 1593.

pestilẽs, vt ab ea non secus, quàm à malo pessimo abhorreamus.

Quod si Catholici, qui illorum castra sequuntur affectus semel exuerent, vellentq; illorũ causę renunciare, & sese ab eorũ consortio segregare, & non statim nobis, sed nostræ Religioni iungere, maturè insuper deliberare, & remedia ad conseruationem promotionemque omnem, eorum, quæ Regno conducunt, in cõmune quærere: confestim sine dubio inueniremus tam vnius, quàm alterius conseruationem, neq; posset aliquis esse, qui etiã tunc posset peruersam fouere cogitationem, qua vellet abuti ad detrimentum Regni, aut sub tam religiosæ rei prætextu iniustè magnitudinem authoritatis ambire.

Oramus igitur, & adiuramus eos per nomen Dei nostri, eiusdemq; Ecclesiæ, in qua nos quotidie vtraq; pars protestatur, se velle perpetuò viuere & mori, vt ab hæreticis sese abstineant, eosque deserant, & benè perpendant; Quod si nobis maneant contrarij, nos nullũ posse reperire remedium, quod non erit periculosum & multorum malorum causa, tam communi Regno, quàm singulis subditis pernitiosa: quod tamen vnio & confœderatio nostra facilè, sine omni incommodo inuenire posset, vt hoc modo tandem finis esset omnium nostrarum miseriarũ. Ne quis autẽ Principum sanguinis, aut aliorum Principum, aut Ministri Regni impediantur, quo minùs ad tam pium opus veniant, aut dicant; se non inuitatos, agnitos, aut à nobis Principibus & Dominis huius partis honoratos non esse, secundùm quod merentur, & dignitatem vniuscuiusque debetur; promittimus

mittimus per fidem & honorem nostrum, illud nos effecturos: sed cum tali conditione, vt fugiant hæreticos, & quod idem honor, aut etiam maior à nostris exhibebitur. Sed obtecramus illos, ne differant opus hoc, sed citò faciant, & nodum nostrarum miseriarum sine vlla difficultate tandem discindant, qui solui non potest, nisi amittant omnia, quibuscum Deo & Ecclesiæ seruiant: & certò statuant, Religionem omnibus alijs debere præponderare, prudétiam, rationemque existimatam in illo esse, qui præcipui & primi huius debiti obliuiscitur. Significamus itaque illis, nos vt hoc opus auspicemur, serio consilio & precibus orasse Principes & Pares Franciæ, Prælatos etiam, Dominos Parlamétorum, ciuitatum, & communitatum huius partis legatos, vt 27. Ian. die Parisijs conueniant, vt communi, concordiq; consilio eligamus, omni incommodo postposito, remedium, quod excogitare, censere, & iudicare poterimus esse vtilissimum, commodissimum & optimum ad conseruationem Religionis, Regnique administrationis. Ad quem locum si placuerit illis mittere vnum aut plures legatos, ad declarandum quid ad tam magnum bonum procurandum expediat, habituri sunt omnem securitatem & libertatem: audientur etiam cum attentione, & illis satisfaciendi desiderio. Anno. 1593.

Quod si hæc seria & æqua petitio, quam nos facimus, vt dignentur hanc nobiscũ recõcilitationẽ & confœderationem inire, & proximo periculo ineuitabilis vastitatis Regni nobiscum remedium quærere, nihil apud illos possit, vt excitentur,

Anno 1593.

& ad commune bonum, patriæque ſalutem aduigilent, noſque iccirco neceſſitas cogat, tanquam ab illis derelictos extraordinaria remedia, contra intentionem & voluntatem noſtrã vſurpare; proteſtamur corã Deo & hominibus, vt blaſphemiæ, execrationes & calumniæ, quæ ſubſequentur, in illos deriuabuntur, non in confœderatos Catholicos; qui omnem adhibuerunt diligentiam, vt pro viribus bona ſua voluntate & amicitia, idem conſilium & iudicium defendere, cauſamque illis & nobis communem conſeruare poſſint. Quòd ſi has preces communi affectione acceptare vellẽt, ſpes pacis & trãquillitatis eſſet certa, & ſecũri eſſemus, Catholicos confœderatos ſimul omnes de hæreticis, antiquis hoſtibus ſuis, quos vincere cõſueuerunt, breui victoriam relaturos. Hæc Mœnius.

Appellatio Concilij Nauarræi aduerſus Bullas Pontificias.

Paulo ante Clemens VIII. Pontif. Max. Nauarræum, & qui illum ſequebantur, denuò excommunicauerat, poteſtatemque fecerat confœderatis Regem Catholicum eligendi, quas Bullas ad Philipp. Cardinal. tituli S. Onuphrij, Placentinum, in Gallijs legatum ſuum miſerat; qui eas quoque publicari iuſſerat. Quod cum intellexiſſet Nauarræus, per Procuratorem ſuum Concilio Cathalaunij, vulgò Chalon, congregato huius rei iniquitatem oſtendit, conquerens hoc Pontificis mandatum ab illis procuratum, qui iam pridem omnem conatum & ſtudium eò direxerant, vt Regnum Gallicum occuparent contra legitimos illius ſucceſſores: non contenti quòd Regnum latrocinijs, cædibus & rapinis impleuerant, ſed inſuper Hiſpanum, crudeliſsimum & pernitioſiſſimum

mum hostem Franciæ introduxerant. Videntes enim ait ciuitatum rebellium incolas, quasi è lõgo somno euigilare, & iam redeũdo ad viam obedientiæ erga legitimum Regem suum, ad quam Deus & natura eos obligat, cogitare, vt omnino extinguerẽt scintillas, stimulosque amoris in patriam suam, quæ in illis incipiebant incẽdi, & reuiuiscere, opprimerent, Regnumque maioribus turbis & dissentionibus quam erat antea inuoluerent, se ad noui Regis electionem faciendam præparant; quam vt fuco aliquo ornarent, has Bullas edi publicari & eos fecisse asserit. Sed per id factũ prędictos perduelles & seditiosos manifestum facere, quod hactenus occultarunt, & quod prætextu solummodo Religionis vsi sunt, ad tegendam sceleratam & damnatam eorum conspirationem, quam omnes veri Franci & Catholici debebant detestari, & execrari, tanquam ex diametro pugnantem cum verbo Dei, sacris decretis, Cõcilijs, & immunitatibus ac priuilegijs Ecclesiæ Francicæ; aperientem etiam portam ad extremã ruinam & desolationem omnis politiæ & humanæ conuersationis à Deo institutæ, & præcipuè huius tam celebris & florentis Monarchiæ fundamentalisque viæ, à qua singulariter ordo successionis legitimæ nostrorum Regum dependet, ad cuius conseruationem omnes & singuli ex honore & dilectione Francici nominis, vita libentius debẽt periclitari, quàm pati, vt mutetur aut violetur: vt quæ polus est & cardo, in quo tota securitas & pax Regni vertitur. Hæc Procurator Generalis Nauarræi nomine, postulans tandẽ vt malo huic occurratur. Anno. 1593.

Concilium habita deliberatione querelas cõtra prædictarum Bullarum impetrationem, promulgationem, executionem, omniaq; inde subsecuta acceptauit, & de his omnib. appellauit: decreuitq; Cardinalem S. Onuphrij citadum, vt se contra dictam appellationem defendat. Interea idem Concilium omnes Prælatos, Episcopos, Principes Dominos, Nobiles, Ministros & subditos Regis, cuiuscunque status, conditionis, & qualitatis sint, hortatur, ne se patiantur seduci veneno & fascinatione talium rebellium & seditiosorum; sed vt maneant & contineant se in debita obediẽtia bonorum & naturalium Francorum, semperque obseruent affectum & charitatem, quibus Regi & patriæ obligantur, minimè autem adhęreant dolosis machinationibus eorum, qui sub prætextu Religionis Regnum quærunt inuadere, & barbaros in illud Hispanos, alioſq; violentos homines, introducere. Interdicit præterea omnibus hominibus prædictas Bullas circumferre, aut penes se habere, easue in vulgus spargere, aut se ijs defendere: neque perduellibus fauere, aut in ciuitates & loca prædictæ prætensæ electioni cõstituta, se transferre. Si quis Nobilium mandatum hoc violauerit, priuaretur sua Nobilitate, infamisq; & ignobilis proclamaretur: non ipse tantum, sed omnis etiam eius posteritas. Si Ecclesiasticus, possessionibus suorum beneficiorum eijceretur, & quicunque in hoc edictum peccauerint, tanquam læsæ Maiest. crĩminis rei, & tanquam perturbatores communis tranquillitatis, desertores & proditores suæ patriæ punientur: idque sine omni spe futuræ veniæ & absolutionis. De ciuitatibus verò, oppi-

oppidis & locis, vbi prædicta Comitia haberentur, quæ confœderatos admitterent, & in hospitia reciperent, decretum etiam est, funditus ea diruēda & exscindenda, ita vt lapis super lapidem non maneat, absque vlla spe restaurationis: vt posteritati memoria illorum proditionis & infidelitatis relinquatur. Præcipit insuper subditis, vt ad pulsum campanæ ciues omnes armati concurrant aduersus eos, qui ad prædicta Comitia venturi sunt. Hæc summa illius est decreti, quod initio quoque huius anni Cathalaunij per Tubicines est diuulgatum, & postea ad omnia loca quæ Nauarræo parebant transmissum. Anno 1593.

Dum hæc in Gallia fiunt, Dominus Bernsteinius à Pontifice in Poloniam missus, Reginæ rosam benedictam, seu consecratam attulit: quam illa magna cum solennitate & gratiarum actione accepit. Sed & triremes Pontificiæ Neapolim proficiscebantur, vt ex eo Regno 4. millia militū Mediolanum transportarent, eratque Romæ constás fama, easdem triremes reuersas in Hispaniam quoque abituras, vt ex Arragonię Regno sex millia in Italiam traducerent. In Croatia, vicinisque locis pacatiora erant omnia: cùm enim Christianorum exercitus, accessione Fuggerorum & Rottenouij militum auctus esset, Turca suos in hyberna misit, erat spes non exigua in aula Cæsaris nouarum induciarum. Legati Cæsarei 4. Ian. ex Lotharingia vnà cum heroldo Argentoratum reuersi, spem alicuius pacis fecerunt, & à Magistratu petierunt; arma deponerēt, se curaturos, vt Cardinalis idem faciat, sed cùm Cardinalis viam Zabrensem adhuc muniret, & Lotharingi in Brandenbur-

Pontifex Reginæ Poloniæ rosam mittit consecratam.

Anno 1593.

denburgenſes excurſiones agerent, pauci diuturnam fore hanc pacem credebant.

Nuptiæ Ioannis Ducis Saxoniæ.

Decimo octauo menſis huius, Dux Saxoniæ Ioan. VVeimarienſis vxorem duxit Margaretham Anhaltinam, & nuptiæ Altenburgi in Miſnia, magna cum pompa celebratæ. Pridie, qui dies erat 17. multi Principes, Comites, Barones & Nobiles exoticè non minus, quod pretioſè veſtiti atq; ornati, magno cum ſuorum comitatu, tympanis, tubis, alijſq; inſtrumentis perſtrepentibus, præcedẽtibus multis vexillis flauo nigroq; colore permixtis Altenburgum pedites, equitesq; ingreſſi ſunt.

18. *Ian.*

Primus omniũ erat Dux Fridericus VVilhelmus, adminiſtrator *Saxoniæ, cuius* dextrum latus claudebat Ioann. Caſimirus *Saxo*, Coburgenſis Dominus, ſiniſtrum Dux Ioann. *Sponſus*. Hos ſequebatur Margaretha Anhaltina *Sponſa*, cum iuniore Principe Anhaltino, in deaurato ſedens curru, ſeu ciſio; in magnifico deinde curru quoque iunior Dux Holſatiæ, cum Principe Deſſauiæ vehebãtur. Inde multi ſequebanturalij Barones, Domini Nobiles. Claudebat agmen Hanſelinus, prædicti Coburgenſis Principis Morio, peregrino habitu & multis, ijſq́ue oblongis plumis tectus. Poſtridie nuptiæ (vt diximus) celebrabantur. Tribus ſequẽtibus diebus varia exhibita ſunt ſpectacula, iucunda, ridicula, ſtulta, regio tamen ſumptu & apparatu, quæ omnia recẽſere, non eſt noſtri inſtituti; qui triſtia magis, quam læta ſcribimus, vt noſtrorũ temporum turbas & miſerias oſtendamus.

Reuerſus ex his nuptijs Dux Fredericus VVilhelmus, cùm audiſſet Lipſiæ quoſdam eſſe, qui poſt viſitationem Saxonicam inſolentes adhuc eſſent,

essent, & seditiosi, misit ad Magistratum serium, rigidumque mandatum, iuxta cuius præscriptum in huiusmodi homines inquirerent, & quomodo transgressores tractarent. Quod mandatum cùm Magistratus accepisset, confestim nonnullos huius seditionis authores in curiam vocauit, illis mandatum Ducis prælegit, præcepitq; vt in posterum se ab omnibus conuenticulis & querelis aduersus Senatum, & alios abstinerent; quod nisi faciãt, Nicodemo de Eijchen cẽturioni præceptum, vt hos, similesq; homines inquietos captos in arcẽ Pleisenburgẽsem abduceret. Nõ post multos hos dies Turgouiæ in Misnia iterum habita sunt causa Religionis comitia, in quibus duo sunt Administratoris nomine proposita & concluſa: quorũ vnum est, vt ij qui hactenus visitationis articulis non subscripserant, denuo vt subscribant vrgeantur. Alterum vt cum prædicti Caluiniani ex Misnia, Saxoniaque expulsi, nunc in Principatum Anhaltinum sese ingerant, ad Principem Ioan. Georgium, qui nunc rerum istic potitur, primo quoque tempore scribatur. vt tales homines suis ditionibus eijciat: ne quid in scholis & Ecclesijs moliantur, vnde postea (vti in Saxon. nuper) dissensio exoriatur.

Anno 1593. *Mandatum Saxonicum in Caluinian.*

Per eosdẽ dies Dominus de Rederen cum 50. lectissimis equitibus, postquã aliquã moram traxisset in Morauia, Viennam Austriæ venit, biduoque aut triduo mansit, à Serenis. Archid. Ernesto, qui Græcij erat, noua mãdata expectans, quo cum suis equitibus proficisceretur. Nam Turcæ nouas iterum excursiones ex Petrina noua munitione quotidie faciebant, & paucos ante dies Turopolia insulam,

Ianuar. 22. Turcarũ nouæ expeditiones.

Anno 1592.

sulã, quę alij Turopolim, alij Duropoliam nominant, ingressi, arcę & pagũ Beck Vochobinã spoliarãt, excusserantq; & post immensam eorũ tyrannidẽ, prẽter cæsos, 400. etiã captos secũ abduxerãt.

Conuentus Vngarorum Presburg.

Ordines etiam Vngariæ hoc tempore conueniebant, vt viam modumque colligendi pecuniam, & belli gerendi quærerent. Profectus erat eò Archid. Matthias, vt conuentui interesset. At Vngari initio nihil certi statuere, & decernere voluerunt, nisi ipse Cæsar præsens adesset.

Banditæ in Italia.

In Italia hoc mense Exules diuersis in locis coire, & varijs excursionibus Latiũ, confinia Sermonettæ & Terracinæ miserè depopulari cæperunt: iamq; fines Regni Neapolitani erant ingressi, contra quos Flaminius Delphin⁹ cũ suis copijs mittebatur. breuiq; tẽpore multos occidit. Adhuc per Italiam fames, frumẽtiq; durabat inopia, cum ecce diuina prouidẽtia hoc mense Haburgo, Gdano, alijsq; locis maritimis orbis Arctoi 50. circiter maximæ naues frumento oneratæ Genuam, portum Lygurinum, vulgò Liuorno, & Ciuitatem veterem appulsæ sunt, etsi initio hyemis cum oram soluissent, iamq; in altũ proueherẽtur, multæ incredibilis & diuturnæ tempestatis vi perijssent.

Naues Aquimolares in Italiã appulsæ.

Instabat iã tẽpus celebrandi conuentũ Parisiensem, in quo de nouo Rege creando ageretur. Sed quia Principes tardius venirent, prorogatum est. Nauarræus tamen, & qui ab illo stabant, metuentes feliciorem & celeriorem progressum, euocarunt omnes Officiarios Coronæ, primarios Catholicos, tã qui de Nauarræi erant concilio, quàm alios, qui illum sequebantur, vt Carnutum conueniant, certasq; conditiones concipiant ad

conser-

conseruationem Religionis Catholicæ, Regnique vtiles, quas Confœderatis Lutetiam mitterent. Eas si hoc loco recensuero, operæ prætium me facturum existimaui. Anno 1593.

Scriptum Catholicorum Nauarræum sequentium ad Mœnium & suos.

Principes, inquiunt, Prælati, Coronæ Officiarij, Præcipui ex Catholicis Domini, tã qui in Senatu Regio sunt, quã qui apud eius Maiestatẽ degunt, postquam viderũt prograĩma, sub titulo & nomine Ducis Mœnij Parisijs, mense Decẽb. impressum & in eadem ciuitate 5. huius publicatum, vt in eodem scripto legitur, idemq; Carnutum ad manus nostras 15. huius allatum est; fatentur apertè & in eo cum prædicto Duce conueniunt, continuationem belli præsentis, nihil præter desolationem, vastitatemq; huius Regni secum adferẽs, necessariò tandẽ extremã Catholicæ fidei ruinam & extirpationem parituram, cuius rei quotidiana experientia nimis multa præbent testimonia; idque cum dolore & querelis prædictorum Principum & Dominorum, aliorumq; Principũ & Dominorum omnium, qui Regẽ sibi à Deo datũ (vt par est, & iure tenentur) agnoscunt & colunt. Qui Principes sibi semper primarium scopum ob oculos habuerunt Catholicæ Relig. cõseruationem. Ideoq; magis obdurati sunt, & pertinaciores facti, ad coronam hanc armis & quibuscunque possunt mediis defendendam; quia viderunt exteros, qui Regni huius salutem & felicitatem oderunt, in illud introductos. Certissimum enim est, & cuiuis cognitũ, nihil illis propositum esse, quàm Regnum hoc funditus euertere, quod fieri non potest, nisi diuturniori bello, ex quo nihil successu temporis expectandum, præter vltimam Cleri

Nobili-

Anno 1593

Nobilium, vrbium & Prouinciarum proditione. Neque Religio in hoc Regno alium habebit finem & interitum.

Hinc est cur omnes boni Franci, & veri prædictæ fidei zelatores omnibus viribus & potétia sua debeant impedire primum & præcipuum inconueniens. cui secundum inseparabiliter coniunctũ est, vtrumque autem vitare est impossibile, si bellum diutius continuetur & ducatur. Optimũ medium ad fugienda mala omnia est, conciliatio & pax inter eos, qui magno Religionis incommodo à se inuicem disiuncti & alienati sunt, armaque sumpserunt, vt se mutuo persequãtur & perdant. Posito enim hoc fundamento, Catholica Religio iterum pristino nitori restitueretur, templa defenderentur ab omni incommodo, Clerus in sua conseruaretur dignitate, bonorumque possessione, ius, iustitiaque administraretur; Nobilitatis vires ad defensionem pacis & Regni augerentur, ciuitates restauratione negotiationis, omniumque artiũ mœchanicarum, ad alendas familias conducentiũ, quæ nũc iacent, iterũ nonnihil refocillarẽtur: quomodo & Academiæ, quæ olim hoc Regnũ tantopere nobilitarunt, ornaruntq;, & nunc planè perierunt: agri & campi, qui nunc vbiq; *locorum* otiantur, spinasq; & tribulos loco *bonorum* fructuum producunt (quod spectatu est miserabile) iterum colerentur & pascerentur. In summa, reducta postliminiò pace, vnusquisque ad antiquum opus suum reuerteretur, Deus coleretur, communis plebs sedens in tam firma pace benediceret, bene precareturq; omnibus, huius tanti boni authoribus: cùm nunc è cõtrariò iustissimas habituri

habituri sint causas execrandi omnes, qui illud impedire voluerunt: non alia moti ratione quàm propria auaritia & ambitione. Anno 1593.

Prædictis itaque ex causis, vt ad demonstrationem, intentionemque veniamus, qui prædictus Dux Mænius suo scripto exprimit, tam suo, quã illorum, qui partes eius sequuntur, & nunc Parisijs conuenerunt, nomine; quasi is conuentus sit institutus ad consulendum in medium, quibus modis Religio & tranquillitas Regni possit conseruari, dicimus eum talem esse, vt nec propositionum, nec loci ratione alij ad illum venire debeant, quam qui illius partis sunt, nec eũ possit sortiri effectum quem illi maginantur, & scripto suo persuadere nituntur, cùm contrariũ sit certissimũ ex eo conuẽtu nihil expectandũ, quàm exacerbatio maior animorum ad bellum prosequendum, & omnem spem reconciliationis præscindẽdam: Igitur prædicti Principes, Prælati, Officiarij Coronæ, & alij Catholici Domini, qui apud Suam Maiest. sunt, omninò certi & securi, quod omnes alij Principes, Domini & Prouinciæ Catholicæ, quas illi agnoscunt nõ minus in eodem zelo Catholicæ Religionis, & tranquillitatis Regni secũ conueniunt, quod in obedientia & fide suo Regi & nato Principi debita suo omnium nomine, cum licentia suæ Maiest. per hoc scriptum Duci Mænio, & alijs Principibus suæ familiæ Prælatis, Dominis, alijsque personis in ciuitate Parisiensi congregatis, significare voluerunt; quod si ipsis constitututum sit sua nobiscum consilia conferre, & nobiscum de modis, vijsque propriè ad tumultus hos componendos, & Religionem Catholicam,

Anno 1593.

tholicam, Regnumque conseruandum vltissimis, commodissimisque deliberare, & mittere legatos suos, personas virtute præditas, & bonas, vt conueniant tali in loco, qui ad hoc de communi consilio constituetur inter Lutetiam & Sandionysium; etiã se ex sua parte dicto die quosdam missuros, tam ad proponendum, quàm ad intelligendũ omnia media, quę possunt excogitari ad tam bonum finem vtilia. Quòd si vnusquisq; ad hoc colloquiũ eam animi sinceritatem & promptitudinẽ quam debet, & quam illi promittunt attulerit, certo sibi persuadeant, vias, modosq; inuentum iri, quibus ad tantum bonum perueniatur. Protestantes igitur corã Deo & hominibus, si hæc via reijciatur, alijque modi illegitimi præferantur, qui non possunt ex consequentia non esse nisi perniciosi Religioni & Regno, quibus deinceps progrediatur, vt Francia ad extremam periodum omnis miseriæ atque calamitatis adducatur, eaq; præda & spolium obijciatur, libidini & auaritiæ Hispanorum, vt sit triumphus illorum insolentiæ, idq; ope & affectione vnius partis, eorum potissimum qui nomine Francico gloriantur, degenerant tamen ab obedientia & honore, qui tanta solet *apud* Maiores suos esse in existimatione & reuerentia. Protestantes, inquam, horum omnium *malorum* culpam non posse, nec iure deberi adscribi; nisi his, qui ex talis medij repudiatione, seu reiectione, agnoscentur soli esse authores, & causæ, tanquam ij, qui priuatum commodum ad ambitionem suam, suorumque à quibus in hoc malo fouentur, vtile, his qui honorem Dei, & salutem Regni quærũt, præferre maluerunt. Acta

sunt

sunt hæc hæc Carnuti, vulgo Chartres, in Concilio Regio, vbi dicti Principes & Domini fuêre cum licentia Regis congregati, die 27. Ianuarij, decretumque vt per tubicinem Regium Parisios mitteretur. Anno 1593.

In Hispanijs moritur hoc tẽpore Marchio Carpensis, Neapolitanus, primarius Cameræ Principis, seu Regis: cùm paulo ante Rex vnà cum illo cisio vectus imperatricẽ visitasset. Luxit eum tota aula, potissimũ autẽ Itali, quorum dùm viueret singularis patronus fuerat. Rex paucis post diebus Madritũ reuersus est, podagra, leuiq; febri nonnihil afflictus, vbi nuncius ad eũ perlatus, piratos Anglicos magno numero mare infestare, classisq; Indicæ, quę expectabatur, opulentissimæ insidiari. Quia verò hyems hæc valde procellosa, varijsq; fuerat tempestatib⁹ infensa, ex varijs partibus per hos dies adferuntur tristia, de varijs naufragijs, magnarumque opum iactura, à qua nec Gdanenses, nec Dani, nec Hamburgenses, nec Hollandi, nec (vt reliquos taceam) Veneti fuêre immunes: qui incomparabilem thesaurum in triremi sua Thibaldo dicta, quæ Alexandria soluens iuxta Zacynthum submersa est, amiserunt, in quorũ breuibus, & alia triremis. *Nona Renziecæ* perijt.

Marchio Carpensis moritur.

Naufragio.

Turcæ, qui propter inopiam commeatus longè lateq; per Christianorum prouincias omnia depopulabantur, sub hoc in Vngariam numero 600. excurrerrnt, partim equites, partim pedites, sperã. tes se opimam prædam abecturos: sed quia lacus glacie concretus erat traijciendus, in medio lacu omnes submersi sunt. Ab alia parte, alijter mille uumero iuxta Neuhusen,

Turcæ 600. submergũtur.

ANNO 1593.

cùm conueniſſent, in duas turmas ſe diuiſerunt: quarum vna in conſpectum oppidanorum venit, altera in inſidijs latuit. Qui in vrbe erant, eruptione facta in hoſtẽ ferebantur, fugientemq; longius perſecuti ſunt: donec inſidias tranſierant. Tunc qui in inſidijs erant, exilientes citato curſu ad vrbem aduolant, ſpe ducti, eam ſe occupaturos: & parum aberat, quin effectus voto reſpondiſſet, vix enim centum præſidiarij Germani in vrbe erant relicti, quibus tantum vix temporis cõceſſum eſt, vt verſatiles pontes ad ſe attrahere potuerint. Ijs attractis. & maioribus aliquot tormentis diſplo-

Neuhuſen ex inſidijs tentatur.

ſis, receptui canunt Turcæ, vrbemq; relinquunt. Sed & ex Petrina per hos dies Martenizium ſubita impreſſione facta occuparunt, ſpoliarunt, cæſisque & captis 700. incenderunt. 150. tantùm è ſuis deſideratis.

Landighuerius lovgo iam tempore Allobroges bellis, cædibus & rapinis afflixerat. Menſe verò hoc Ianuario exercitum ſuum ex Pedemontana regione eduxit, & Delphinatum verſus profectus, nouas copias conſcribebat, vt Chambery vrbem, quam Marchio Villortius defendebat, *obſi*-

Landighuerius in Delphinatum exercitum ducit.

deret: famæq; in eius exercitu datum fuit, *eũ ope* Ducis Pernonij & Montmorantij breui *in Pedemontanam* reuerſurum. Quare Sabaudus omnes quoque copias, quas potuit, collegit, maioreſque indies expectabat, quas Socer Hiſpaniarũ Rex illi mittebat. D. quoque Philippum Acenalem Chiliarcham ſuũ Romam miſit, quò vbi veniſſet, mox ad Pontificis colloquium admiſſus eſt, Quo tempore Pontifex Ducem de Smena pretioſis donatũ muneribus in Franciam, cum varijs mandatis,

ad

ad Principes Confœderatos legauit. Anno

Vicesimo nono Ianuarij Magistratus Argentinensis ex suis membris aliquot legit, qui in castra sua profecti, vniuersum exercitum lustrarent. In itinere Lotharingi duobus se locis ostentarunt: sed cùm tria equitum signa in suo comitatu haberent, eos adoriri verebantur. Lotharingi Dachsteinium & Bensfeltium adhuc occupabant, vnde varias excursiones in Argentinenses faciebant, Nam & hæc circa tempora scribunt nonnulli eos Salestadium tentasse. at detectis insidijs, eos ab vrbe profligatos esse. Sed & cùm Lotharingi aliquot commeatum Dachsteinensibus aduehrent, obuium habuerunt Magistrum Equitum Storium, cum equitum vexillo, impressioneq; in illos facta Lothariogi, initio paucos è suis desiderarunt: at post mutata fortuna, hostem cædunt, fuganque, & quadraginta equos victores secum abducũt. Ernestus Marchio Badensis vicissim tribus maioribus machinis secum sumptis, Moltzemo egressus cum suis, Dambachium pagum Episcopalem occupauit; inde ad arcem Epsich ductis copijs eam quoque occupauit, & exussit. 1593.

Argentinensis belli status 29. Ianuarij.

In prouincia Dux Peronius adhuc hærebat, omnem mouens lapidem, vt promissionibus magnificis Aquas Sextias, & Marsiliam in partes Nauarræi pertraheret. Quòd si efficere potuisset, fama erat eum iunctis suis copijs cum exercitu Landighuerij bellũ in Pedemontana prosecuturum. Quare Sabaudus à Nemourio Duce, Lugdunensiũ Gubernatore, omnem opem auxiliumq; flagitabat. Gubernator quoque Mediolanensis quotidie auxiliares copias Neapoli expectabat, om-

Peronius in Delphinatu & Prouincia

Anno. 1593.

omnemque apparatum in vsum Sabaudi præparabat. Sed & ipse decem Centuriones constituerat, qui nouum militem conscriberent: & Sabaudis menstruum tributum, vti & Pedemontanis ad bellum prosequendum imperauerat. Quia verò Turcarum vires indies crescerent, omniaque loca sibi vicina depopularentur, Cæsar veredarium Romam misit ad Pontificem, opem & auxilium ab eo flagitans. Non enim adeo nuper ex Petrina sua Nobilis cuiusdam castrum, tribus circiter à Culpa miliaribus dissitum, in quod subditi circumquaq; habitantes omnem supellectilem, annonamque suam metu belli comportauerant, vi occuparant, spoliarant, sexagintos homines occiderant, incredibilemque prædam Petrinam auexerant: etsi cruenta illis hæc fuerit victoria, & quam quingentis suorum funeribus mercati sunt. Huc eos adegerat fames. cùm Petrinam ob densissimas niues commeatus importari non posset: quas niues deinceps Bassa ad sex milliaria tolli, viamque denuo iussit aperiri. VVinkoniam quoque inuaserant, & circum Turopoliam, comportatis lignis septem propugnacula ædificare cœperant. Cœperat etiam vndique spargi, ipsum Imperatorum Turcicum obsidionem Segnæ, vrbis Dro atiæ (ni fallor in nomine) maritimæ cogitare, eumque in finem ingentem classem præparare. His causis motus Cæsar veredarium Romam misit, opem implorans, quę Pontifex cum optima expectatione dimisit. Redierunt eodem tempore vrbem veterem triremes Pontificiæ, qui Genuam primùm, atque inde in Hispaniam traiecturæ dicebantur. Interea litte-

Cæsar à Pontifice opem implorat.

Nouæ Turcarum victoriæ.

litteræ in Hiſpaniam ad aulam Regis adferuntur, Anno.
claſſem Indicam ſaluam Hauanam, qui portus eſt 1593.
Cubæ inſulæ, non procul à Florida appulſam eſſe; quæ certè noua Hiſpaniam totam exhiliararunt. Sed ſubſecuta ſunt alia minus læta; Cæſardar quiam ſcilicet Piratam Anglicum cum magna claſſe in mari Athlantico viſum, qui huic claſſi è portu ſoluenti inſidiabatur. Quam ob rem confeſtim triginta naues bellicæ bene inſtructæ claſſi obuiam mittendæ præparati iubentur. *Claſsis Indica Hauanam appulſa.*

Duodecimo Februarij Vrbanus Pierius, olim Superintendens & Profeſſor Theologiæ in Academia VVittenbergenſi, è carcere, in quo diu detentus erat, interceſſione Reginæ Angliæ, aliorumque principum emittitur: poſtquam ſcriptum inſtar illius Ioannis Salmuth, cuius antea facta eſt mentio, magiſtratui dediſſet. Triduo poſt Dux Fredericus nouam legationem quorundam articulorum controuerſorum cauſa ad Magiſtratum & ciues Lipſienſes miſit. Cumque iam omnia, quæ ad Saxonicam viſitationem pertinerent, acta, & Caluiniſmus iam totus extirpatus eſſet, Deo in templis actæ ſunt gratiæ, Canticumq; Ambroſij & Auguſtini decantatum, quod Eccleſiæ Lutheri, eo in loco, vbi ante tot annos nata, & iam penè collapſa erat, pax reddita fuerit. *Finis viſitationis Saxonicæ.*

Regem Sueciæ menſe Nouembri obijſſe diximus antea. Frater autè eius Carolus in Finlandia quædã loca munitiora occupauerat, putabaturq; initio Regnũ affectare. Quare Sigiſmundus, pater Regnũ Regnũ nequaquã volens deſerere, veniam à Poloniis in Sueciam proficiſcẽdi. petijt. Sed cùm Poloni quidam reſponderent, id per homines priua- *Sigiſmundus Rex Poloniæ in Sueciam cupit proficiſci.*

Anno 1593. priuatos non ſtare, ſed in publicis Regni comitijs id concedi, vel non concedi oportere; publica Comitia in Malũ proximum indicta ſunt. Poſtea Carolus Dux nepoti ſuo ſcribit; petens, vt veniat primo quoque tempore, Regnumque ſuſcipiat: Se enim quæcunque occupauerit, in vſum illius reſeruare, & venienti traditurum. Interea mittuntur Legati Romam, qui de ſtatu in Suecia, Polonia & Tranſyluania componendo, conſeruandoque Pontificem conſulant. Quarum difficultatum deliberationem Pontifex quinque Cardinalibus, Como ſcilicet, Saluiatio, Sforſæ, Arragonio & Alexandrino commiſit. Heluetij quoque Cantones Catholici protectorem in aula Romana ſibi poſtularunt Cardinalem Farneſium, qui onus illud in ſe recepit.

Legati interea Cæſarei apud Lotharingos & Argentinenſes nihil non tentabant, quod ad pacẽm facere videbatur, Circa hæc tempora iterum Argentorato Blamontium profecti ſunt, vbi cum Cardinale latius hac de re acturi dicebantur. Turcarum inſolentia nondum erat compreſſa: nam per hos dies tria circiter millia ex inſidijs munitionem Palettam adorta ſunt, ſpe illam ex inopinato intercipiendi: ſed detectis inſidijs irrito conatu ad ſua redierunt. Circa Caſcouiam quoque excurrentes trecentos circiter Chriſtianos captiuos duxerunt. Eodem quoque tempore Maleſpina legatus Ducis Parmenſis Pragam venit Cæſari obitum patris Ducis ſenioris ſignificaturus, qui honorificentiſſimè ab Imperatore exceptus eſt.

Viceſimo tertio Februarij Romę vir magni nominis

minis Desiderius Guidius, vrbis gubernator diligentissimus, iuris & æquitatis obseruantissimus, in Ecclesia Mineruæ cum solemni pompa sepultus est, qui ingentem thesaurum reliquit, cuius hæredem Petrum Alodbrandinum Pontificis Nepotem instituit. Exules seu Banditæ hoc tempore auctis viribus nouas excursiones faciebant: Marchionatum Anconitanum, Latium & Campaniam miseris modis diuexabant, omniaque itinera infesta habebant. Veredarius enim Neapoli veniens cum insigni equitum peditumq; comitatu, in quo erant duodecim muli ingẽti opum vi onerati, vigesimo secundo Februarij inter Terracinam & Pipernum à centum circiter Banditis intercipitur. Pugnatum est diu fortiter, sed tandem superiores Banditæ duodecim pedites Neapolitanos, & Nobilem quendam Tricaricensem occidũt: reliquos fugant, omnesque mulos cum mercibus secum in vicinam siluam abigunt, è suis tantùm tribus desideratis, pluribus tamen vulneratis. Eodem hoc die Romæ supra castellum S. Angeli visi sunt in aëre igniti radij, longi & lati, instar ignitarum trabium, quod prodigium ab incolis integra hora cum magno horrore & metu visum est.

Anno 1593

23. Februar.

Banditæ in Italia.

Prodigium.

Sed aliud per hos dies contigit Genuę memorandum; & Principibus viris, ne facilè confidant hominibus barbaris, aut seruis suis, obseruandum. Cùm enim filius Principis Doriæ, cum sponsa sua Columna, recreandi animi gratia Lotanum, suæ ditionis castrum nauigare vellet, triremem iussit præparare: impositis Sclauis seu Barbaris captiuis remigibus iter instituitur. Cum-

Doria periclitatur.

Anno 1593. que iam in mari essent, conspirantes inter se remiges. Doriam cum triremi in Barbariam abducere decreuerunt: sed cùm non longè processissent, ecce contrarius ventus tam vehemens exortus est, vt frustra illis operi incepto incumbentibus, triremis Genuam ventorum vi repulsa sit: vbi conspiratione detecta Barbari omnes capite diminuti sunt, & Doria singulari beneficio Dei periculum euasit.

Montmorantius, Landigheurius, Pernonius. & alij aliquot Duces Nauarræi paucis ante diebus, non procul Auinione conuenerant, & deliberarant, quomodo bellum in Pedemontana & Sabaudia prosequerentur, Ducemq; profigarent. Post maturam deliberationem cùm discessissent, confestim copias aliquot in Pedemontanos miserunt, qui Pinarolam vsque procurrentes, obuia quæque vastarunti, & diripuerunt: molas quoque omnes cum maximo incolarum incommodo disiecerunt. Pernonius Nissam vsque cum suis prouectus, LX. non infimi nominis homines præter alia, captiuos abduxit, quibus ingens lytrum imperauit. Montmorantius quoque eodem ferè tempore Aubenas in Viuariensibus vrbem astu occupauit. Sed præsidiarij, qui in arce erant, eam fortiter defenderunt & ad Lugdinenses nuncium miserunt, subsidium ab illis implorantes. Mœnius, & qui cum illo Parisijs erant, etsi adhuc numero exigui, iam initium Comitijs dederant. Auspicaturus ea Dux Mœnius primo die tanquam Præses insignem habuit orationem. Initio post Deum agit immortales gratias Pontifici Romano, & Hispaniarum Regi, eò quòd illo-

Initium Comitiorum Parisiensium.

illorum opera & auxilio Regnum Galliæ protectum esset, ne in manus Caluinistrarum incideret: monens deinde Ordines, vt id, ad quod vocati essent, seriò, sincereque peragerent. Quam Ducis orationem excepit Archiepiscopus Senonensis, qui longa oratione hortabatur Ordines, vt Regem creent Catholicum, & potẽtem, qui & vellet, & posset subditos aduersus omnes hæreticorum vires defendere. His duabus orationibus primo diei finis est impositus. Sequenti die cum Mænius corpore non benè dispositus esset, nihil actum est. Venit interea Tubicen, missus à Catholicis partis Nauarræ cum scripto, cuius antea mentionem fecimus. Quod cùm lectum esset, decretum fuit, expectandum, donec conuentus esset frequentior, antequam responsum mitteretur. Hic in tempore scriptores non conueniunt, cùm quidam hæc acta fuisse vigesimo octauo Ianuarij, alij decimo octauo Februarij affirment. Nos incertum pro certo ponimus. Interea in omnibus mensis, plateis, in foro, in templo, variæ de his Principibus ferebantur opiniones. Quærebantur causæ, quæ illos vt Nauarræum sequantur, permoueant. Quidam decebant, eos in spẽ contra spem Nauarræũ aliquãdo conuertendũ sibi persuadere: alij quod Nauarræus ex ipsorũ genere, gente aut familia esset, & sibi, suisque aliquando successionem sperare, aut saltem maiores apud Regem sui sanguinis amicitias, & dignitates. Nonnulli putabant id eos facere, eò quod parti aduersæ sunt infensiores: reliqui quod Nauarræo Rege ma-

Anno 1593.

iorem

Anno. 1593. iorem rerum licentiam, pinguiores prædas, & ſecuriorem bonorum Eccleſiaſticorum direptiones aut poſſeſsiones ſperarent. Has potiſſimum eſſe cauſas, quibus Principes illi mouerentur, aiebant, nullam tamen eſſe ſufficientem, cur ſe criminum omnium ac malorum, quæ in Deum, hominesque, in Religionem, in patriam, in ciues perpetrantur, ſe cauſas, authoreſque conſtituere debeant. Multi mirabantur Principes illos non videre, quantis ſe periculis inuoluant, etiam in hac vita. Iam multis enim ab annis viſum, quam infelici morte perierint omnes, qui hæreticis fauerunt. Exempla in Gallia referebantur multa, atque inter alia Henrici & Franciſci Valeſiorum fratrum. In Belgio vix vnum ſupereſſe ex ijs qui Eccleſiæ perturbandæ authores, fautoreſque initio extiterunt: multos miſerabili morte perijſſe. In Anglia notum eſſe nullum extitiſſe, aut Henrico, aut Eduardo Regibus, aut Reginæ Elizabethę ex tota nobilitate ad Religionem Catholicam perturbandam inſtrumentum, de quo ſupplicium grauiſsimum ac manifeſtum, per ipſos etiam ferè, quibus inſeruierant, Dei iuſtitia poſtea non ſumpſit, Manifeſtum eſſe exemplum Cardinalis VVolſæi, & Crumueli, duorum Eccleſiaſticorum, præcipuorum iniquitatis Regiæ adminiſtrorum. Teſtari idipſum duorum maximorum Ducum miſerandæ calamitates, Suffolciani & Norfolciani, quorum vtraque familia penè extincta eſt. In Scotia memorabile quoque eſſe Hamiltoniorum exemplum. Eadem, aut ſimilia timere ſibi debere Nobiles Galliæ. Nam ſi Nauarræo benè ſucceſſerit, ipſius manu, cete-

rorumque

rorumque hæreticorum, ne obesse deinde possint, sine dubio extirpandos. Nunquam enim hæreticos de istiusmodi hominibus securos esse, qui repugnante conscientia, contra illam fidem & religionem, quam ipsi profitentur, animi quadam perturbatione impulsi, eiusdem fidei aduersarijs ad iniquitatem inseruierunt. Timent enim, ne recedente hac animi perturbatione, & in se reuertentes aliquando demoliri velint, quæ antea ædificârunt. Si verò Nauarræus tandem fractus dissipetur, ipsos quoque eodem Dei iudicio inuoluendos, eos qui tantorum criminum se fecêre socios, eiusdem pœnæ fore participes. Interea dum viuunt eos incendium, bustumque suæ patriæ visuros, alterum alterius odijs, infidijs, machæris interfectum iri: ac tandem eò rem deuenturam, vt omnibus suspecti, hæreticis pariter; Catholicisque inuisi, sibi ipsis graues, ac posteris infames, sine honore, sine memoria in terram sepeliantur. Hæc, similiaque de Principibus Nauarræum sequentibus agitabantur inter Confœderatos. At illi alia fortè spe moti, partem quam defendendam susceperant, non deseruerunt. Anno. 1593.

Intera Vicecomes de Tauannes, cum Baronibus Burgundiæ, & 600. equitibus Lutetiam Parisiorum venit. Legati quoque ex Normannia iam aderant. Ex Picardia & Aurelia quotidie expectabantur. Nauarræus qui Carnuti adhuc erat, copias suas omnes cogebat, ex Normannia, territorio Cenomanensi, alijsque locis Anglos, ceterosq; pedites & equites Parisios versus misit; quosdam etiam pedites ad expeditionē

Menuen-

Mennensem, quod propugnaculum est Aureliani-
nensium ablegauit. Mœnius quoque clam Pari-
Mœnius ad Mansfeltium sijs profectus ad Carolum Manssfeltium, qui inter
Landrecesium & Guisiũ cum auxiliaribus copijs
adhuc subsistebat, mandatum, quo se verteret ex-
pectans, magnis itineribus contendit. Antequam
Parisijs discederet, Principibus ordinem consti-
tuit, quo in Comitijs procederent: deliberarent,
& constituerent quod expediret; de electione au-
tem ipsa, nihil decerneretur, priusquam ipse re-
diret.

Disciplina militaris in Belgio. Cùm Albanus Dux Belgium gubernaret, ea erat
militaris disciplina, vt quicunque ex hostibus ca-
peretur, vtrinque suspenderetur. Non hic gratia,
non fauor, non lytrum quicquam valebant. Quo
id effectum est, vt coloni in pagis, villis, lociſque
non munitis tranquillius viuerent, & viatores
quocunq; vellent securius proficiscerẽtur. Metus
enim ille suspendij militem in officio cõtinebat,
& ab excursionibus, deprædationibusq; prohibe-
bat. At postea sub alijs Gubernatoribus, cùm dis-
ciplina hæc aut nimis rigida, aut minus quæstuo-
sa videretur, ea abrogata est, & alia substituta: ni-
mirum vt gregarij milites cùm caperẽtur, sex Ca-
rolinis sese redimerent; Signifer quoque & Vica-
rius vnius mensis darent stipendium. Solus Cen-
turio & Chiliarcha tantùm numerarent, quanto
victor eos posset emungere. Hac data licẽtia Mar-
tis Apostoli in omnem terram diuisi, sine pera ex-
xierunt, sed non sine sacco redierunt, & nouum
Euangelium rusticis & mercatoribus, sed nó gra-
tis, annunciauerunt. Hinc factum inquam, vt tan-
quam apes ex aluearibus, sic milites vtrinq; ex vi-
bibus,

bibus oppidis, castris & propugnaculis in omnes villas, pagos itinera effusi, nobiles qui in castellis suis habitabant, agricolas, mercatores, alioſq; viatores ſpoliarent, caperent, ſæpe etiam occiderent: Scio vbi mos ille viguerit, vt quotieſcunque vnus manipulus aut duo prædatum exirent, ſtatim alij duo veniam impetrarent, vt prioribus reuerſis, ipſi quoque fortunam experientur. Ijs iterum exeuntibus alij, atque ita via nunquam tuta fuerit. Vt quid enim hoc non facerent iſti, quibus nec fides eſt, nec conſcientia: quale ferè eſt iſtud genus hominum (bonos ſemper excipio) qui caſtra ſequuntur? Nam

Si fortuna volet, fies ex paupere dives;
Si nolit, damnum preſti reparare licebit.

Anno 1592.

Præfecti & Centuriones hanc quoque licentiam non grauatè concedebant, quia ex omni præda ſuam portionē percipiebāt. *Videbant furē, & currebant cum eo.* Hinc factum, vt agri ſqualerent inculti, paſcua & prata verterentur in arundineta: villæ, vici, Nobilium ædes ab habitatoribus derelictæ corruerent. *Oriebantur, in eis ſpinæ & vrticæ & ſalsurus in munitionibus eorum: facta ſunt cubilia draconum, & paſcua ſtrutionum. Onocrotalus, & erinaceus, & ibis, & coruus habitabant in ijs &c.* Huic paroxiſmo hoc qualecunq; remedium poſtea inuentum eſt, nimirum vt quocunque vel hi, vel illi ſigna hoſtilia inferre poſſent, omnes iſti incolæ, nobiles, & ruſtici, ciuitatibꝰ exceptis, ſingulis mēſibus tributum penderēt hoſti, cui eſſent viciniores: quod quamdiu fideliter ſoluebant, ſub fide publica (vt plurimū) tranquillè viuebāt & agros colebāt. Ex huiuſmodi tributo magnam exercitus

Eſaiæ 34.

partem

Anno 1593.

Tributa prohibentur hostilibus dari in Belgio.

partem alebant Ordines Confœderati. Vt igitur hunc bolum ipsis eriperit Petrus Ernestus, Comes Mansfeltius, Belgij pro tempore Gubernator Regius, edicto cauit publico, ne quis postea huiusmodi tributũ hosti solueret. Quòd si hostilibus excursionibus eam ob causam diuexarentur, signum ex turribus darent, arma corriperent, pagi conuenirent, periclitantibus opem ferrent, & hostem cæderent: captos nullos lytro qualicunque dimitterent, sed statim suspendio necarent. Idem etiam militibus imperatum, vbicunque hostem deprehenderent. Displicuit ea res maximopere Ordinibus Confœderatis, quare in conuentu Hagæ Comitis 27. Februarij scriptũ huiusmodi contra hoc edictum typis excusum publicârunt. Ordines generales confœderatarum prouinciarũ Belgij, omnibus hoc scriptum nostrum visuris, lecturis, aut legi audituris salutem optant & felicitatẽ. Cùm ex varijs actionibus, excusisq; mandatis, quæ hostes proximis duobus mensib° ediderunt, manifestũ satis fiat, sibi nõ satis esse crudelẽ illâ tyrannidẽ, qua tot infelices & innocentes iugulãt trucidantq; homines, tot florentissimas prouincias, vrbes & pagos Belgij deuastãt & depopulãtur, nõ alio fine, quàm vt hominũ cõscientijs, vitæ & fortunis in hoc Belgio dominẽtur, operã dãtes, vt has prouincias Belgicas, ciuitas & incolas earũ, omnibus suis priuilegijs & iurib° spoliẽt; exstimantes hoc modo (pro veteri suo in Belgiũ, & eius incolas odio) priorẽ suã tyrannidẽ & sanguiniariã suã administrationẽ, quę annis iã proximè prętéritis aliquantulũ deferbuit & diminuta est, denuò reitaurare. Adeò vt in quibusdam impressis literis

Febr. 27. Edictum Ordinum Confœderatorum Belgij.

nomine

nomine Petri Ernesti, Comitis Mansfeltij, qui se generalem Gubernatorem prouinciarũ Belgicarum nominat, quinto Ianuarij huius anni ad Vicarium Cancellarij & Senatum Brabantię scriptis, & typis excusis, præcipiatur, ne quis nostrorum militum, qui capitur ab illis, solito lytro numerato dimittatur: sed omnis illa cõuentio rescinditur. Præterea vt omnes Coloni in pagis & agris habitantes sese aduersus nostros milites muniant, munitionesque & propugnacula excitent, quibus sese defendant. Quę omnia tendunt ad Ecclesiasticorum, Nobilium, & ciuium perniciem, agricolarumque fugam & exitium. Interdicitur quoque ijsdem ruricolis sub pœna capitis, ne quis deinceps litteras publicæ fidei à nobis petat, aut ijs vtatur. Adhęc mãdatur, vt qui in oppidis & pagis suo imperio subditis nati sunt, & arma (pro libertate & communi salute Patrię Belgicę) tractant seu gerunt, omnes trucidentur, aut carnificis manu interficiantur: aliaque multa ex innato odio prouenientia, & nil aliud, quàm singularem quandam tyrannidem, & insolentem sanguinis effusionem spectantia. Nostrũ igitur est (vt qui eam tot annis pro communi salute Christianissimi, libertateq; Belgica, & omnium bonorum subditorum, cuiuscunque status ac cõditionis sint, omnia fecimus, quæ cum æquitate & nullius detrimẽto fieri, pro viribus nostris potuerunt) huic tam iniquo proposito obstare; præsertim in hoc negotio, cum toti mundo constet, quo prædicta cõmunis tyrannis & ambitiosa dominandi cupiditas tendat:

Anno 1593.

Saluaguardias vocant.

Anno 1593.

nimirum non tantùm vt ſuo imperio prouincias Belgicas, ſed & omnes vicinas regiones Germaniam, Galliam, Angliã, & alias plures, ſubijciãt. Quare meritò omnes & ſinguli moueri, omnibus modis ſtudere deberent, vt & laudabilis hæc noſtra intentio aduerſus noxium hoc & exitioſum propoſitũ promoueatur, & in opus mittatur.

Quamobrem nos in prædictarũ confœderatarum prouinciarũ Concilio & Senatu decreuimus, & conſultum putauimus, omnes & ſingulos Eccleſiaſticos & ſeculares, cuiuſcunq; dignitatis & conditionis, qui nondũ nobiſcũ in concordia & defenſione libertatis conſenſerunt, admonere ſeriò, & amicè exhortari, vt diligentem rationem habeant debiti & fœderis, quo patriæ, ſibijpſis, quo cõiugibus, liberis & poſteris obligati ſunt. Et omni longiori mora poſtpoſita, dextram nobis porrigant, vt nobiſcũ iuncti paribus viribus & animis exitioſum hoc mandatũ (ex quo nihil conſequẽs eſſe poteſt, quàm extrema laudabilis Belgij deſolatio) impediamus, & cõmunem libertatem quod ab omnibus Chriſtianis Principib. laudatur, defendamus. Quo futurum eſt, vt non tantùm Belgio, omnibusq; illius incolis breui tempore priſtina felicitas, vſus iurũ, priuilegiorum, & bonorum; etiam negotiationes & commercia ad communem conuerſationem Dei gratia reſtituentur: ſed & omnes vicinæ regiones & Regna, vt Germania, Gallia, Anglia, &c. à tyrannide, & impotenti Dominatione erunt ſecuriora, magisq; libera. Omnibus

ita q

Anno 1593.

ſtaq; quicunque huic tam laudabili & neceſſario operi fauēt, indubitatū volumus, aliam non eſſe intentionem noſtram, quàm vt conſeruetur continua & interrupta concordia, amicitia, & quidquid à confœderatis amicis & vicinis optari & expectari poſsit.

Porrò cùm præter naturā ſit, vt per incolā ipſos Belgas Hiſp. petulantia & libido aduerſus Chriſtianam, & præcipuè Belgicam libertatem, ad oppreſſionē & interitum patrię, ſuiipſorum, coniugum, liberorum & poſterorum ſuorū, ad perpetuam ignominiā & infamiam poſteritatis foueatur, & armata manu defendatur, admonemus & hortamur omnes Belgas, qui arma aduerſus patriā, nos, ſeipſos, vxores & liberos ſub imperio Hiſpan. ſumpſerunt, vt Aprili proximo ab illis diſcedant: quia non decreuimus poſt hac pactū vllū cum illis ſeruare, aut vt ſeruetur pati: ſed omnes vt hoſtes tractare. Statutū etiam nobis eſt, in authores, vt præcipuos huius dominationis Cōſiliarios, in omnes etiam incolas locorū & pagorum, qui iuxta præſcriptu dicti mandati cōtra milites noſtros arma induūt, aut poſtea ſe vallis & propugnaculis munituri ſunt vti & in eos, qui tributū, quod illis à nobis impoſitū eſt, aut imponetur, ſoluere detrectauerint, grauiter animaduertere: ne ordo belli, & expeditiones noſtrarum cōpiarū aduerſus inſolentiā & crudelitatem prædonū præmiatorumq; impediatur: ſed in ſuo curſu permaneat. Hactenus editum; quod confeſtim ad oēs prouincias imperio ſuo ſubiectas, vt promulgaretur, tranſmiſſum eſt.

Anno 1593.

Dux Bauariæ ad Imperatorem venit.

Bauariæ Dux circa hæc tempora in Boëmiam ad Imperatorem salutandum, & cum eo de rebus serijs colloquendum venit: à quo honorificētissimè susceptus, paucos post dies ad suos reuersus est. Iam enim nunciauerat Pontifici, se Romam peregrinationis ergò venturum. Properabat itaque vt in maiori hebdomade illic omnibus Ecclesię ceremonijs interesset. Sed in Ducatum suum reuersus, nuntium à Pontifice accepit, paulisper expectaret, antequam itineri sese accingeret: Pontificem enim Comitem Alphōsum cubicularium suum misisse ad Ducem, vt ei gladium & galerum, in nocte Natiuitatis Dominicæ benedici solitum, efferret. Manfit itaque Dux & munus Pontificis summa cum solennitate & deuotione suscepit: Princeps certè si quis hoc tępore alius sanctissimus, qui sub aureis & sericis vestibus habitū gerit monasticum, & vitam viuit Angelicam. Quia verò Romæ ob præteritorum annorum famem omnia granaria erant euacuata, Pontifex, vt prudens œconomus, vndique frumentum coëmi hoc tempore mandauit, Romamq; comportari. Siciliæ Prorex cùm hanc Pontificis curam intellexisset, misit ei triginta modiorum (*rubi vocant*) millia. Decem quoque millia eiusdem mensuræ in portu Lyguinō; & alia alijs in locis sibi comparauit. Cumque nauis vna ex Sicilia in Italiam rediret, in Turcarum manus incidit. iamque eam sex Turcæ superauerant, cùm ecce diuina dispositione ventus vehementior exortus, naues à se inuicem diiecit, Pontificiamque saluam in portum ciuita-

Pontifex Duci Bauariæ mittit galerum & gladium.

Pontifex annonam vrbi comparat.

tis

tis veteris perduxit. Paulò pòst, octauo scilicet Martij, cùm incredibili solennitate Romæ celebratum fuit officium de sancto Thoma Aquinate, cui præter alios infinitos penè prælatos, 31. Cardinales, viri prudentes, plerique senex, magna cum animi intentione & pietate interfuerunt: quos Cardinalis Arragonius, è sancti Thomæ familia oriundus, epulo excepit. Pontifex deinde Franciscum Aldobrandinum Nepotem suum cum lectissimis militum copijs in Marchionatum Anconitanum misit, aduersus Exules, omnia illic diripientes, ac deuastates. Sed & triremes aliquot instrui mandauit, quæ oras legentes eas à piratis tuerentur. Decimo deinde Martij Archiepiscopum Cęsaraugustanum, Regis Hispaniarum legatum, cum causarum expeditione à se dimisit, vt in Hispanias rediret. Interea Burdegala scribitur, Marchionem Martignonium Nauarræum Braiam ciuitatem ad Carumnam fluuium, munitam admodum, & magnæ commoditatis cum obsedisset, cum 1200. peditum, & proprij filij amissione ab oppidanis fortiter reiectum. Cumq; Gubernator vrbis neutram sequeretur antea partem, belli exitum expectans, hac importunitate offensum, fœderi sacro subscripsisse, vrbemque Confœderatorum potestati fecisse.

Anno 1593.

8. Martij. Fracisc⁹ Aldobrandinus in exules mittitur.

10. Martij. Martignonius Braiã frustra tentat.

In Vngaria, & Croacia Turcæ bellum prosequebantur: in Vngaria namque castrum S. Hedvvig ad Balatonem lacum, vulgò Blattenzee, munitissimum occuparunt, spoliarunt, & incendio deformarunt. Similiter & Issnam. deinde cum exercitu Gomorram paruam profecti,

Anno 1593.

fecti, à præsidiarijs fortissimè repulsi sunt. Sed à tot bellis tandem ad vnam pacem veniamus.

Cic. lib. 1. officiorum.

Suscipienda sunt bella, inquit Cicero, vt in pace sine iniuria viuatur. Hactenus multa de bello particulari quidem, sed satis, funesto inter Argentinenses & Lotharingos multa nobis dicta sunt. Defatigatis tandem vtrinq; animis, & intercedentibus legatis Cæsareis, 26. Ianuarij aliqua spes pacis cœpit exoriri. Brandenburgenſis enim & Capitulares Protestantes cum Magistratu Legatos Cæsareos adeũt; Mandatis Imperatoris se parituros, & ab armis recessuros promittunt, his tamen saluis conditionibus. I. Quidquid ad Episcopi imperium & iurisdictionem pertinet, sex Principibus Imperij custodiendum traderetur, donec pax conuenerit. II. Vt Cardinalis Lotharingus prius, aut simul secum arma deponat. III. Vt Cardinalis omnium præteritorum damnorum futurorumque periculorum cautionem det, idque apud aliquos Ordines Imperij. IV. Vt Cardinalis de omni controuersia impromissum faciat. Nec alios compromissarios, quàm sex Principes Imperij, VVolffgangum scilicet Archiepiscopum & Electorem Moguntinum, Iulium Episcopum Herbipolensem, Archiducem Austriæ Ferdinandum, Ludouicum Lantgrauium Hassiæ, Philippum Ludouicum Palatinum Rheni, & Fredericum VVilhelmum Administratorem Saxoniæ postulet. Deinde Capitulares & Magistratus suas etiam conditiones proposuerunt, sibiq; concedi postula-

Quibus conditionibus Argentinenses pacem velint acceptare.

Conditiones à Capitulo & Magistratu propositæ.

runt,

runt, antequam ab armis discederent. I. Vt priusquam Arbitris Episcopatus oppida, arcesque tradantur, tantum de Episcopatu Marchioni Brandenburgensi, quantum Cardinali concedatur. II. Vt confestim, & antequam hoc fiat, Capitularibus & vrbi sua oppida, arces, & pagi restituantur. III. Vt Ecclesiasticis in vrbe habitantibus, & ciuibus omnium bonorum suorum per Episcopatum possessio & vsus, sine vllo impedimento, permittatur. IV. Vt Cardinalis vrbi ademptas machinas bellicas restituat. V. Quia sine consensu Marchionis, Ernesti Frederici paciscì ipsis non liceat, vt ipse in possessionem Dominij *Baertsch* restituatur, eique per omnia satisfiat: ne causa querelarum in posterum relinquatur. VI. Vt omnes captiui absque lytro dimittantur. Anno 1593.

Cum his conditionibus legati Cæsaris deinde ad Cardinalem (vt diximus antea) profecti sunt: qui cum sua quoque postularet, vltro citroque scribendum & cursitandum aliquam diu fuit. nunc hac, nunc illa parte aliquid de volũtate & proposito suo remittẽte, donec tandẽ sub initium Martij inter partes his conditionibus conuenit. Primò vtrinque ab armis discederent, militem exauthorarent, & dimitterent, pacem & amicitiam colerent, primariam litis causam arbitrio sex prædictorum Principum decidendam relinquerent. Interea Dux Carolus, Cardinalis Metensis in Alsatia retineret Tabernas, vulgò *Elszabern*, Bensfeldiam, Satrapias Bernsteinium, Kochersbergam, Schirmakium, Su- *Conditiones pacis Argentinenſis.*

Anno 1593.

periores Mundatas (vt vocant) vt Ruffach & circum vicina loca ab Episcopatum pertinentia: sed & Moltzemum illi ab Argentinensibus redderetur. Marchioni autem Brandenburgensi viciſſim cederet Satrapia Dachſteinium, cum arce & pagis ei ſubditis. Monaſterium cum granario, prouentus in Obernehenheim, & in eodem oppidulo dimidium Marlenheim cum ſuis Satrapiæ quoque VVentzenouia & Reichſtatter, VVeijersheim, zum Thurn, Markelsheim, Oberkirch vltra Rhenum, Ettenheim & Graftenhauſen. Ciuitati verò Argentoratenſi reſtitueretur VVaſſelsheim, & tormenta bellica in eo oppidulo inuenta. His conditionibus vtraque pars decimo die ſubſcripſit, & pax per tres tubicines magno ſubditorum gaudio promulgata.

10. Martij.

Arbe periclitatur à Banditis.

Marcum Sciarram celebrem prædatorem, & ſocium eius Battiſtellam nuper cum aliis eorum complicibus, qui in Arbe erant, Venetiin Candiam per Generalem ſuum tranſportandos iuſſerant. At cùm Generalis eo veniſſet, illi vt cum ipſo proficiſcerentur induci non potuerunt. Rogatus eſt Epiſcopus illius loci, vt cum Petro Comite, & alijs nonnullis eos accederet, boniſque admonitionibus, vt pareant, induceret. At nefarij homines illi, quia vrbem ſpoliare decreuerant, Epiſcopum cum reliquis omnibus in vincula coniecerũt, peſſimeque habuerunt Generalis re intellecta, ſubductis ad terram nauibus, claſſiarios omnes in littus expoſuit, vrbemque cum furore inuadit. præſidiarios quoque vicinorum loco-

rum

rum euocat, & exercitum 3000. armatorum in Banditas immittit. Qui cùm se impares tanto numero viderent, nec vsquam patere elabendi insulam; itinera enim erant obsessa, sese ad arbitrium Generalis dediderunt. Sciarra tamen & Battistella fuga elapsi iunt. Generalis mox exploratoriam nauiculâ ad Venetos misit, & in eo legatum, qui hæc Venetis nunciaret, sententiamque illorum quæreret, quid de captiuis fieri vellent. Veneti respondisse feruntur, de Principibus istius tumultus capitis supplicium sumeretur; alij ferreis vincti catenis remigio applicarentur. Battistella & Sciarra primò ad Turcas fugisse credebantur: sed paulò pòst intellectũ est eos ad loca tuta peruenisse, sub prætextu legationis, quam se à Thiepolitanis ad Archiducem Ferdinandum habere finxerant. Carolus Comes Mansfeltius hactenus inter Landreceſium & Guisium cum copijs suis substiterat, vt diximus, mandata noua expectans. Aduenientе autem Mœnio clam exercitum in Bellouacenses ducit, Nouiodunumque intempesta nocte admotis scalis intercepturum sese sperabat. Sed qui in vrbe erant, cùm audirent hostem adesse, magna contentione eum de mœnibus detrudunt, disploſisque maioribus tormentis, longius ab vrbe reiiciunt. Amisit Mansfeltius in hac expeditione milites circiter trecentos; alij plures, alij scribunt pauciore. Mœnius Suessionem cum Duce de Feria, qui iam aduenerat, profectus est. Inde Remos, Remis Parisios reuersurus.

Anno 1593.

Mansfeltius Nouiodunum fruſtra oppugnat.

Rumor hoc tempore increbuit de nuptiis *Sororis Regiæ*

Anno 1593.

Principis Nauarræ cum Duce Mompenserio, apud Turones celebrandas: ijs interfuturum Regem Nauarræum cum potiori parte Nobilitatis. Gubernatorem Aubenarum per proditionem occupasse Monualiũ: Primogenitum Montmorancij adolescẽtem iam bello aptum obijsse, & Nemourium Ducem Vienna Lugdũnum reuersum, se ad expeditionem aliquam præparare. Similia tristia, imò tristiora nunciabantur ex Vngaria & Croatia. Constans enim fama erat Transsyluaniæ Principi à Turcarum Imperatore certum numerum armatorum ad belli contra Christianos continuationem imperatum. Quòd si obediat, promittere illi Barbarum Regnum Poloniæ, si per discessum Regis in Sueciam vacauerit. At magnanimum Principem eius, & mandata & promissiones respuere. Paucis ante diebus Comes Hardeggius, Rabæ ad ostia Rabi fluuij Gubernator, cum Domino Galleo, præfidijsque & incolis istius regiõis, numero circiter 3000. hostilem terram inuadere, & prædam facere decreuerat. Cumque ad Balatonem lacum peruenerat, à Domino Ferdinando Samaria à Vesperm præmonetur, pedem retraheret: hostem enim in procinctu esse, qui nisi eius monitis paruisset, ipse cum toto exercitu ad internecionem occisus esset. Turcæ autem Stockam, quàm nuper obtinuerant, incredibili modo munierunt, vt omnium prædonum & excursionum suarum tutum sit receptaculum.

Nauarræi nuptiarum inuitia.

Comitia Presburgensia sine magno fructu

erant

erant dimissa, Boëmorumque conuentui statuta dies nunc aderat. In ijs propositum est, Ordines Regni præcedens auxilium & tributum tres adhuc annos continuarent. Præterea copias aliquot in confinia Turcarũ mitterent. Alias adhuc copias conscriberent, quibus Turcarum Dominia infestarentur, eaidem copias alerent, apparatu bellico & rebus necessarijs munirent. Præterea in ordinarijs præsidijs sustentandis suam expensarum partem mitterent, eamque futura æstate duplicarent. Hactenus pro necessaria defensione aduersus fœdifragos Turcas in cẽtum millium talerorum creditum itum esse; pro quibus primarij huius Regni Præfecti fideiusserant: hæc quoque soluerent. Etsi Cæsar ipse aduersus iuratum & hæreditarium hostem bellum gerere, & præsens exercitum ducere deberet, de exercitûs tergo nouis copijs muniendo solicitè cogitarent. Dura hæc videbantur Boëmis, ideoque vt Vngari, ita & hi in nouas inducias magis propendebant.

Anno 1593. rica & Boemica. 19. Martij.

Dum hæc in Boëmia & Vngaria fiunt, Legati Genuensium Romam veniunt, & Pontifici nomine Reipublicæ præstãt obedientiam. Lugduni, Mediolani, alijsque in locis iam solennes peractæ erant supplicationes, in quibus incolæ Deum pro felici noui Regis electione obsecrârũt. Tandem & Romæ publicatur nouum lubilæum, pro conseruatione Ecclesiæ hæreticorum oppressione, Regis Catholici in Gallia electione, & Turcicarum virium cõtritione. Decimo septimo verò Martij, qui dies

Genuenses obedientiam præstant Pontifici,

erat

Anno 1593.

erat Mercurij, Pontifex cum omnibus vtriusque ordinis Principibus, Confraternitatibus, totoque clero, è Palatio Vaticano, in publica processione per nouum antiquumq; Burgum, vsque in templum S. Petri cantando Litanias, Psalmos, precesque ad hoc Iubilæum institutas, progressus est. Hanc supplicationem post biduum ab Ecclesia B. Mariæ, cui ab Angelis nomen, ad S. Mariam Maiorem secundò iterauit. Magna erat Romæ caritas, non tantùm panis, sed omnis annonæ. Cumque consuetæ hactenus eleemosynæ non sufficerent, ad sustentanda Xenodochia, Nosocomia, aliaq; pia loca, Pontifex incredibilem pecuniæ vim in illorum conseruationem erogauit, certosq; homines constituit, qui & priuatorum pauperum curam haberent. Paulò pòst Romæ quoque publicatur Bulla, qua cauetur, ne Iudæi in vllis Sedi Romanæ subiectis locis habitent, præterquam Romæ & Anconæ, ibique nulla exerceant fœnora, sed merces veteres attritasque emant & diuendant. Per hos dies Dux Mantuæ redemit, à Montealto Marchionatum Anchisanum tanti quanti ipsi nuper emerat. Sed & magna erat lis inter Ducem Parmẽsem & Marchionem Guastium, ita vt res initio ad duellum spectaret, cuius litis causam, etsi leuis sit, tacere tamen præstat, quàm cõmemorare. Pontifex omni diligentia id agebat, vt optimorum Principum animi sublata offensione denuò in amicitia veteri coalescerent. Præcepit itaque Cardinali Borromeo, nihil intentatum relinqueret, priusquam concordia inter ipsos restauraretur.

Eleemosynæ Pontificis.

Bulla contra Iudæos.

Dux

Dux tandem Bauariæ Romam proficiscitur: cumq; Veneti intellexissent illum per Forum Iulij Venetias venturum, Rectoribus istius patriæ ordinem præscripserunt, quo eius Serenitatem in singulis oppidis exciperent. Cumque Venetias venit, maxima pompa & solennitate per vrbem in hospitiũ deductus, & humanissimè magnificentissimeque à Senatu habitus est. Quo tempore clarissimus quoque Contarenus ex legatione sua Hispanica reuersus, & 17. Mart. in Senatu auditus, paulò pòst ad Aulam Cęsaream profectus est. Florentiæ Dux hoc tempore latissimam viam à Volterra Florentiam vsque secus Arnum aperuit, & maximam commeatus apparatusq; bellici copiam comportabat, vt in nouam munitionem suam Marennensem inferat. Anno 1593. *Dux Bauariæ Venetias venit.*

Hactenus instabat Nobilitas Catholica, quę Nauarręum sequebatur, vt sibi Parisijs respõsum ad scriptũ suum mitteretur, quod ob tardiorem quorũdam Ordinum aduentũ differebatur. Tandem colloquium quod petierant permissum est; propositaque sunt loca duo inter Lutetiam & Fanum S Dionysij, è quibus vnus eligeretur, in quo conuenirent, & de communi salute Franciæ consilia sua conferrent. Interea venit Parisios Dux de Feria, Legatus Regis Hispaniarum, diu expectatus, regioque sumptu & magnificentia exceptus est. Mœnij Secundogenito filio cum omni nobilitate illi obuiam procedente. Mœnius ipse Remis erat, vbi cum Duce Longeuillio collocutus dicitur, & quotidie Lotharingum quoque expectare- *Dux de Feria Parisios venit.*

Anno 1593.

pectare. Dum Nauarræus Meun, locum non procul ab Aurelia munit, & Aurelianos quotidie infestat, sperabat eam vrbem suæ facere potestatis. Nam suos in ea proditores habuisse credebatur. Quare cùm liberiùs ad vrbem excurreret, Aurelianenses erumpentes, eum in fugam conijciunt, trecentos circiter hostes cædunt, & Nauarræus in Turones se recepit: vt sponsalijs sororis suæ, quæ in vrbem Turonensem cum cócionatoribus suis quibusdam venerat, interesset. Interea Confœderati Sellas occuparunt, firmoque præsidio munierũt. Quod quum grauiter ferret Nauarræus, collecto exercitu acturum eo contendit, spe secuperandi. Sed cum vrbem munitam intelligeret, & præsidium frequens, re infecta iterum in Turones redijt.

Nauarræi ob Aurelianenſibus clades.

Confœderati Sellas occupant.

Noviodunum obsidet Mansfeldius cum Confœderatis.

Carolus Mansfeltius post acceptam nuper ad Noviodunum cladem supra commemoratam, cessit, & in Picardia vires reparauit. postea rursus in penitiorem Galliam profectus, cùm castrum aliquod in itinere sibi obuium haberet hostile, deditionem postulauit. Cumque præsidiarij insolentiores essent, admotis copijs vi occupauit, omnesque in eo inuentos interfecit. Paulò post accedẽs Mœnius coniunctis exercitibus Noviodunũ iterum obsederunt, omniaque ad oppugnationem necessaria in castra comportari, & summa celeritate disponi iusserunt. Interea Mœnij filius in Burgundiam proficiscitur, quem Guisius subsecutus est.

23. Martij.

Vicesimo tertio Martij, Pontifex mane in ædibus

ædibus Spinolæ congregationem Cardinalium habuit, cui etiam Bauariæ Principes intererant, in qua actum est de Argentoratensium negotio, & de subsidio ab incolis Segnæ petito. Processit deinde ad Ecclesiam Sancti Laurentij in Lucinia; in qua cùm tremendum illud sacrificium DEO obtulisset, & omnes Parochos Vrbis (quos eò vocauerat; erat enim tempus Visitationis) propria manu Sancta Synaxi munijsset, venerãdam, doctamque ad illos habuit orationem; admonens eos, diligentissimam ouium suarum haberet curam. ipsos enim pro ijs rationem reddituros exactissimam in die iudicij. Sed & se Vicarium generalem CHRISTI, pastorem pastorum in terris constitutum, cuius est superintendere, hoc est, diligenter inspicere in aliorum pastorum vitas, & si quæ crimina, si quæ scandala, si quam negligentiam in ijs deprehenderit, se diem iudicij non expectaturum, sed secundùm censuras, secundùm Canones Ecclesiæ statim, vbi conuicti fuerint castigaturum: inutiles mercenarios reiecturum, & fideliores Pastores surrogaturum. Proinde vigilarent, & ita officium facerent, ne querelarum dent occasionem. Cumque dimissis Parochis ipsam quoq; Ecclesiam visitasset, adytum (quod Sacristiam) vocant, inuenit minus idoneum & commodum, malo etiam & minus propitio loco constructum. Cumque Canonicorum prouentus tenuiores essent, quàm vt nouum extruere possent, ipse statim magnificentissimum extrui curauit. Legatus

Anno 1593.

Visitat Pontifex & admonet omnes Parochos Romanos.

Anno 1593.

gatus Venetus per eosdē dies supplicabat Pontifici, vt in Ecclesia S. Marci institueret confraternitatem Venetorum, aliarumque ciuitatum ad Rempub. pertinentium: tum vt deuotio augeatur, tum etiam vt amor & concordia omnium membrorum crescat, & in vnum corpus coalescat. Vigesimo sexto Martij venit Romā quidam nuntius, missus à Gubernatore Asculanensi, quæ vrbs est Marchionatus Anconitani: adferebat is litteras ad Pontificem, quibus significabatur Sciarram, Banditarum Principem, cuius antea facta est mentio, iuxta Ascolim nauigio cum 6. sociis è fuga Sclauonica appulsum, & Battistellam alia naui, alioque loco cum quindecim suis complicibus. Battistellam postea Sciarram ad epulum inuitasse, conuenisse, hilares initio fuisse, tandem Battistellam ex improuiso Sciarram primùm, indesocios eius trucidasse, & capita Romam ad Pontificem missurum, vt secundùm sententiam & veniam delicti, & præmium interfectori promissum recipiat. Nec vanus fuit is nuntius: paulò enim post caput Sciarræ, & quatuor sociorum Romam allatum est.

26. Martij. Prædo prædonem interfecit.

Sciarra cæditur à Battistella.

Hollandi etc. Montes Geertrudis obsident.

Confœderati Belgicarum prouinciarum Ordines videntes apud Regios nullū esse Ordinem, sed ataxian quandam, ne dicam Anarchian, ipsi oblata sibi oportunitate vtendum duxerunt. Collecto itaque mediocri exercitu, pluribus autem nauigijs, ratibus, pontonibus, maioribus tormentis incredibili pulueris tormentarij, globorum, aliarumque rerum ad maxi-

ad maximam obsidionem necessarium copia simulant se Duinkerkam velle obsidere: sed summa vsi celeritate montes D. Geertrudis nauigant, vrbemque 28. Martij terra & mari arctissima obsidione cingunt. Qui in vrbe erant, fortissimè sese defenderunt, sperantes Regios sibi opem laturos. Sed dum illi cunctanter agunt, Mauritius cum suis vrbem ab ea parte, qua continentem spectat, tam latis fossis, tam altis & firmis vallis, tot propugnaculis cinxit, vt impossibile propemodum videretur, eum castris exui posse. Commeatus autem & necessaria reliqua prohiberi nullo modo poterant, cùm in conspectu esset Dordracum, cum tota Hollandia: vnde breuissimus erat in castra traiectus, quem Regij nequaquam impedire potuerunt. Nihilominus oppidani totos tres menses obsidionem sustinuerunt. Anno 1593.

Venerat ante aliquot dies, Venetias legatus Turcicus. Is eodem die 28. postquam aliquoties à Senatu auditus esset, pretiosissimis donatus muneribus dimissus est. Quæ autem causa legationis fuerit, nescitur. Sunt qui existimant eum in mandatis habuisse, vt nunciaret Senatui, Imperatorem Turcicum Segnam obsidere decreuisse, ideoque à Republ. commeatum & alia necessaria petijsse: aut saltem ne hostibus opem ferrent, sed vtrinque spectatores essent, neutri separti miscerent. Cicala enim Archithalassus Turcicus vehementer, imò importunè expeditionem classicam, seu nauale m vrgebat. Quò autem minus ea hoc *Legatus Turcicus ad Venetos.*

Anno 1593.

anno susceptа sit, putant quidam Imperatoris tenacitate & auaritia factum, vt quem in aperiendis ærarijs scribunt esse difficillimum. Aliquid tamen hoc tempore singulare in Christianos meditatum ex eo quidam diuinârunt, quòd Legatum Cęsareum Constantinopoli in ædibus suis inclusum ad nullius colloquium admittebat, nihil ei ad Cæsarem scribere, nullos veredarios ablegare permittebat.

Hispanica.

Hispaniarum Rex Philipp. senio, curisque penè exhaustus, postquam ex vltima ęgritudine conualuisset, consilio Medicorum suorum quater in die naturali cibum sumere hoc tempore cœpit: qua edendi frequentia vires aiũt eius paululum restaurari. Cùm autem Piratæ Angli maria infestarent, Barcinonenses à Rege sibi dari licentiam armandi classem petierunt, quibus mare à nefarijs istis hominibus perpurgarent: quod illis concessum est. Eodem etiam ferè tempore Kiffenhillerus Silesius, de quo in superioribus libris plura sunt à nobis dicta, tot iam annis in Hispanijs Cæsaris Legatus, Regi charissimus, postquam iam longam apud Cæsarem & cognatos moram traxisset, in Hispaniam reuersus est. Regem autem nonnulli scribunt, vt pacatius viuat, omnem omniũ Regnorum administrationem Comiti Cirienſi, & Confessario suo demandasse: nunc autẽ filium Regnis omnibus præfecisse asserunt.

Ordines Galliæ, qui Parisijs erant congregati, inter alia Conciliũ Tridentinum in omnibus prouincijs acceptandum & obseruan-

dum

dum decreuerunt. Propter absentiam tamen Mœnij & nouum conuentum cum parte aduersa nihil aliud singulare actum est. Interea Dandalotius cum aliquot Nobilibus à Confœderatis capitur in quadam velitatione; in qua filius Magni Prioris occubuit. Inter Cameracenses hoc tempore & Regem Hispaniæ pactæ sunt indutiæ, & Balignius Gubernator cum parte præsidij Mœnio se iunxit.

Anno 1593.

Dandalotius capitur.

Indutiæ Cameracensium.

Dum Mansfeltius & confœderati Noniodunensi instant obsidioni, Appius Contius, generalis exercitus Pontificij, dum lustrat castra, locumque videt aliquem desertum, quendam è sua legione Lotharingum, vel, vt alij volunt, Germanum centurionem eum iussit occupare. Centurio dicere periculosum esse locum, non expedire illuc militem inducere: vrgere Appius. Cumque centurio præfracto animo negaret se pariturum Appius equo descendens, centurionē percussit, at non vulnerauit: erat enim armatus centurio se defendēs. Appiū inermem gladio suo excepit, inflictoq; lethali vulnere interfecit. Magnus in castris exortus est tumultus. Sed prudentia Ducum, capto interfectore sedatus est. Paulò pòst ad vrbis oppugnationē omnia præparātur. Qui in vrbe erant nuper à victoria elati, hostem, omnesq; eius machinationes contemnebant. Sed cùm Mãsfeltius & confœderati vrbē aliquādiu maximis tormētis verberassent: ruinā strauissent, sępius oppugnassent, oppidani abiecta spe omni sese certis conditionib. dedidere tunt mane, cū circa vesperam Nauarręs cū sub

Appius Contius interficitur.

Noniodunum oppugnatur & capitur.

Anno 1593.

sidio aduenit, tentaturus, si obsidionem soluere potuisset. Præsidiarij absq; armis bacillos albos in manibus habentes, dimissi sunt. In oppugnationibus cęsus est D. Vichius, Gubernator Sandionysianus, & Dominus Ferretus cum alijs.

Oratio Ducis de Feria habita in Comitijs Gallicis. 2. Aprilis.

Initio Aprilis Dux de Feria, qui paulò ante Luteram venerat, ad comitia Ordinum admissus, honorificentissimè exceptus, & suo loco sedere iussus, luculéta hac, & diserta oratione Ordines nomine Regis Hispa. ad electionem noui Regis exhortatus est. Cùm, inquit, singulari Dei beneficio (Illustrissimi & Reuerend. Domini, vosque Clarissimi Viri) confecta pax esset inter serenissimum Regem Catholicum, Dominum meum clementissimum, & serenissimum Galliæ Regem Henricum æternæ memoriæ secundum; eaque corroborata vinculo matrimonij sereniſſimæ Elizabethæ ipsius filiæ: cumque omnia ex eo tempore diuino afflāte numine fausta fore, ac felicia nobis polliceremur: irrepsere in hoc regnum à multis seculis Christianissimum pestilentissimæ hæreses; itaque seriò, ac pertinaciter à plurimis summæ authoritatis, potentiæ, & sagacitatis viris, armis, alijsque artificiosis modis dilatatæ sunt atque amplificatæ, vt non nisi interitum, ac perniciem totius Religionis in hoc Regno minarētur: Rex, meus pro sua bonitate & clementia, nihil non fecit, quod integræ amicitiæ signum esset, & quod in zelo conseruādæ auitæ Religionis à Rege summè Catholico desiderari potuisset. Cultum suum in Regem

gem ſocerum illi eripuit repentina ſummo cum dolore omniũ optimi Regis mors. Coluiſſet eum certè, ſi vixiſſet. Coluit ſocrum, amauit cognatos, nihilq; vnquam omiſit, quod illis, aut priuatæ vtilitati, & commodis ſui eſſe poſſet: in id vnum intentus, vt pax iam ſtabilita maneret perpetua, ſubque ea ſecurè, feliciter, religioſè, vtrumq; regnum, totaque proinde Reſp. Chriſtiana optimorũ Regnum cura felix, fauſtaque perſiſteret. Venio ad ea quæ ſunt magis propria. Cùm primùm opus fuit, ſub Franciſco ſecundo, miſit Rex Catholicus ex Hiſpania, Duce Caruaialio magnas militum turmas; ſub Carolo nono, ex Belgio Comitẽ Arebergenſem cum magno equitatu: eodem etiam regnãte, Comitem Mansfeltium cum equitatu, & peditatu non paruo: pugnauêre hi omnes in Gallia, tanquam prolaribus propriis: quæ omnia ita vobis cõperta ſunt, & explorata, vt ſuperfluum eſſe exiſtimem latiùs de hiſce differere. Atque vt ad alia pergã, neſcio planè quid maius, quidúe magis inſigne, quid in Rege magno & catholico inueniri poſſit laudabilius; quã inter tot iniurias, eaſque maximas à veſtris Regibus illatas, patientiam illi non defuiſſe. Regina mater ſub Henrico filio immemor (quod cogor dicere) præteritorum beneficiorum, bis laceſſiuit, claſſe contra res noſtras Luſitanas inſtructa, Regem Catholicum. Dux cognatus occupauit Cameracum, & quantã potuit Belgij partem: vtrunque Henricus iuuit, aut certè cùm deberet, & poſſet, non eis cõtradixit: perſeuerauit nihil-

Anno 1593.

Anno 1593. ominus, non ex impotentia (quod totus Orbis intelligit) sed ex Christiana beneuolētia constans in amicitia Rex meus, maluitque sibimet aliquo modo deesse, quàm lacessitus iniurijs cognatorū, occasionem illis resipiscendi abripere, & si tandē calamitatem publicam præcauere. Sunt alia quę breuitur quidē perstringam. Decessit ex hac vita Dux Alenzonius, atque ex eo tempore Princeps Biarnensis, qui hodie minatur interitū Religioni nostræ, ad huius Regni sceptra cœpit aspirare. fouit hoc demonstratione publica Rex Henricus: ita vt necesse duxerint fratres Guisiani, nunquá satis laudati Principes, cogitare de remedio tāti huius mali. Indigebat res tāta magnis virib. & opib. initū fœdus fuit, quod grauis oneris esset Regi meo: exemplar eius extat descriptū, illud consulite: nihil in eo inuenietis, quod aliud sapiat, quā meram pietatem; nihil quod à bonis & religiosis viris meritò reprehendi possit: voluit Maiestas Catholica vobis maturè cōsulere, ne videlicet eius ope, & consilijs neglectis, aliquando tandem, quod futurum omnino videbatur, periretis: suppeditauit numerosam pecuniā, coactusque fuit Rex vester ad asylū Religionis se recipere: & si hoc mēte bona, zeloq; feciſſet, iam pridē certè extincta fuisset hæresis flāma in hoc regno. noluit dæmone instigante: itaq; à meta horū malorum ad carceres reuocati sumus: nouęq; rursus pecuniæ numeratæ sunt, omniq; tandē neglecto periculo ad apertum martem ventū est: cæsæ quidē fuēre copiæ nostræ in cōflictu Iurien-

sed

sed eripuit exercitus noster, duce fortissimo Alexand. Farnesio, Parmæ & Placentiæ Duce, ex manibus inimicorũ iam periturã, maximo cum labore, in audita constantia, mirabiliq́ue virtute ab optimis ciuibus conseruatam hanc ipsam insignem ciuitatem Parisiensem, in qua loquimur: idem factum fuit Rhotomagi. Accedit præterea ad id summũ quippiam & forsitan inauditum exemplum amicitiæ: nimirũ Regem Catholicum sua deseruisse cum incredibili detrimento, vt vobis opitularetur. habuit apud vos semper suos ministros, qui vos in his rerum difficultatibus consolarentur, omniq; officiorum genere præsto essent. Sunt etiam nunc, diuq́ue fuêre, copiæ militares pro salute vestra vsque ad necem paratæ, æsq́ue consumptum in illis superat sex aureorum nummum milliones, vt vocant, nullo interim commodo ex his omnibus ad Regem meum deriuato, nec tamen his cõtentus, quid pro salute vestra vlteriùs posset agitari, diu multũq; cogitauit, instititq́ue tandẽ, quod caput rei esset, vt congressus huius celeberrimi cõuentus celebraretur: apud summos egit Pontifex, vt vos, vestraq; omnia amplecterẽtur: meq; etiã ad vos misit, vt qd sui consilij in hac re tam ardua esset, vobis suo nomine explicarẽ, vobisq; præsto essem ad id omne, quod ad salutem vestrã pertineret, quę omnia officia tam præclara, tam magnifica, tam certa, tã illustria videbitur esse, qualia fortasse nulla ætate, nec Gallia ipsa, nec aliud regnũ, in summa necessitate experta vnquã sunt. In eo solo vestram omnium

Anno 1593.

Anno 1593. salutem Rex noster Catholicus sitã esse existimat, vt is Rex Catholicus renũcietur à vobis, ac diligatur eo zelo Religionis præditus, cui & vires non desint, quibus res vestras componat, tueatur, conseruet, ab inimicis liberet; & quo sic renunciato, nemo dubitet, quin Deo adiuuante breui ad pristinum Dei cultum, & Reip. splẽdorem redeatur, omniaq; integrum restituantur. Illud tamen in primis rogat, obtestaturque, vt absq; vlla cunctatione res tota hæc, semotis priuatis affectibus, perficiatur; quia maximum alioquin periculum in mora esse videatur: & ne vlla sit cunctationis causa, eam ipsam opem, quã prius præstitit, & multo adhuc maiorem, si necesse fuerit eadem qua vsus est hactenus benevolentia pollicetur. Agite ergo, Illustriss. & Reuerendissimi, vosq; etiam viri clarissimi, pro vestra Religione, nobilitate, virtute ac prudentia, vt toti in restaurationem ac conseruationem illorũ serio & cõstanter incubatis, atq; vt ad hanc rem tam grauem, tam piam, tamq; toti Christiano orbi necessariam animũ applicetis verè pium, verè Christianismum, & qualem à vobis vniuersi orbis Christiani desiderant. Ego verò, quantum in me erit, vobis semper adero: nihilq; amoris, laboris & solicitudinis in me à vobis desiderari permittam, quod communi vestro bono aliquo modo prodesse posse cognouero: inq; eius rei firmissimum testimoniũ & fidem, hasce litteras à Rege meo ad vos datas amicissimè offero. Eas postquam legeritis, si quid amplius sit quod requiratis, quidque ego in manda-

mandatis habeam, vberius, cùm opus fuerit, exponam. Anno 1593.

Post habitā hanc orationem Dux Regis Catholici litteras, ad Principes datas D. Nicolao de Pelleue, Tituli S. Praxedis Cardinali Rhemensi Archiep. primo Franciæ Pari, & Comitiorum præsidi exhibuit, quas ille publicè legendas tradidit Abbati Orbensi, Comitiorū Secretario. In his literis ostendit Rex, quāto cum desiderio expetat salutē Regni Francici. toti enim mundo notū, ait, quid fecerit, vt Regnum hoc conseruaretur. Neq; ijs cōtentum, mittere Legatum suum, magni nominis Principem, Ducem de Feria, quē suo loco esse vult, nec è comitijs discedere, priusquam certi aliquid definitum sit, aut facta Regis Catholici pro qualitate tēporis electio: vt Regnū Franciæ pristino restituatur nitori, & exemplar denuò fiat totius Christianitatis. Hortatur deinde Ordines, vt memores beneficiorū acceptorum suæ expectationi satisfaciāt. In ceteris sese ad Ducē de Feria, legatum suum remittit.

Ad orationem Ducis de Feria, litterasq; Regis post maturā Ordinum deliberationem idem Cardinalis & Archiepis. Rhemensis hac oratione tandem respondit, Optatissimo sibi iucundissimoq; aduentui vestro, Excellentissime ac generosissime Dux, gratulatur vniuersus hic trium Galliæ Ordinum cōuentus, regiasque Catholicæ suę Maiestatis litteras, & quæ nobis Excellentia vestra aurea sua oratione exposuit, eius mandata suauitatis, beneuolentiæ, charitatisque pleniſſima, omni cum

Anno 1593.

honore & reuerentia læti plaudentesque excipimus. Neque verò ex Hispanici regni magnatibus quisquam rebꝰ gerendis aptior gratiorúe nobis, quàm Excellentia vestra, potuit eligi. Cuius famosas maiorum imagines, & cætera egregiæ Nobilitatis ornamenta quanquam numerare non aggredior, id vnũ tamen reticere nequeo, quod ex primarijs illustrioribusque Angliæ familijs matrem habeat, quę afflictos, profugosque in Hispaniam Religionis causa Scotos, Anglos, Hybernos, aliosque id genus, quasi altera Constantini mater Helena, ope atque opera in dies liberalissimè iuuat, fouet, erigit. Cæterùm rerum omnium, vt dicitur, vicissitudo est, nec in rebus mortalium quicquam stabile, aut perpetuum reperitur: sed omnia velut æstuario quodam fluxu refluxuque decedere atque accedere cernimus: adeo vt his vicibus, ab alijs ad alios opes, gloria, eruditio, dominia, denique commodorum quidquid est, aut incommodorum, diuina prouidentia transferantur. Quod cùm in alijs plerisque rebus, tum maximè in hoc florentissimo quondam, nunc verò afflictissimo Galliæ regno verissimum experimur.

Fuit enim illa quondam in Regibus nostris virtus, quamdiu sę acerrimos Christianæ Religionis vindices præstitêre, vt varijs nationibus iura darent, vt sectas euellerent Religioni nostræ inimicas, vt victricia signa circumferentes, Christiani orbis terminos longè lateque propagarent: Et quidem Franci-

cam

cam gentem primam omnium aduersus Fidei Christianę hostes arma sumpsisse manifestum est, neminemque nostrum latere arbitror, iam à mille centum ferè annis Clodoueum, qui primus Regum nostrorum aqua salutari absolutus, & demisso cælitus oleo sacro perunctus est, Visigotthos pertinacissimos Hæresis Arrianæ defensores, qui pro Regia Tholosam habentes quicquid inter Ligerim & Pyrenæos montes interiacet, occupabant, commisso apud Pictones prælio superasse, Regeque eorum Alarico manu sua interfecto eas omnes Prouincias ad veræ Fidei cultum reduxisse. Quæ victoria maximum nostris desiderium iniecit stabiliendæ Religionis in Hispania, quo apud Arrianos, Almaricus Alarici filius deuicto patre sese receperat. Quod certè Childebertus Clodouei filius, paternæ pietatis æmulator, magna virtute perfecit. Cùm enim Almaricum, cui pacem dederat, sororemque Clotildem matrimonio iunxerat, ea spe & conditione, vt Catholicam fidem susciperet, in paterna hæresi persistentem, vxoremque, Religionis ergo, contumeliosiùs tractantem ferre non posset: eum non modò debellauit, sed & populos qui ei paruerant, ab Arrianæ Hæresis prauitate reuocauit, traiectisque rursum montibus Pyrenæis, in Hispaniam semel atque iterum profectus, collabentem; ac penè temporum iniuria extinctam, quam ibi IACOBVS Apostolus disseminauerat, Fidem pristino splendori restituit. Reuersus verò Childebertus, in me-

Anno 593.

Anno 1593. in memoriam bellorum ita feliciter gestorũ, monasteriũ S. Vincentio sacrũ extruxit, quod nunc S. Germani in suburbijs nuncupatur, illudque pretiosa glorioſi eius Martyris costa, alijsque aliorum Sanctorum asportatis ex Hispania reliquijs locupletauit. Extat adhuc ei⁹ Monasterij institutio propria Childeberti manu subscripta, præsente S. Germano Parisiensi Episcopo, qui & postea priuilegium exemptionis, consentiente Metropolitano, & omnibus prouinciæ Episcopis, concessit. Sed & Carolum Martellum, qui sanguescente ac torpescente Regum nostrorum virtute, regni administrationem susceperit, amotoque Chilperico, viã ad sceptrum Pipino filio aperuit, Anales tradunt innumeras Saracenorum copias, quæ sibi Orientem, Africam ac Hispaniã ipsam subegerant, vno ad Ligerim prœlio profligasse, atq; iterum Visigothos, & Saracenos coniunctis copijs Narbonensem prouinciam occupare aggressos, funditus deleuisse. Quid verò Carolus Magnus, vnde, obsecro, egregios illos magni, sancti, atque inuicti titulos adeptus est, nisi ob prœlia pro fide & Religione feliciter gesta, cùm & Saracenos Hispaniam incolentes, bello perdomitos, intra suos limites remanere coëgit, vtq; Catholicos incolas quietos sinerent, effecit? Eam ob causam Alphonsus Castus, Rex Galliciæ & Asturiarum, se Caroli Magni propriũ inscribebat. Cumque Baleares insulas (hodie Maioricam & Minoricam vocãt) Carol. Magnus in clientelam recepisset, atque à Mauris Saracenisque defen-

defendisset, Ludouicum pium Regem Aquitaniæ constituit, vt propiùs adesset christianis Hispaniæ cõtra Saracenos. Neq; verò tacitus præterire possum, quod de Bertrando Guescelino, militiæ in Gallia Magistro, Historiarum Hispan. monimenta testantur: qui vocatus in Hispaniam, ac eò Caroli V. nomine Sapientis, iussu profectus, Petrum Castellæ Regem cognomento Crudelem, qui ab Vrbano V. dãnatus, & ob crudelitatẽ inuisus, Iudæis fauebat, è sede Regia deiecit, ac in eius locũ Henricum de Transtamara fossecit, cui Castilienses ac Legionenses, quam lubentissimè se dediderũt, cùm dicerent se antiquo Gothorum Regni exemplo posse ab eius Regis obedientia subducere, qui in Tyrannum denegasset, & alium sibi constituere, nulla habita successionis ratione: Adeò vt si quid huiusmodi hac nostra tempestate contigerit, minimè nouum videri debeat. Multa sunt huiusmodi Regũ Franciæ in Hispanos propensę voluntatis testimonia: in eo verò vel maximè apparet, quòd hic illi plerunq; se non amicitiæ tantùm, sed & affinitatis vinculo deuincire studuerint. Percurrãtur animo tres Regum nostrorũ familiæ, Clodouæa, Carolina, & Hugocapetæa: nulla erit, quæ nobis huius rei exempla non suppeditet. Testis est S. Ludouicus, Hispana matre natus: Testis vterque Philippus, primus videlicet & Augustus: Testis etiam nostra ætate Francisc' I. qui Alienorem, Caroli V. sororem, vxorem habuit: & Henricus II. qui Philippo Regi vestro catholico filiã matrimonio iunxit, eumq; tanta

Anno 1593.

Anno 1593.

tanta coluit beneuolentia, vt iam non Generum socer, sed chariſſimum filium pater optimus vnicè diligere videretur. Teſtis denique Carolus IX. qui Elizabetham Auſtriacá, Maximil. Imper. filiam, & Philip. Regis veſtri neptem, vitę innocentia morumq; ſanctitate Gallis omnibus clariſſimum, vxorem duxit: cuius adhuc mater pietate ac Religione clariſſima, in Hiſpania eſt in humanis. Iam verò mutato rerum ſtatu, cùm in Gallia noſtra impijs Hæreticorum furoribus omnia miſcerentur, non eſt paſſus clementiſſimus ac miſericors Dominus, vt lapſi collideremur, ſed ſupponens manum ſuam, Regem veſtrum Catholicum excitauit, qui viciſſim nobis in tanta rerum neceſſitate opitularetur. Et maximis quidem nos periculis liberauit Rex Catholicus, Catholici nomine digniſſimus: Verè etenim Catholicus cenſendus eſt, qui Hiſpanijs vniuersè Catholicis imperat: Cuius regna ſingula nemo ante ipſum, ac ne Romani quidem ipſi tam pacatè obtinuerunt. Verè Catholicus, qui fidem catholicam ſuis nō modò in terris, ſed & in externis Regnis contra omnes Turcarū & Hæreticorum impetus defendendam ſibi propugnandamque propoſuit. Quin & omnium primus Chriſtianos, qua ratione ipſi Turcas ſuperarēt, ſuo exemplo edocuit. Verè Catholicus, qui ad extremas vſque mundi partes ante noſtram ætatem incognitas, Religionem Catholicam publicandam diſſeminandamque curauit. Cuius virtutes eximias, egregiumq; in tuenda & propaganda fide zeli ardorem;

ardorem, quis non efferat laudibus, non amet non admiretur? Laudetur sanè Traianus Imperator ex Hispan. oriundus, & patris patriæ titulo decoretur, quòd in re militari diligentiam, in ciuilibus lenitatem, in subleuandis ciuitatibus largitionem maximâ exhibuerit, & ea duo sit consecutus, quæ in egregijs Principibus requiruntur, sanctitatem domi, fortitudinẽ in armis, vtrobique prudentiam. Laudetur magnus ille Theodosius, genere quoque Hispanus, & Reipu. propagator defensorqúe proclametur, quod Hunnos & Gotthos, qui eum sub Valente defatigârât, diuersis prœlijs vicerit, Maximum Tyrannum, qui Gratianum interfecerat, sibiq; Gallias vendicabat, apud Aquileiam extinxerit, Victorem quoque eius filium intra infantiæ annos à Maximo patre Augustum factum necauerit, Eugeniumqúe Tyrânum & Arbogastem superauerit, deletis eorum decem millibus pugnatorum. Habeatur Rex egregius Ferdinandus, qui Mauros & Iudæos sibi subditos, aut Hispaniæ finibus egredi, aut fidem catholicam profiteri coegit. Ornetur laudibus Maximilianus Catholicæ suæ Maiestatis abauus, qui Christianũ nomen extulit, auxit, ornauitqúe magnificentissimè. Sit in æterna gloria Carolus eius pater, qui pro pietate toties armatus, tã multas hæreses dissipauit, tot Christiani nominis hostes bello fudit, qui Germanos Lutherana labe infectos, & à summi Pontificis obedientia descisc̃tes, CHRISTI iugum ferre coëgit. At meritò certè his omnibus anteponetur Hispaniarũ Rex Philip. Anno 1593.

Anno 1593.

Philipp. qui toties pro aris & focis, pro Christiani nominis dignitate, pro antiquæ ac verè catholicæ, Apostolicę & Romanę Religionis auctoritate, bella gessit: cuius omnis ætas non modò in propagandis finibus imperij, quod habet maximum atq; amplissimum, sed multo magis in fide Catholica defendenda & amplificanda, oppugnandisq; Hęreticis, versata est: Qui Regnum nostrum ab Hęretici Tyrannide duabus præsertim in obsidionibus, missis sub Parmensi Duce, viro manu & consilio strenuissimo, auxiliaribus copijs; sibi vindicandum putauit: Qui Statum ac regnandi cupidinem Religioni nũquam prætulit: sed, quemadmodum Iouinianus, mortuo apostata Iuliano, vna vniuersi exercitus acclamatione Imperat. designatus, negauit se vllam pacis conditionem inire, aut ijs imperare velle, qui Religionem Catholicam non amplecterentur, quod & ipsi se facturos esse illicò responderunt: sic neq; Catholica sua Maiestas vllis vnquam Regnis, aut prouincijs præesse voluit, in quibus Christus per fidem nõ regnaret: memor aureæ illius optati Mileuitani, D. Augustino contemporanei, sententiæ, Religionem in Republ. & Rempubl. in Religione esse oportere. Quod ita est accipiendum, vt quanto anima præstat corpore tanto Statui Religio anteponatur. Et id quidem optimo cuique Principi debet esse persuasum. Hęrebat hæc scilicet Francisci Regis nostri eius nominis primi fixa animo sententia, qui cum suaderetur exercitũ per Germaniam transmittere, coniunctisq; sibi Germano-

manorum viribus Imperatorem aggredi, (sic enim fore vt eũ facillimo negotio superaret, non est obsecutus, quòd existimaret, id esse negotium Religionis, quam sartam tectamq; esse cupiebat. Paternæ huius virtutis, non minùs quàm Regni hæres Henricus II. ipsius filius, cùm de ineundo inter ipsum ac ipsius generũ Regem Catholicũ fœdere, cameraci ageretur; monitus vt re diligentius inspecta, sibi consuleret, satis sibi cõsultum esse respondit, si, quæ spes illi erat, id ex eo fœdere consequeretur, vt nascentes in regno suo hæreticorum sectas posset euellere: nec enim se regni amplitudinem tam numerosa prouinciarũ populorumque multitudine quam salute animarũ metiri, idq; vnum sibi maximè curæ esse, vt integra illibataq; religio seruaretur. Qua eadem Christianæ pietatis laude inter cæteros claruerunt Guisianæ, imò potiùs Lothar. familiæ Principes, qui velut alij quidã Machabæi, & splendida gallicæ gentis lumina, de fide ac religione quoties actum est, ne quid ea detrimẽti pateretur, suas nõ modò fortunas omnes, sed & sanguinem, vitamq; ipsam liberalissimè profuderunt. Sed redeo ad Catholicum Regem vestrum, quem secundùm Deum veluti liberatorem suum agnoscit Gallia. Postquam irrepsêre in hoc afflictissimum regnum hæresis, cœpitque ipsum inde varijs bellorũ procellis agitari, possem ego numerare continuos septem vel octo summos Pontifices, qui Catholicorum partes amplexati, multis nos magnisq; exercitibus & ingenti pecuniæ vi adiuuarunt.

Anno 1593.

Anno 1593.

Maximè verò omnium Clemētis Octaui Pontificis Optim. Max. singularem paternę in nos beneuolentiæ, solicitudinem magis magisq; in dies experimur. Verùm hos omnes, vti diuitiarum affluentia, sic profusa in nos liberalitate & munificentia Catholicus Rex vester superauit. Pro quo immortali ac ppe diuino beneficio, Regiæ suæ Maiestati, vestræque Excellentiæ, quæ sanctum hoc legationis munus obijt, gratias non quantas par est, sed quantas animi nostri concipere possunt, amplissimas agimus, omneque studium & operam vicissim deferimus, ac tanti beneficij memoriam nunquam apud nos intermorituram esse pollicemur; id vnum obnixè precati, vt qui præsenti auxilio indigemus, maturè nobis succurrere, atq; flagranti nostro huic incēdio remedium afferre pergatis: sic enim futurū speramus, vt res nostræ, magna cum Regis vestri laude & immarcessibili gloria, feliciter succedāt. His gradibus catholica sua Maiestas viam sibi facilem parabit in cælum, vbi diuina visione (in qua sita est hominis beatitudo) inter cæleſtes ac beatas Sanctorum animas, tandem aliquando perfruatur. In quæ dilecta tabernacula, dum in laborū Religionis causa susceptorum mercedem diuina benignitate admittetur, nō solum millia millium Angelorum, qui Altissimo ministrant, occurrent ei: sed & populi pene innumerabiles, quos ab infidelitatis errore reuocauit, vel ab hæresis vindicauit pranitate, obuiam venientes venient cum exultatione, portantes cum eo manipulos suos.

Tertio

Anno 1593.

Tertiò die Aprilis Romæ in Ara cæli à Senatu, populoque Romano, Ducis Parmensis Alexandri (cuius cadauer 15 Martij Parmam cum lugubri pompa illatum est) exequię sunt celebratæ. Interfuerunt his omnes, qui in Vrbe erant Cardinales, omnesque Prælati, cum tota Nobilitate. Templum ab infimo ad summum nigris peristromatibus erat tectum. Ab vtroque latere arma insignia & vexilla Ducis propendebant. Variæ spectabātur erectæ columnæ, & in columnis varię imagines, vrbem Romanam, Famā, Prudentiam, Pietatem, Mansuetudinem, Vigilantiam, Celeritatem, Magnificētiam, Magnanimitatem, Liberalitatem, Clementiam, Temperantiam, Constantiam, Aequitatem repræsentantes. In medio Ecclesiæ funus erat extructum magnum, quadratū, & in oualem figuram parte superiori desinēs. A quatuor angulis quatuor aliæ statuæ visebantur, quæ Religionem, Prudentiam, Fortitudinem & Constantiam referebant. In summitate huius fabricæ ostendebatur equus insignis, cui insidebat Princeps armatus, per omnia Parmensi simulis. In frontispicio hæc legebatur inscriptio. *S. P. Q. R. Alexandro Farnesio, Romano, Parmæ & Placentiæ Duci, Tertio S. R. E. Consalonierio, Catholicæ fidei acerrimo Propugnatori.* Circum funus ipsum, & per totū Templum innumeræ lucebant candelæ, ex cera Punica cōfectę. Piacular sacrum D. Ceruius quatuor Episcopis ipsum Funus circumstantibus cantauit. Tandem doctissimam orationem habuit Gabriel Cæsarinus, Nobilis Romanus, quæ typis edita

Exequiæ Ducis Parmensis Romæ celebrantur. 3. Aprilis.

Anno 1593.

nondum in hunc orbem noſtrum (quod equidem ſcio) peruenit. Hæc eſt magni illius Alexandri Farneſij, Belgici quòdam terroris, cataſtrophe.

Seditio Maſſilienſium.

Per hos dies magna ſeditio in vrbe Maſſilienſi fuiſſe dicitur, dum Bigaratti (ſic vocant ciues, qui clàm Nauarræo fauent) Ladighuerium cum ſuo exercitu introducere conabantur: alij Sabaudum potius vocandum exiſtimarent. At Sabaudus, leuitatem illorũ ſemel expertus, tardior in opem ferendo Prouincialibus eſſe videbatur. Memorabile eſt, quod

Prodigium Delphinorum inuſitata copia.

ſcribunt nonnulli, ſub id in mari Maſſilienſi tantam Delphinorũ viſam eſſe copiam, quanta vix in toto mari Mediterraneo fuiſſe putabatur: adeo vt horrendum viſu fuerit ſpectaculum: Epiſcopus Canaglioneus, qui tuncin vrbe erat à Pontifice miſſus, ad cõtrouerſiam quandam componendam, in littus exiens, piſcibus ſolitis Eccleſiæ ceremonijs maledixit.

15. Aprilis.

Decimoquinto Apr. Dux Pernonius intempeſta nocte Maſſiliam venit, & inſtrumentis quibuſdam bellicis nuper inuentis (*Petarſen* vocant) portis admotis, duas perfregit: ſed antequam tertiam perrumpere potuit, *ciues armati accurrunt, omniq́ue telorum genere hoſtem* à mœnibus repellunt.

Excurſiones in Pedemontanam.

Ladighuerius interea mittit noua præſidia, commeatum, aliáque neceſſaria Bricarẽſibus, alijſq́ue per Pedemontanam præſidijs. Vicarius eius præfectus Bricaræ longe latéq; omnia depopulabatur, & ad vrbem Aſtenſem ſæpè excurrebat. Quòd ſi quandoq; Allobroges illum

illum insequerentur, in Volpianam se vrbem recipiebat, quæ cùm sub ditione Mantuæ Ducis sit (est enim in Marchionatu Monteferratensi Gubernator Mediolanensis misit ad Ducem Nobilem quendam, cum illo expostulãs, quòd hostes Regis Catholici tueretur. At Dux excusauit sese, dicens: Inscio id se factum esse, se Catholico Regi deuotissimum, pro quo sanguinem cum vita (si opus esset) fundere lubens vellet. Confestim edicto cauit, ne quis prædones illos in suis ditionib. recipiat. Mœnius capto Nouioduno exercitum versus Han abduxit, vt suos labore & vigilijs, alijsque castrorum incommodis exhaustos nonnihil refocillaret. Electio noui Regis de die in diem differebatur, ob Legatum, vt quidam volunt, Hispanicum, qui aut Dominum suum, aut eius filiam, Infantem Hispaniarum promotam cupiebat. Quatuor itaq; Marescalli Regni creatunt, Sciatram, Sanpolium, Brisaacum & Eroneum. Villarius verò, qui Rhotomagũ annis superioribus tam fortiter defenderat, Admirallius renunciatus est. Præterea Lugdunens. Archiepiscopus & Prases Giannitus nominati sunt, vt ad colloquium cum Nobilitate Nauarræna proficiscantur: quę D. Chieueringiũ, & d'Olegatura dicebatur. Anno 1593.

Quid in conuentu Parisiensi agatur.

Romæ circa hæc tẽpora impressa est Bulla, qua cauetur, ne Iudæis posthac illi permittantur libri de christo Seruatore, de B. Maria virgine, de Sanctis reliquis: præcipuè aũt Thalmud, liber pestilentissimus. Quotquot Iudæi Romæ habitant, iubentur libros istos, si quos

Bulla contra Iudæos, ne libros Christianorum legant.

Anno 1593.

habeant, octidui spatio ad manus Vicarij Pontificis deferre. Qui extra vrbem, alijs in locis habitant, idem infra menses duos facere præcipiũtur. Mandatum profectò pium & Christianissimo vtile: cùm ex istorũ librorum lectione gens peruersa multas in ludibrium & contemptum Christianorum eruebat offendiculorum materies. Non post multos dies Venetijs captus est Iudæus, qui sub prætextu, quòd Christo initiatus erat, plures quam 60. pueros rapuerat, & Turcis vendiderat. Nihilominus Sabbatho sancto quatuordecim Iudæi post sufficientem Catechesin Romę baptizati sunt, nomenq́ue Christo dederunt. Eadem Septimana sancta Legatus Ducis Montmorantij Romam venit, cupiens à Pontifice dispensationem pro filia Domini sui, *nuptura* Duci Ventadorio: quia inter eos erat cognatio, seu gradus secundus consanguinitatis. Actum etiam est de Madrutio ad omnes Principes Germaniæ mittendo, vt ad subsidium Cæsari contra Turcarum vim mittendum se præbeãt promptiores.

14. *Iudæi baptizati.*

17. *Aprilis.*

Moschus petit à Pontifici titulum Regis.

Magnus Moschorum Dux Ioannes Basilides, dum viueret à Pontifice Gregorio XIV. multis precibus contenderat, vt Regis abillo titulo donaretur. Noluit Pontifex prudentissimus his eius precibus annuere: tũ quia Schismaticus erat, tum etiam, nequam inter Polonos & Moschos æmulationẽ concitaret. Quod Pater petierat à Gregorio, id nunc filius agebat apud Clementem, vsus ad hoc (vt scribũt) opera & interceſſione Cardinalis Radzeuilij.

Vt

Vt autem tollat difficultatem de Polonis, quæ mouit Gregorium, promittit se perpetuum Polonorum fore tributarium, Poloniſq; ſingulis annis ſeptem millia aureorum per Legatum ſuum ratione tributi miſſurum. Pontifex animi dubius, non omninò has preces repellendas, neque ſtatim admittendas ratus, longiori deliberationi reſeruauit: ſperans ſi hoc Duci indulgeatur, memorem beneficij à Sede Romana percepti, relictis Græcorum erroribus, aliquando ad obedientiam Catholicæ fidei peruenturum. Francus refert etiam Praga nuper ſcriptum, eundem Moſchum obtuliſſe Rudolpho Cæſari, ſe cum aliquot centenis armatorum millibus ei toto quinquennio contra Turcam militaturum, ſi eum Imperator vt membrũ Imperij velit cooptare. Sed nec Cæſarem hanc conditionem, ſeu oblationem, acceptare voluiſſe. Anno 1593.

Menſe Nouemb. anni ſuperioris iacta ſunt Venetijs fundamenta nouæ Eccleſiæ S. Laurentij. Dum terram effodiunt operarij, inueniũt capſulam ligneam, carie & antiquitate penè conſumptam. In ea inuenta eſt arcula plumbea, magnitudine brachij humani, antiquiſſimis plena numiſmatibus aureis. Antequam aperirent ad architectum detulerunt; is eam aperiens, & tot muniſmata inueniens, lætus ſilentium ab operarijs ſtipulatus eſt, ipſaq; numiſmata inter ſe diuiſerunt: arculam autem ipſam in aquas abiecerunt. Hoc menſe Aprili bailulus quidam, qui etiam aliquot ex iſtis numiſmatibus acceperat, neceſſitate rei dome- *Venetijs antiquiſſima numiſmata in vaſculo terræ inuenta.*

Anno 1593.

stica compulsus, accepto vno aut altero Aurifabrum accedit, sciscitans, quantum pro singulis vellet numerare. Aurifaber videns singularem eorum antiquitatem, imaginem quoque & inscriptionem nunquam antea visam (ab vno enim latere vexilla conspiciebantur tria, in quorum summitate crux erat; ab altero latere nihil præter litteras aliquot Chaldaicas conspiciebatur) admiratus, vnum aut alterum emit. Hoc modo detectum negotium ad aures Senatorum peruenit: qui confestim missis satellitibus suis architectum cum reliquis operarijs comprehenderunt, & in carcerem compegerũt. Examinati postea, rem omnem ordine confessi sunt: arculã se inuenisse plumbeam, in capsula lignea, eam habuisse inscriptionem marmoream: in inscriptione duo expressa capite humana, coronis insignita. In arcula præter numismata inuenta nonnulla scripta in mẽbrana, literis planè ignotis & antiquissimis. Omnia se præter aurum in aquam abiecisse, ne qua oriretur suspicio. Dolenda profectò tantæ antiquitatis iactura.

Italia à Barbaris purgatur.

Battistella, de quo dictum est antea, reconciliatus, & veniam delictorum suorum cæde Sciarræ consecutus, cũ 20. socijs se *Aldobrandino* iunxit, vt reliquos exules prosequatur. Quo ductore Aldobrandinus, cùm Firmi omnia ad expeditionem necessaria præparasset, cum copijs suis totum Marchionatum Anconitanum peragrauit, tutumque ab istis hominibus reddidit: adeo vt incolæ noua secula redisse existimarent. Idem in Regno Neapolitano

litano & vicinis locis fecit Flaminius Delphinus, cui se hoc tempore iunxit cum 200. peditibus Castellanus Florentinus. Per eosdem dies tempestate iactata appulsa est in Siciliam triremis Turcica, quæ ab Imperatore Turco missa erat, vt Dominum de Alamonia captiuum in Prouinciam veheret, Nauarræóque traderet. Legatum hic aliquot annis Constantinopoli egerat, missus ab Henrico Valesio, & post mortem illius in legatione à Nauarræo continuatus. At postea in suspicionem incidit, quòd Hispano aduersus Nauarræum faueret, quare captus à Turca, & inhumaniter habitus est. Hic diuina dispensatione, & bonis auibus in Siciliam delatus, à Syracusanis honorificè susceptus est, eique Prorex multa beneuolentiæ signa exhibuit.

Anno 1593. *Legatus Franciscus in Siciliam tempestate delatus.*

Decimoquarto Aprilis Cardinales omnes Principem Bauariæ Maximilianum summa cum humanitate & benouolentia Romæ salutarunt. Deinde magna cum attentione à Pontifice auditus est. Et quamuis fama erat eum negotia magni ponderis habere cum curia tractanda, sanior tamen opinio erat, eum tantùm in Italiam veniſſe, vt præcipua loca, vrbes, oppida, & quicqd memorabile in ijs erat, inuiseret; in Pontificis quoque, Cardinalium & Principum Italiæ amicitiam sese insinuaret. Pontifex in consessu Cardinalium illi locum ante vltimum Cardinalem Diaconum assignauit. Venetias eadem septimana sancta venit Princeps VValachiæ, vnà cum matre sua & Duce de Olica cum vxore & sua familia, vt

14. *Aprilis. Princeps Bauariæ quo honore Romæ affectus.*

Anno 1593.

post aliquot dierũ refocillationem deinceps ad balnea Patauina proficiscerentur. In festo Paschæ, vxor Ducis ad solenne sacrum venit, quod in S.Marco præsente Senatu celebrabatur, pretiosissimis induta vestib. auro & gemmis toto corpore ornata, insignem secum adducens comitatum. Cui Senatus, Venetus honestissimum locum attribuit. Pòst cum ipso Duce à Senatu ducitur in atrium, quod Salam vocant, omnisq; Reip. thesaurus, & quicquid habet pretiosum illis ostenditur. Ipsa autem per hos dies, vt est munificentissima, incredibiles in homines miseros erogauit eleemosynas. VValachiæ verò Princeps Venetijs Constantinopolim profectus est, supplicaturus Barbaro, vt se in ditionem, vnde Pater à Battore fuit eiectus.

22. Aprilis. Princeps Bauariæ à Senatu populoque Romano excipitur quomodo.

Congregatus erat Magistratus, totaq; Nobilitas Romana in Capitolio die 25. April. quos vt inuiseret salutaretque Princips Bauariæ cũ comitatu suo eodem venit, magnaq; cum solennitate exceptus est. Orationem Latinam Senatus nomine habuit Gabriel cęsarenus, in qua admonuit Principem, vt Maiorum suorũ sequatur vestigia: Catholicã Religionem obseruet, in ea viuat, in ea moriatur: nec se vllis hæreticorũ persuasionibus abduci ab illa patiatur. Quinimò ad paternarũ ditionum administrationem aliquando susceptus, eãdem Religionem sartam tectam conseruet, & ab omni hæreticorum fraude & violentia defendat. Tandem Senatus, populiq; Romani nomine omne obsequium omnem beneuolentiam & perpe-

tuam

tuam amicitiam Orator Principi offerebat. Princeps finita iam oratione, Senatui Populoque gratias egit. Deinde incipiẽs ab initio, ad singula orationis capita sermone Latino puro & eleganti respondit, omnibusque ad stuporem vsque satisfecit: optimæ indolis, sagacis ingenij, & subsecuturæ prudentiæ dans plurima argumenta. His peractis D. Cæsar, Nepos Pontificis splendido illum excepit epulo: idem fecerunt sequentibus aliquot diebus alij. 23. idem Princeps singulrai cũ deuodione 7. inuisit Ecclesias, & in Laterano pransus est. Paucis post diebus Roma duabus triremib. per mare Ligusticum Neapolim, magna Nobilium, comitante caterua, nauigauit. Anno 1593.

23. *Aprilis.* *Neapolim nauigat.*

Per hos dies Padus, aliaque Italię flumina adeò increuerũt, vt tandem alueis suis exspatiata multos agros, præsertim in Ducatu Parmensi & territorio Rauennatensi, inundauerint; omnemque sementim adeo circiter milliaria corruperint, magno cum incolarum dispendio. Quæ inundatio nouæ calamitati initium feciſſet, nisi eodem tempore ad diuersos Italiæ portus multa nauigia frumento, alijsq; rebus ad victum necessarijs onusta, ex Septentrione & Oriente, ex Sicilia, Scio, Candia, alijsque insulis appulsa fuissent. Perusię quoque terra ingenti motu concussa est, adeò vt ædes aliquot corruerint, futuræ forsitan calamitatis præsagium. *Inundatio per Italiam.*

Mense Maio Pontifex facta Cardinalium congregatione, causam Magni Magistri Melitensis, Cardinalib. Aragonio, Dezio, Saluiato, Spinolæ, *Magnus Magister Melitensis captus.*

Anno 1593.

Spinolæ, & Iustiniano examinandam cómendauit. Melitenses enim Equites paulò ante Magistrum suum captum in vincula coniecerãt. Causa huius captiuitatis varia à varijs redditur. Quidam enim aiunt eum omnem thesaurum Ordinis duabus triremibus clam imposuisse, & fugam ad Gallos meditatũ esse. Alij aiunt post aduentum Legati Francisci, de quo paulò ante diximus, conspirationem inter illum & Turcarum Imperatorem in Reipubl. Christianæ perniciem detectam esse.

Filij Ducis Sabaudiæ in Hispaniam.

Neapoli eodem tẽpore duę triremes sumptuosissimè instruebãtur, variisq; auleis & peristromatibus exornabantur, quibus duo filij Ducis Sabaudiæ in Hispaniam circa medium Maij deducerentur; quos abeũtes Doria cum tota classe comitatus est. Eadem classe (vt fama erat) exercitus nouus Hispanorum in Italiam transfretaret.

20. Maij. Tumultus Lipsiensis.

Vicesimonono Maij, Lipsiæ ingens inter Lutheranos & Caluinianos ortus est tumultus. Adolphus VVeinhausius caupo, seu stabularius, religione Caluinianus, inter alios suos hospites, nunnullos habebat Heluetios, qui cõterranenm suum Samuelem Huberum, Theologum VVittenbergensem ad prandium vocauerant. VVeinhansius huius rei non ignarus, suæ quoq; opinionis homines aliquot inuitauit. Cœptum est disputari, & Caluiniani more suo multa conuitia, calumnias & blasphemias in Lutheranos euomuerunt. Huberus, vt optimè potuit, se defendit; donec aliorum bonorum virorum intercessione in-

dictum

dictum est silétium. Studiosi Academiæ, postquam negotium intellexissent, hanc iniuriam Hubero factam vindicare volentes, diuersis in locis chartulas valuis affixerũt, quibus petebant, oẽs qui sinceri essent Lutherani octaua hora vespertina armati in forum coirent: se enim VVeinhausij aliorumq; Caluinianorum ædes expugnare decreuisse. Aderat hora constituta: conueniunt Studiosi, adiungunt se fabri, baiuli, lixæ, calones, & vrbis quisquiliæ. Audita noua, magno clamore & furore in Adolphi ædes impetum faciunt: VVeinhausius instantis mali præmonitus, quosdam suæ Sectæ socios armatos per ædes dispossuerat, qui minoribus tormentis eiaculantes, multos vulnerarunt: Lutherani hac defensione neutiquam territi, sed ferociores effecti, pergunt ædes Caluinianas lapidibus, omniq; telorũ genere impugnare: adeo vt quotquot in ædibus erant, periclitarentur. Anno 1593.

Durauit hic tumulus ab hora nona vespertina, ad primam nocturnam: quo tempore onem vim & petulãtiam, quam excogitare potuerunt, exercuerunt: contemptis etiam excubitoribus, qui vt tumultum sedarent, accurrerant: sed lapidibus in suas stationes reiecti sunt. Postridie patibulum in foro erexerunt Studiosi cum suis, à quo VVeinhausium, si viuus in eorum manus deueniisset, suspendere decreuerant. At ille in ipso diei crepusculo cum suis complicibus clam ædibus erepserat, & apud alios sese occultauerat. Vnus autem ex socijs captus est: aliorũ qui euaserant bona publi-

Anno 1593.

publicæ cuſtodiæ ſunt ſubſignata: manè cum magna hominũ multitudo ante ędes cõnueniſſet, ſpectatũ quid pridiè actum eſſet: Cumque ianuę eſſent apertæ, quidã ingreſſi in ſingulis cubiculis magnos lapidũ cumulos inuenerũt. Mox vnà cum illis irruũt homines aliquot nihili & perditorũ fęces, iterumq; omnia diſturbare incipiunt, cumq; nihil reliquũ eſſet, oēs ciſtas, abaces & arcas aperiunt, aurũ, argentum factum non factum primò, deinde omnem ſuppellectilem diripiunt: quod ſecum auferre non potuerunt, in plateas eiectũ pedibus conculcarunt. Erat adhuc in ædibus quidam Ionas Heideckerus, & ipſe Caluinian. qui ſibi metuens, per impluuium in proximas ædes ſe trãsferre volebat: ſed dum incautius ambulat, lapſus vertebras, ſeu ſpinam dorſi fregit. Direptio hæc in duodecimam circiter horã continuatur. Magiſtratus tandem cum aliquot ciuibus accedens, plebeculã hanc ædibus expellit, & ianuas claudit. Sed vix receſſerat Magiſtratus, cùm ijdẽ homines ſeditioſi denuò conueniunt: fores iterũ reſerant, aliaq; cubicula, ad eam vſq; horam clauſa, aperiunt, & quidq; d reſiduũ erat, rapiunt. Ablatis & diſtractis omnibus, ad tectum aſcendunt, atq; illud demoliri incipiunt: ſed ne in cæpto opere pergerent, graui ſupplicio interdictũ eſt. Erant nonnulli alij ex Optimatibus in vrbe huius Religionis ſuſpecti, quorum ædes ſimili modo ſpoliare & euertere decreuerant: Magiſtratus peiora metuens, ciues omnes in curiam vocat, celebritatem vrbis & Academiæ ipſis proponit, non

non ferendum, ait, eam à tam paucis seditiosis hominibus, præsente & inspectante vniuerso mundo (erant enim publicæ nundinæ) Principibus quoque viris, obscurari. Hortatur vt memores iuramenti arma induant, & tantam vim vi, si aliter non liceat, opprimãt. Ciues ad hæc; Se vitæ propter Caluinianos periclitari non posse. Fateri se in huiusmodi Magistratui obstrictos: sed cum videant non tantùm tolerari huius sectæ indigenas, sed etiam alienigenas, quos Brunsvvicenses non ferunt, recipi; integrum sibi nun esse pro his arma capessere. Quod si Magistratus his ante Occasum Solis vrbem interdicat, paratos se esse ad omne obsequium. Magistratus trium dierum deliberationem petit. Non conceditur. Iubentur igitur ciues nomina eorum, quos eijci cupiũt, scripto tradere. Mox quindecim notantur, & Senatus edicto vrbe exire iubentur. Deinde ciues armati vnà cum Magistratu ad tumultuantem populum se recipiunt, & armorũ depositionem imperãt. Hoc modo vrbi pax est restituta. Administrator Fredericus VVilhelmus huius tumultus certior factus, celerrimis equis Lipsiam proficiscitur: Georgio Mullero iubet, vt concionẽ pro populo habeat, quadoceat omnẽ vim, quæ sine Magistratûs imperio exercetur, illicitã esse. Quã Concionẽ postea Cancell. lõga oratiõe excepit, & amplificauit. Deinde Administrator omnes, qui vrbe pulsi erãt reuocauit, & Magistratui tutelã eorum imperauit: eò quòd iam visitationis articulis subscripserant. Tandem edicto publico

Anno 1593.

præ-

Anno 1593. præcepit, vt si tumultus similis exoriatur, ciues oēs Magistratui opem ferant: qui detrectauerit, capite mulctetur. Auctores quoq; præcedentis tumultus debitis supplicijs puniren tur. Quadraginta igitur ex seditiosis illis capti, & quatuor capiti damnati sunt. Administrator metuēs, ne mercatores deinceps huiusmodi seditiosas nundinas vitarent, publicum scriptum edidit, & ad præcipua loca Germaniæ misit, quo securitatem & publicam fidem omnibus mercatoribus pollicetur: facti atrocitatem, prout potuit eleuat, & subsecutū supplicium, adhibitumq; remedium cōmemorat.

Antiquissimus apud Catholicos, & in pluribus concilijs approbatus mos est, præter Christi Saluatoris, eius matris virginis etiam Petri & Pauli, aliorumque Apostolorum, qui fidem catholicā plantarunt: Martyrum quoque, qui sanguine & Confessorum, qui doctrina & virtutibus suis irrigarunt, effigies in illorum memoriā omnibus in Ecclesijs populo spectandas proponere. Imitati sunt idipsum ante hac Lutherani, potissimum Saxones: qui primorum etiam suorum Apostolorum, fideique authorum, Martini Lutheri, & Philippi Melanchthonis imagines passim in templis, ne tantorū virorum, qui alioquin apud paucas nationes cogniti sunt, memoria pereat, collocant. Hanc gloriolā Philippo circa hæc tempora inuidere visus est quidam Ioannes Hackeltius, minister Ecclesiæ in Peltzich, oppidulo Saxoniæ, Marchiæ vicino. Is enim clā Philippi imaginem è templo sustulit, & ad

Imago Philip. Melāchthonis è templo tollitur.

ædes

ædes suas transtulit. Quamobrē magna in populo exorta est simultas: non enim ferebant templa sua violari, sanctorum suorum memorias aboleri, aut eorū imagines tolli. Pastorē itaque cōēgerunt, Philippum restitueret, ac deinceps à simili temeritate abstineret. Quod cum ille feciſſet, populum placuit. Sed cùm fama hæc VVirtenbergam allata ad aures Philippi Melancht. iunioris veniſſet, grauiſſimè eundem cōmouit: qui summā hanc patris sui, & minimè ferēdam interpretatus ignominiā, seueriſſimè cum Pastore hoc expostulauit. O Petre, ô Paule, imò ô Chriſte, vbi filij vestri? vbi populus vester, qui honorem vestrū tueantur? ignominiam vestram vindicent? Vnius Philippi imago tollitur, & ad vlciſcendam iniuriam omnis populus concurrit: imagines vestræ templis exturbantur, auribus, naribusque truncantur, laqueis suſpenduntur, flāmis cremantur, cineres pedibus ignominiosè conculcantur, & ſi quis muſſitet, ſi quis obloquatur, fama simul & vita periclitatur. Anno 1593.

Sordet iam plurimis in Arctoi orbis regionibus Religio Lutherana, ſerpente clàm per Rerumpubl. viſcera dogmate Caluiniano: & niſi miniſtri aliquot, ipſiq; magiſtratus diligenter aduigilarent, metuendum eſſet, ne Lutherana ſenio cōfecta, vt quæ nunc ſeptuagenaria eſt, collaberetur. Exemplo eſt Saxonia, primus huius ſementis ager, & hoc tempore Brunſuiga, quæ hoc anno in eadem Religione cœpit vacillare. Cùm enim vrbs hæc ab anno 1528. quo primū puriori doctrina explosa no-

Brunſvvigæ tumultus ob Religionem.

Anno 1593. uam Lutheranam opera Ioannis Bugenhagij acceptauit, vsque ad præsentem annũ Luthero fideliter adhęsisset, duo vrbis Syndici, Michael Mascus, & Hieronymus Neuenius Caluinianæ Religionis alumni, suam de Cœna Domini, aliisque nonnullis dogmatibus sententiam in vulgus spargere, & propagare cœperunt, Lutherani contra omnibus quibus potuerunt viribus restiterunt, ne illorum doctrina fidē apud populum inueniret. Nicodemus enim Friscinus publico scripto, Polycarpus Leyserus Superintendens, & alij Ecclesiastę in publicis concionibus eorũ impietatem redarguerunt. Quare vterque Syndicus diligenter ab incolis & ciuibus obseruabatur. Leyserus petenti Frederico Vvilhelmi Saxoniæ Duci iam antea missus erat, vt biennio VVittenbergensi præesset Ecclesiæ, cuius absentia grauis erat populo: vt qui suspicabatur hanc duorũ Syndicorum esse inuentionē & machinationē, vt eo absente liberius suas opiniones dissemina-rent. Conuenientes itaq; ciuiũ tribus omnes, de cõmuni consilio decreuerunt; aut Leyserũ in vrbem reuocandũ, aut vtrumq; Syndicum vrbe exterminandũ. Congregato in *curia Senatu*, Ciues ante Curiã (absque armis tamen) coëunt, mittuntque tribunos, qui petitionem suã ad Senatum referant: addantq;, ciues inde non recessuros, nisi prius illorũ petitioni Senatus annuat. Senatus audita ciuium postulatione, omnibus vtitur medijs, vt populũ reddat pacatiorẽ. Ostendit Leyserum petente Rectore Saxonię, cui id negandũ nõ erat, idque

ad bi-

ad biennium tantùm dimissũ, Syndicos quibus potuit modis defendit, excusauit, & pro illis deprecatus est. Sed hæc omnia nihil apud tumultuantẽ populũ efficere potuerunt; qui in ea perstitit sententia, Senatus ante Solis occasum vtrumque Syndicũ; vt templis & scholis pernitiósum, vrbe expelleret. Cùm itaque senatus hanc furentis populi pertinatiã animaduerteret, Syndicos suos, quibusdam è suo Collegio eos comitantibus, & ab insolentia plebis descendentibus, vrbe statim eduxit. In prima Religionis mutatione magna fuerat authoritas Leuini ab Embden, huius vrbis Syndici, & quidquid ille tentabat, suo non caruit effectu: quam eius felicitatem fortasis hi etiam syndici sibi pollicebãtur: sed expectatione sua frustrati, ipsi sibi ingens malum pepererunt.

Zengæ oppido (vt antea dictum est) minabatur Amurathes, Tyrânus Mahometanus: quare necessariũ erat oppidũ hoc valido muniri præsidio. Cùm autem mense Maio præsidiarij quidam in copias aliquot Turcarum incidissent, vtrinque acriter pugnatum est. Zengani superiores cædũt Turcas circiter quinquaginta, & reliquis fugatis insignem prædam nacti sunt. Sed cùm ad mare properarent, vbi naues eorum in anchoris stabant, nõ procul à Carle vvachio exploratores aliquot præmiserũt, an itinera tuta essent, lustraturos. Interea præfectus copiarum Turcicarum Venetorũ Archithalasso, qui Turcis clam fauere dicebatur, in fortunium suũ conqueritur: significans simul

Zengensium victori.

Anno 1593. illi Zenganos isthac iter cum præda facturos. Venetus re intellecta confestim nauigia nouē instructissima cū Matthia Danitscæio in Zenganos mittit, eisque prædam eripit. Zenganui mox per celeres, nuntios hanc iniuriam suis, qui Zengæ erant significarunt. Gubernator vrbis, cùm quid actum esset cum admiratione intellexisset, confestim naues quinq; iubet instrui, & sequenti nocte ipse cū aliquot classiariis portu egressus, Turcas residuos quasi uit, & suis periclitantib. opem ferre voluit. Cùm aūt videret se ob contrarias Venetorum vires nihil operepretiū efficere posse, cōuersis proris Zengā redire decreuit. sed cùm no procul inde discessisset, in manus Venetorū incidit; qui expositis in terrā copijs aliquot Zēganos ex improuiso inuadēdi occasionē quærebant. Gubernator Zengæ Venetis nūciat, Se nō alio fine istuc cum classe venisse, quàm vt Turcas, hostes cōmunes, persequatur, & suos periculo, in quo versabantur eriperet. Iniuriā itaq; sibi fieri, si in causa iustissima ab ijs, qui amici putabātur, impediatur, & hosti potius Christiani nominis, quā ipsis Christianis faueatur. Petere itaq; à Venetis, vt si prodesse nolint, saltē nō obsint. se, suosq; liberè zēgā redire permittant. Respondit Venetus, Gubernatōr ipse cū vna tantū naui, quamcumque vellet eligeret, cunque amicis suis liberē discederet: reliquas naues & classiarios sibi traderet. Quod si hęc conditio nō placeret, modū quęreret, quo se, suosq; tueretur. Gubernator cùm effugium non videret, turpe nihilominus putaret, aut

aut prodere, aut deſere, appulſis ad terrã nauibus, ſuos omnes iuſſit exponi. Deinde ignem tã in ſuas, quã in Venetorum naues iniecit, inſtructaq; acie, ſuos in Venetos eos, qui in cõtinenti erãt inducẽs, eos fudit fugauitq; & ſuos incolumes cũ parte prędę & quibuſdam captiuis in Zengã reduxit. Hęc Francus: quę ſi vera ſint, & Repub. cõſentiẽte acta fuerint, certè antiquæ virtutis & fidei Veneti parũ fuêre memores: ſi ignorante, in Archithalaſſum illum ſeueriore examine erat inquirendum. Anno 1593.

Non tantùm Chriſtianos, ſed & Perſas hoc tempore Amurathes bello perſequebatur; violato namq; paulo ante (neſcio quam ob cauſam) cum Perſarũ Rege nuper pacto fœdere, cum duodecẽtis armatorum millibus Perſiam inuaſit, omnia ferro & flamma vaſtare, quidquid erat reſiduum iuſſit diripi, non innocentium ſanguini, nõ virginum caſtitati, non matronarum pudicitiæ parcitum eſt. Morabellium tã dem munitiſſimam Perſarum vrbem obſedit, obſidionemq; in ſecundum mẽſem protraxit: mœnia maioribus machinis cõcuſſit, & ſoloæquauit, latiſſimis ruinis ſtratis decies vi bẽ irrito conatu immani furore oppugnauit, & viginti circiter ſuorũ millia deſiderauit, obſeſſi nãque pro vita & fortunis, pro vxoribus & liberis, pro aris & focis fortiter dimicabãt. Sed cũ omnia itinera eſſẽt ab hoſtibus obſeſſa, & exercitus ingẽs, cui facilè reſiſti nõ potuit, nec miles nouus, nec cõmeatus oppidanis ſubmittebatur. Defeſſi itaq; tandẽ, & cõtinuis laboribus, vigiliisq; exhauſti, ab hoſte victi, & *Turca in Perſas.* *Morabellium obſidet, expugnatq; ue.*

Anno 1593.

ad internecionem deleti sunt: qui priusquá caderent, fortiter pugnantes vltra decé Turcarú millia in ipsa vrbe trucidarunt. Si qui viui in hostium potestaté inciderent, hos ex brachijs suspenderunt, nouaculis ac cultris corpora dissecuerunt, oleum feruens vulneribus infuderunt, manus, pedesq; amputarũt, atq; ita semiuiuos in plateis pedibus cõculcarunt, pueros de cẽnio minores ex capillis suspensos sagittis cõfoderunt. Mulieres cõstupratas palis alligarunt, vbera præciderunt: pregnantibus ventres dissecuerunt, extractosque fœtus parietibus alliserunt. Hac parta victoria cũ exercitũ in vicinas vrbes ducere cogitaret, Persarum Rex cum octoginta lectissimorũ militum millibus hosti occurrit, commissoq; prælio, insigni, sed nõ incruenta, victoria Turcas superauit. Confitmaut hanc victoriam varia varijs ex orbis partibus scripta, libelliq; impressi diuersi, etsi non eandem apud omnes fidem inueniat.

Insignis Turcarum tyrannis.

Alia christianorum de Turcis victoria.

Eodem quoq; tempore Vscochij Zenganiexcursione facta loca aliquot ditionis Turc. spoliarunt, iniectoq; igne cõcremarunt. cùm aũt vicina præsidia eos prædam abigẽtes insequerẽtur, noua in itinere auxilia inuenerũt; ita vt Turcæ re infecta ad suos redire coacti sint. In eadẽ expeditione Zẽgani aliquot Albanos & Epirotas, Venetis militantes, aggressi, partim trucidarũt, partim in fugã cõiecerũt. Gomorrhenses quoq; in Turcarũ aliquot prędatores incidentes, eos omnes in Danubium reiecerunt, vbi exceptis octo, qui viui in illoum potesta-

testatē venerunt, omnes submersi perierunt.

Anno 1593.

Rudolphus Imperator cùm vires Turcarum crescere, & graue sibi bellū instare videret, diuersis per imperium locis Chiliarchas & Magistros equitum misit, qui nouas equitū, peditumq; copias conscriberent: inter quos Franciscus etiā Saxoniæ & Lovvēburgię Dux summa cum celeritate insignes aliquot equitū turmas collegit: sed priusquam iter Vngariā versus institueret, magna pars anni effluxit. Harū rerum nō ignarus Amurathes, aliquot copias in Poloniā sibi cōscribere licere à Sigismūdo Polonorū Rege petijt: sed respondit Catholicus & Christianus princeps, nihil illi in pernitiē Christiani sanguinis se cōcedere posse.

Dux Lovvēburgiæ militem conscribit.

Ordines quidam in Gallia cupiunt à Nauarræo mentem suam in causa Religionis declarari.

In Gallia hoc tempore res erant paulò quā hactenus trāquilliores: omnium enim animi ad pacem propendebant. Erant nōnulli ciuitates, procereſque & Principes Regni in Picardia, viciniſq; locis, qui belli euentū expectantes, neutri hactenus se patri denouere voluerunt: nō sequi Nauarræū, quia nō erat Catholicus: non confœderatos, quia belli molē hoc modo in se cōcitaturos sese verebantur. Hi de communi cōsilio scribūt ad Nauarræū, quam tandem Religionem profiteri ac tueri decreuerit? & an quæ spes Catholicæ Religionis supereſſet: petunt mentem suam infra sex menses hac in re declararet. Sed cùm nihil responderetur, eandem petitionem secundò repetunt, addentes, si sex mensium spatium nimis longum esset, animi sui sententiam trimestri spatio significaret. Cumque tertiò idē

Anno 1593.

paulò importunius flagitassent, tandé responsum ipsis est; Suam Maiestatem Catholicis liberum Religionis exercitiũ permittere: si qui sint non Catholici, qui Missam audire non velint, his etiam liberum esse apud suos Conciones audire: non posse hoc tempore aliud ipsis responsum dari. Paulò post Sabaudus oppidum Chilles, à Ladiguerio anno præcedenti sibi ereptum, recuperauit, & vi Ladiguerio, qui illud ter irrito conato obsidione liberare tentârat, extorsit.

Chilles à Sabaudo recuperatur.

De classe Hispanica opulentissima aurum, argentum, & merces pretiosissimas ex nouis Indijs collectas vehente, dictum est antea. Insidiabantur illi Piratæ Angli non ignorantes ditiorem thesaurum nunquam vna classe aduectum esse. Sunt qui Regis partem 13. millionum millibus, mercatorum 7. millibus millionum æstimant. Sed in numeris fortè decipiuntur. Non audentes itaque præfecti sese aperto mari credere, in Hauanæ portu conuenerunt, & auxilia ex Hispanijs vocarunt, quæ cùm veniissent, classem saluam & incolumem sub finem Maij in Lusitaniam reduxerunt, vbi cum summa omnium lætitia, magnificoq; triumpho excepta est. Hispania enim, Gallia, Belgium communibus votis hunc belli neruum expectabant; cuius defectu omnia vbique negligentius gerebantur.

Classis ex Americo in Hispaniam appellitur.

Dum hæc diuersis locis geruntur, Ernestus Sereniss. Bauariæ Dux, Colonien. Archiepiscopus, recepta nuper Bonna, omnẽ mouebat lapidem, vt alia quoque Diœceseos loca.

Archi-episcopus Coloniẽsis instat pro vrbium suarum restitutione.

loca, quæ ab Hispaniarum Regis milite adhuc tenebantur, recuperaret, ac ditionem Colonienſem à diuturni & exitioſi belli incommodis tandem ſemel liberaret. Schenckius eum Bonnam occupaſſet, è regione vrbis in altera Rheni ripa fortiſſimam munitionem erexerat, è qua vicinos pagos, imò prouincias aliquot quotidianis excurſionibus infeſtabat, ac depopulabatur. Regij vrbe ab hoſtibus recepta, eandem munitionē ſuis introductis præſidijs defendebant: vti & poſt Regios Bauariani, qui omnes vicinos non multo clementius, quàm hoſtes antea tractârunt. Cùm itaq; nouæ quotidie ad Archiepiſcopum querelæ deferrentur, & tam Montenſes, quàm Diœceſani, quæ incommoda ab iſto præſidio acciperent, ſupplicibus libellis exponerent, Archiepiſcopus tandem illis poteſtatem fecit, munitionem demoliendi, ſoloq; æquandi, quod euocato milite, magna cum agricolarum ſedulitate mox effectū eſt. Cùm autē Archiepiſcopus poſt multas moleſtias, quas & ipſe, & eius Legati in aulam Parmenſis frequentando & ſequēdo ſuſtinuerunt, tandem Bonnam obtinuiſſet, nō quieuit; ſed vt tota Diœceſis ab externo milite liberaretur Parmēſi inſtitit, nullis ſumptibus, nullis parcens laboribus, vt oppreſſis Diœceſanis ſuis tandem opitularetur. Impetrauit quod petebat. Berckam profectus ita cum præſidiarijs egit, vt dimidio, quod debebatur ſtipendio accepto, oppido cederent.

Anno 1593.

Dum hęc aguntur, famæ datum eſt, nouum Gubernatorem ex Hiſpanijs venientem, Parmenſis

Anno 1593.

mensis in Gallijs militantis, in Belgio futurũ Vicarium, præsidiarijs Berckensibus stipendium ex solido numeraturũ. Hæc fama militum animos mutauit, & ab incepto pacto planè alienos reddidit: dum pro dimidio stipendio, totum quod debebatur, se percepturos sperabant. Moritur interea Parmensis, & eius morte concepta spes omnis euanuit. Ne tamẽ Archiepiscopus suo deesset muneri, mox Legatos Bruxellas misit, qui executionem eorũ, quæ inter ipsum & Parmensem transacta erãt, flagitarent. At Petrus Ernestus, Mansfeltiæ Comes, & arcani Consilij Senatores aliam nunc rerum esse faciem, quàm viuente Parmensi causabantur, neque suæ potestatis esse exequi ea, quæ Parmensis cœperat, nisi nouo à Rege Hispaniarum accepto mandato. Decreuisse itaque sese hac de causa statim veredariũ in Hispaniam ablegare, qui Regis voluntatem exploraret. Archiepiscopus (ne quid intermissum videretur) aut suis vllam querelarum occasionem relinqueret, suis quoque sumptibus nuncium per celeres equos in Hispan. misit: orans Regem, vt priorum suarum promissionum memor, mandatum de euocãdis ex Diœcesi Colonien si militibus Parmensi dum viueret, datum, non reuocet, sed Gubernatori & Senatui suo, vt opere exequantur, præcipiat.

Post hæc Archiepisc. Ordines patriæ Bonnam ad libera Comitia euocauit. Cũque multi ibidem conueniissent, Capitulum metropolitanum certis causis motum, suos Bonnam non misit, sed petijt ab Archiepiscopo, vt cõ-

uentus in vrbe potius Colonienſi habeatur. Annuit illorum petitioi Archiepiſcopus, ſolutoque conuentu Bonnenſi, omnes Coloniã dimiſit: vbi clariſſimus I. V. Doctor Theodorus Bisterfeltius, Electoris Conſiliarius, orationem Bonnæ Electoris nomine habitam, repetijt, ſingulariqúe facundia, quæ ab Archiepiſcopo in mandatis habebat propoſuit. In tio gratias egit Ordinibus, quòd ad Comitia venerint: deinde longa ſerie retulit, quam diligentiam ſua Reuerendiſſima Celſitudo adhibuit, quot quantoſque ſumptus fecerit, quæ itinera emenſa ſit, quæque pericula adierit, vt charam Colonienſium patriam à belli iniurijs liberaret, ciuitates & oppida, eductis Regis Hiſpaniæ præſidijs, ſuis Magiſtratibus & incolis, ſaluis priuilegijs, legibuſque & iure priſtino reſtitueret, quæ iam partim à nobis antea commemorata ſunt. Ceterum media pecuniam inueniendi, quæ militibus daretur, adeò infirma fuiſſe, vt nihil certi ſtatui potuerit. Habuiſſe itaque S. Celſ. iuſtas cauſas à ſuſcepta diligentia deſiſtendi: ſed paterno ſuo affectu, quo Diœceſin complectitur, compulſum, ad extrema quæque tentanda. Capitulum quidem ad numerandam partem ſuam promptum fuiſſe, ſed ſeculares Ordines petijſſe, vt Sua Celſitud. vnà cum Capitulo media quæreret, totam ſummam militibus promiſſam colligendi: ſe eius Celſitud. ſuam partem, vnà cum vſura reſtituturos, indemnemque ſeruaturos. Dum hæc media quæruntur, & res leuiter progreditur, ſecutam

Anno 1593.

Conuentus Bonnenſis Colonium transfertur.

Propoſitio Electoris.

I.

mortem

Anno 1593. mortem Parmensis, & omnia consilia in nihilum recidisse. Mansfeltio & Consiliarijs Regijs, absque nouo Regis mandato, ea approbare & effectui dare se non posse causantibus. Missos nihilominus à Regijs & à Sua Celsitudine veredarios in Hispaniá, qui præteritorum actorum confirmationẽ & executionem à Rege flagitent. Quinetiam Suam Celsi. cõsilia sua cum Pontifice & Cæsare communicasse, & ab ijs opem & intercessionem petijsse. Nunc autem Ordines conuocasse, vt inter se deliberent, an alia media superfint, ad vrbium & oppidorum restitutionem promouendam: an potius Suæ Celsi. negotio huic supersedendum arbitrentur, & tantas molestias, tantosq; sumptus frustra factos malint, quàm vt negotium prosequatur. Hîc mentem Ordinum, hîc deliberationes & consilia ipsum expectare, & ad ea paterno cum affectu audienda perficiendaque promptissimũ esse, vti hactenus fuit in negotio hoc suscipiẽdo, nullis parcés sumptibus; ex proprio suo peculio, ne patriá grauaret, omnia quæ ad rem tam difficilem erant necessaria, liberaliter depromens, vt belli reliquijs omnibus emotis, *chara pax* Diœcesi restitueretur, & reddita *libertate* incolæ ad consuetas negotiationes, pristinosq; labores reuerterentur.

II. Secundò multa esse oppida & loca per Diœcesin, quorum præsidia patriæ sumptibus alũtur. His stipendia ex suo thesauro seu peculio numerare Archiepiscopo non esse possibile: neque placere consiliũ in postremis Comitijs datum

datum, à cæteris Imperij membris opem ad sustentandum militem hunc petendam esse: cùm id facere ante omnimodam omnium locorum restitutionem, Imperijque solũ ab omni externo milite purgatum, consultum non esse videatur. Consulendum itaque nunc in medio esse, vnde cogẽda sit pecunia, qua præsidiarij deinceps alãtur, ne stipendiorum defectu cogantur excurrere, obuia quęque rapere, & vicina loca depopulari: hoc præsertim tam ancipiti tempore, quo à varijs per Prouincias discurrentium militum copijs, facilè nouæ proditiones tentari, nouæque possent strui ciuitatibus absentibus suis infidiæ. Quod si media non inueniant, deliberent inter se Ordines, an expediat ciuitates ijs denuò reddere, à quibus tantis molestijs & sumptibus sunt receptæ. Suæ namque Celsitudini omnino decretum esse, vrbes, oppida & munitiones nullas præsidijs nudare, sed necessario ad defensionẽ milite & apparatu bellico custodire, ne in priores calamitates denuò incidãt. Minimè quoque ipsi consultum videri, aliquid in illis mutare, aut præsidia diminuere, priusquã Regis mandatũ adferatur: ne aduersarijs illius, qui quoquo modo restitutionem impedire conantur, vlla detur calumniandi occasio. In his omnibus Deo teste Electorem nullũ quærere priuatum commodum, quamuis id faciendi iustas habeat causas, vt expẽsas à se factas hoc modo repetat, sed ei satis esse, vt vrbes & oppida defendantur, pace fruantur, & floreãt. Monere itaque Suam Celsit. Ordines, vt communi

Anno 1593.

Anno 1593.

muni cõsilio & auxilio (neminẽ enim ab hac necessitate exemptũ esse) moderata inueniant media, & onera inter se debitè partiantur, ne exhaustis longo bello colonꝰ & agricola præter modũ grauetur. Quinetiam S. C. omnia executionis media, ab Ordinibus in vltimo conuentu proposita, tentasse, sed omnibꝰ suis admonitionibus, scriptis, legationibus tantum efficere non potuisse, vt Cõtributionum in comitijs Bruelensibus cõcessarum, vel media pars sit persoluta. Eam ob causam militem præsidiarium peracta hyeme in summis miserijs & rerũ necessariarũ inopia vixisse, idque non sine metu seditionũ & proditionum. Comites neque censum indixisse, neq; coactores constituisse, multo minus suas in cõtributione partes exoluisse. Nobiles multis disputationibus & exemptionibus sese excusare, & vrbes quoque sua quærere effugia. Quid alia ecclesiastica & secularia dominia præstiterint, id ex coactoribus eorum Ordines scisciari posse. Ex his eam rerũ secutã faciẽ, vt nisi summus præfectus Lindius, petente obnixius Archiepisc. ex suo peculio milites aliquandiu aluisset, status patriæ tãdiu minimè conseruari potuerit. Idẽ è suo thesauro fecisse Archiepiscopum, à Comitijs Bruelensibꝰ vsque huc, non enim militẽ vento pasci potuisse. Cùm autẽ prouentus Archiepiscopatus admodum tenues & accisi sint, eius Celsi. nomina fecisse, à mensarijs quatuor dalerorũ millia fœnori accepisse, hanc summam vnà cum tribus dalerorũ millibus in comitijs Bruelensibus pro-

positis

positis ab Ordinibus restitui deberi, vt onera Diœceseos ferre, Consiliarijs & ministris suis qui iam aliquot annis nullũ stipendium acceperant, satisfacere Sua Celsitudo possit. Quid hic Ordines præstare velint, seriò Suã Celsitudinem in responsione illorum expectare. Anno 1593.

Tertiò difficultas in restitutione Dynastiæ Bebberensis proposita est. Scire scilicet Ordines, qui ad hanc restitutionẽ, & minas Ordinum Belgicarum Prouinciarũ, Bruelæ in vltimo conuentu, responderunt. Electoré officiũ suum feciſſe; Cum comite VVernero Rifferscheitio, nunc istius Dynastiæ possessore, diu multũq; tractasse, omniaq; media tolerabilia proposuisse, quibus saluo iure suo, quæ petebantur, restitueret. Per legationes quoque & scripta varia Viduam Adolphi Comitis Nuenarij admonuisse, ne barbaras illas cõminationes vrgere pergat, sed poti⁹ suæ Celsitudinis, vt veri Domini istius feudi, æquo arbitrio negotiũ committat: ne maioris exacerbationis, nouorũque tumultuũ detur occasio. Acta horum omnium in archiuis reseruari, & Ordinibus posse exhiberi. Ceterùm adeò nihil his sumptibus & laboribus effectum, vt Comes prædictus in suæ excusationis terminis perseueret: Se feudo huius Dynastiæ iam antea donatum, antiquum etiam in illam habere ius, & iam tanto tempore in possessione fuisse: speraret itaque sese, quod absque legitima causæ cognitione Dominio hoc non exturbabitur. Viduam quoque Nuenarij executionem III.

(non

Anno 1593. (non obstante quod S. C. legatos suos tantò tépore in Belgio habuerit, qui animos Ordinum mitigarẽt,& à proposito auertere(nt)minarũ intentarum tã importunè vrgere,vt Ordines absq; vlla vlteriore dilatione de facto procedere incipiãt. Hunc articulũ necessariò propositũ, vt Ordines patriæ in his Comitijs illũ debito modo cũ omnibus suis circũstantijs pòderẽt,ac discutiãt,Suæq; Celſ.solidũ stabileq; responsũ reddãt,quo efficacia cõtineãtur remedia,quib⁹ caueatur,ne perdita atq; infelix patria in graviores calamitates incidat.

IIII. Quartò admonuit Archiepiscopus Ordines,ijsq́ue obiter in mentem reuocat, quid in varijs Iuliacensium & vicinarum prouinciarum conuentibus, de ineundo fœdere contrà prædatores quosuis & latrũculos, vias omnes & flumina infestantes actũ esset: sibi & Iuliacensibus negotium commissum. Petere itaq; sese, vt Ordines modum, formamq́ue huius confœderationis præscribant.

V. Quintò,Ordines etiam non ignorare,quàm grauiter Sua Celſ. in omnibus præcedentibus comitijs conquestus est, horum bellorum iniuria fiscum & prouentus suos adeò extenuatos & diminutos,vt suæ personę dignitatiq́ue nõ sufficiant,multò minus, vt nomina dissoluere, æs alienũ reddere, & onera Diœceseos sustinere valeat.Hanc ob causam Consiliarijs aliquot annorũ deberi stipendia,quæ nisi soluantur in officio eos perseuerare non posse. Cùm itaq; Diœceseos administratio nõ possit deseri,nec ea absq; Consiliariorum ope queat conti-

continuari, admonere & petere Suam Celsitudinem, vt Ordines aliorum laudabilium Electorum & Principum vestigia sequentes, quotannis certam pecuniæ summam decernant, vnde Sua Cels. Consiliarijs satisfaciat, vt iustitia legitimè administretur, omniaque tam Ecclesiastica, quàm politica ordine & iure antiquo exerceantur. Anno. 1593.

Hæc cùm proposuisset, longa & facunda oratione D. Bisterfeltius, tandem addidit: Suam Celsitudinem Ordines patrio affectu admonere, prædictas propositiones pro suo momento ponderent, atque examinent, & post maturam, diligentemque deliberationem, solidi quid statuant, vndè Elector intelligat illis salutem patriæ cordi & curæ esse: omnes suspiciones, omnemque diffidentiam abijciant, & semotis affectibus ipsam rem aggrediantur, ne sibijpsis & laudabili posteritati defuisse videantur. Protractus est hic conuentus in menses multos, neque adhuc (quod scire quidem possumus) ob diuersas difficultates certum quid determinari potuit. *Conclusio.*

Hoc loco nonnullos Scriptores Germanicos video posuisse quoddam vaticinium, hoc anno in Italia inuentum: quod, ne defraudemus Lectorem, nos etiam hîc inserere voluimus. Aiunt D. Petrum Paulum Abbatem in Calabria, dum in suo Monasterio veterem parietem demolitur, vt nouum denuò extrueret, fundamentum altius fodi præcepisse; inuentum autem inter fodiendum sepulchrum lapideum, extinsecus vario marmore fornicatum, in quo cruces, & quædam passionis Dominicæ mysteria sculpta videbantur. Apertum est sepulchrum hoc, præsente Abbate & Monachis,

Anno 1592.

nachis, Secretario quoq; & Vicario Domino Angelo, inuentumq; cadauer penè consumptum, capillos nihilominus adhuc in capite, & barbaram canam, promissamque, in manibus verò laminam argenteam habens, cum hac inscriptione. *Cùm Sancta ciuitas fulgebit splendore stellæ, soli iterum me videbit. Hoc est corpus Abbatis VVerdini Hydruntini, sepulti 6 Kalend. Nouembris, anno 1279. à Virgineo partu.* Sed & sub capite illius cadaueris reperta est ex marmore arcula, & in ea cápsula plumbea, cum membrana, in qua antiquis characteribus sequens scriptum erat cum epigraphe vaticinium.

Vaticinium in Calabria inuentum.

Verba vaticinij.

Ego Abbas VVerdinus Hydruntinus, cùm ab Angelo meo custode admonitus essem, tempus resolutionis meæ instare, quæ mihi prius reuelata fuerant ventura in apertione sexti sigilli, ista in hac mẽbrana scripsi, & in ista capsula marmorea seruaui, mandans in virtute sanctæ obediẽtiæ Iacobo Hydruntino, & Mauro Panormitano discipulis charissimis, vt ipsam in hoc sepulchro, vnà cum cadauere meo deponerent. Cùm in sede Petri fulgebit stella corruscans præter hominum expectationem electa, in maxima electorũ controuersia, cuius splendor vniuersam Ecclesiam irradiabit, sepulchrũ cadaueris mei aperietur. Hic bonus Pastor custoditus ab Angelis, multa reædificabit. Eius vigilantia & solicitudine eleuabuntur altaria, & Ecclesiæ discoopertæ cooperientur. Tunc gratiosus iuuenis de posteritate Pipini veniet peregrè, ad videndum huius pastoris claritatem, qui pastor mirificè collocabit hunc iuuenem in Gallicana sede hactenus vacante, eique imponet Diadema Regni, ipsumq; in adiutorium

rium Regni vocabit. Non post multos annos stella cadet, eritq; luctus ingens, nam cum eo tunc temporis sepelietur Aquila septuagenaria: relicto Pullo sub Primorũ custodia vbi omnia ruent in peius Fera pessima cum cauda amarissimo veneno plena in suum intrabit cubiculum, in tantumq; maxima serpentum quãtitas multiplicabitur. Itaq; indies per vniuersa cubicula clericorũ trãsibunt, & dignitates sacerdotales in maxima sanguinis effusione peruenient, eruntq; angustia & fames per vniuersa mũdi loca, in tantumq; maior pars gentiũ mortẽ clamabit. In illis diebus multa solennes ciuitates peribũt per direptiones tã internorũ quã externorũ, potissimè in Italia, tã in regno Neapolitano, quàm Hetruria: timenda, tremendaq; sunt, quantũ eredi posset. Hydruntina patria mea iterũ à Dracone Mahumetano vastabitur. Roma singulariter concutietur. Florentia quoq; concutietur tunc expectans vindictam sub Duce suo Apostata, & nidus Philosophorũ aqualiter cõcutietur, & Genua hostiũ tribulationes incurret. Sic mihi ostẽdit Dominus. Turca cũ linguis futuru Venetiã polluẽt, & hic non spectantibus præliũ intentabunt. Totum Regnũ Siciliæ peribit. Deus propitius sit seruis suis. Multa monasteria corruent, ob venenum Aquilæ Septentrionalis maximus sanguis effundetur ob duas pugnas Gallorum & Batauorũ. Vtinam auertat Deus irã suam. Anno 1593.

Moersia exiguum est oppidulum, comitatus titulo nobilitatum, sub Dominio quondam. Comitis Nuenarij Adolphi: sed bello Truchsesico à Rege Hispaniarum occupatum, Camillo Italo

Moersensium militum petulantia.

Anno. 1593.

custodiendum est traditum. Habet is sub se præsidium, non tam ob virtutem, quàm ob continuas deprædationes vbiq; nobile. Nihil tam vicinum, nihil tam amicum, nihil tam sanctum est; cui ab istis hominibus parcitur. Non tam hostes, quàm vicini, & amici, Regis Principes ab illis diuexantur: ita vt Rex ob horum militum insolentiam vbiq; pessimè audiat; & mirum sit, neminem Regi tam esse fidelem, qui eum tandem ab hac ignominia vindicet, eos vel exauthorando, vel in ordinem redigendo. Quis enim credet aut Regis, aut ipsius in Belgio præfecti voluntatem esse, vicinorum & amicorum Principum pagos, villas, & oppida quotidianis excursionibus spoliari, diripi, depopulari? Est autem id Moersensibus adeò familiare, vt inter hostē & amicum nulla sit apud ipsos discretio. Compertum id est mense Aprili hoc anno, quo tēpore magnis itineribus per Diœcesin Colonien sem & Ducatum Iuliacensem profecti. intempesta nocte Reinmagium, oppidulum Ducis Iuliacensis, ad Rhenum, non procul à Bonna dissitum, venerunt, atq; in insidijs dispositi vrbis occupandæ occasionem captârunt. Spei non defuit euentus, Mane namque, cum pro more portæ aperirentur, & ciues pecora sua in agros emitterent, Moersenses è latebris prosilientes, portam occupârunt, & in oppidū procurrentes, quidquid in ædibus inuenerunt, aurum, argentum, factum, non factum, supellectilem pretiosiorem, merces, & quidquid alicuius fuit pretij, diripuerunt: spoliatoque oppidulo cum præda Moersiam reuersi sunt: oppidanis frustra sequentibus, & damnum sibi illatum conquerentibus. Consumpta hac præ-

Reinmagum spoliatur.

da, no-

da, nouam iterum venati sunt hoc mense Maio, & pagum Doermagen, Zontio Colonienſis Diœceſis oppido vicinũ hoſtiliter ingreſſi, colonos aliquot trucidârunt, obuia quæque diripuerunt, & omnis generis pecora ſecum abegerunt. Idẽ menſe Iunio fecerunt in alio pago Guher dicto, ſed non pari fœlicitate. Cùm enim Iuliacenſes milites intellexiſſent, Moerſenſes penè omnes ad prædam profectos, Moerſiam venerunt, & in ſuburbanum agrum irruentes, greges, armentaque omnia abegerunt. Cùm autem reuerterentur, fortè fortuna hoſtem habuerunt obuium. Pugnatum eſt hic arciter, dum neutra pars prædam vult dimittere. Ceterùm quia Iuliacenſes numero erant plures, Moerſenſes fugere, & prædam omnem aduerſarijs relinquere cogebantur.

Anno 1593.

Pagus Doermagen ſpoliatur.

Guher diripitur.

Vngari & Boemi videntes Turcicas vires quotidie augeri, oppida & arces occupari, prouincias ſpoliari, infinitos homines in ſeruitutem abripi, in penitiora Vngariæ loca hoſtes incurrere, tandem decreuerunt certum equitum peditumque numerum ſuis ſe ſumptibus in vſum belli Turcici miſſuros, ijsque ſtipendia menſtrua perſoluturos. Quo tempore Lubiana Pragam perſcriptum eſt, ijs in partibus mille ducentos Turcas palantes in manus Chriſtianorum incidiſſe, 200. captos, ceteros occiſos, paucos fuga elapſos eſſe. At Boſniæ Baſſa omnium horum malorum author & impulſor non otiabatur: ſed ſanguinem Chriſtianorum ſitiens, & intolerabili ambitione inflatus, nihil quàm noſtram perniciem meditabatur: donec tandem vitæ periodus aduenit, in qua ſcelerum pœnas ſupremo Vindici daturus eſſet. Hic (vt antea com-

Boemi & Vngari ſubſidia promiſerunt ad bellũ Turcicum.

Anno 1593.

tea commemorauimus) Præfecto in Sisseg, siue is Canonicus sit, vt ibi diximus, siue (vt alij, quod credibilius est) Abbas, præter modum erat infensus. Rationem huius odij hanc referunt nonnulli. Anno proximè iam elapso Bassa legatum ad Abbatem misit, deditionem Monasterij postulans. Abbas legatũ verbis spe plenis aliquot dies apud se detinuit, mẽtem Bassæ ex eo intellexit, qua parte, quibus copijs & machinis illud oppugnare decreuerat didicit. Interea comperit Oeconomum suum proditionem moliri, & iam abhinc aliquot annis annuum à Turca stipendium meruisse. Nactus itaque occasionem Abbas, & Legatum, & Ministrum suum comprehendit; manibus, pedibusque ligatis è fenestra in præterfluentẽ Sauum præcipitat. Bassa cum videret Legatum suum non redire, alium ad Abbatem misit nuncium, cum minis, ni remitteret Legatum. Ad hæc Abbas; se Legatum ante aliquot dies dimisisse: mirari quòd nondum in castra venerat. Nihilominus sibi decretum esse monasterium Bassæ; contra cuius vires illud tueri non poterat, dedere. Mitteret tantummodo viros alicuius authoritatis, qui illud occuparent. Ignominiam enim non leuem sibi fore, si gregarijs militibus illud traderet. Bassa accepto hoc nũtio lætus, confestim primarios aliquot viros, spectatæq; virtutis milites conuocat: sperans se monasterium sine cæde & sanguine occupaturum. Abbas interea præsidium auget, tormenta omnia bellica ferreis catenis, clauis, lapidibus, alijsque telorum generibus onerat, in area monasterij diuersis locis disponit, regitque virgultis

Bassa cur Monasterio Sisseg infensior.

Egregium Abbatis factum

gultis, aliaque materia ne videri possent. Anno

Tertio tandē die Turcicus equitatus aduenit, pe- 1593.
tet porta, ingrediuntur nobiliores primi, inde reliqui ad quingentos, aut circiter. Qui cū transijssent, mox pensilis dimittitur crates, exonerantur vndiq; machinæ, sternuntur Turcæ, capita, pedes, & brachia tormentorum vi per aēre abripiuntur; exiliunt è latebris præsidiarij, & si qui residui erāt hos omnes trucidant, Qui extra Monasterium erant, fremitum & eiulatum suorū audientes, conuersis equis fuga sibi consuluerunt, Hac suorum clade, & tot magnatum cædibus auditis Bassa excanduit, iurauitq; per Mahumetum suum, se Monasterium hoc funditus euersurū, & Abbati cutē detracturum: quod & illi per litteras denunciauit, vt quinto libro à nobis dictum est.

Hoc itaque Anno initio mensis Iunij, memor acceptæ cladis Bassa, cum triginta millibus, vel, vt alij, triginta octo millibus equitum & peditū munitionem Trenschijn obsedit, crebrisq; oppugnationibus, & magnarum machinarum violentia defatigatis oppidanis, tandem potitus est: oppidū diripuit, incolas seniores partim trucidauit, partim miserè spoliatos dimisit: iuniores captiuos in Turciā misit, pauciscq; mensib. plures quàm octingētos in miserrimā seruitutē abduxit. Hac victoria elatior factus Barbarus, lustratū, restauratumq; exercitū, in quo septē erant Beghæ, multi Spachi, Sangiaci, Delij, Ianizari, alijque summæ dignitatis viri, mouit, & per pontem, quem construi iusserat, flumen traduxit, Monasteriumque Sisseg, duodecimo Iunij circumsedit. Cumque deditionem frustra postulasset, postridie machinas erigi iussit,

Trenscin occupat Turcæ.

12. Iunij. Sisseg. obsidetur.

Anno 1593.

iussit, maximoq; cum furore in muros fulminans, nouam turrim breui prostrauit, in qua ruina duo quoque balistarij perierunt. Totis decem diebus hoc modo absque vlla intermissione muros verberauit & oppugnauit; nullam obsessis permittens requiem; ita vt sine subsidio externo impossibile videretur monasterium diutius posse defendi. Episcopus Agrienſis, & Rupertus Eggenbergius, Cæsarearum copiarum præfectus, qui tuuc Agriæ erat, horum conscij facti. Andreæ Auerspergenſi Carolstadij Gubernatori significarunt, & consilium auxiliumque ab illo petierũt. Ille conuocatis suis copijs, non contemnendum numerum equitum, peditumque elegit: Karniæ milites limitaneos, equitatumque Crainiæ euocauit, qui omnes decimo septimo Iunij, iuxta Inſsavvitzium conuenerunt, & pernoctârunt. Postridie non procul ab Agria Savvum traijciẽtes, apud munitiones Cæsareis copijs sese iunxerunt. Decimo nono die instructis ordinibus Scelinum, in ditionem Dynastæ Baani, profecti sunt. Interea Hussari sub Petro Herdelio, & hi, quibus ab albis sagis nomen est, trecentos circiter Turcas habuerunt obuios, qui deprædatum Kussinam excurrerant: centum ex ijs partim trucidârunt, partim captiuos ad suos adduxerunt, reliquos in fugam coniecerunt. Inter captiuos erat Croati apostatæ filius, qui Vicecomiti Crastovvitiæ vinctus traditus est: Scelini Serinenſem Comitem expectarũt, & die vicesimo Baanus, Petrus Herdelius, & Dominus Stephanus Grafvveinius, cum Istuuano Tahi, multisque Vscocchis in castra venerunt. Vicesimo primo die Gradij pernoctarunt, Serinenſem

sem Comitem adhuc præstolantes, quem tandem impeditum non venturum intellexerunt. Postridie in ipsa aurora miles quidam ab obsessis emissus in castra venit, ducibus exercitus significans, nisi illo die cum omnibus copijs accelerarent, hostemque adorirentur, & obsessos liberarent, de munitione Sisseg actum esse: spem enim defendendi omnem sublatam, & iam præsidiarios de deditione cogitare, turrim enim ad Culpam nuper ædificatam maiori parte conuulsam, prostratamque corruisse: hostem sub vesperem oppugnationem moliri: magnos arenarum cumulos congessisse, ex quibus in monasterium facillimo aditu posset incursare, Auersbergius, Robertus Eggenbergius, Melchior Rederius, certique Duces audito hoc nuntio conuenerunt, & consilia inter se contulerunt, quid in re tam dubia atque ancipiti esset faciendum. Auersbergius monet exercitum esse promouendum, cum hostibus pugnandum, & obsessis succurrendum; consensit illi Rederius, alij consilium hoc improbârunt, dicentes vires Christianorum nimis esse exiguas, si cum Turcicis comparentur. Consultius itaque sibi videri exercitum reducere, & copias ad suas munitiones remittere. Quorum consilio commotus Auersbergius primò indignatus est; postea verò pro sua facundia negotij pondus explicat, timidos Croatorum animos accēdit, hortatur vt Deo supplicent, opem ab illo petant, vt execrandi & immanis istius hostis vires frangat, propositoque illius sanguinario clemens obicem constituat: ipsi autem intrepido animo imbellem, ignauumque hostem adoriantur, cuius spes non tam in virtute belli-

Anno 1593.

Auersbergius milites ad pugnam hortatur.

Anno. 1593.

bellica, quàm in multitudine hominum esset posita. Vbi suos cædi viderit facilè fugam arrepturũ; fugientem suos è fuga non recollecturum, sed hosti victoriam vnà cum præda relicturum. Pro aris itaque & focis fortiter pugnarent, & Deo, cui perinde est in paucis atque in multis vincere, confiderent. His, similibusq; verbis animos aliorum erexit, ita vt iam omnes in eandem pedibus irent sententiam; decernerentque hostem inuadendũ, & obsessos esse liberandos. Dato itaque signo confestim totus exercitus, qui vix quatuor armatorũ constabat millibus, loco se mouit, & magna celeritate ad castra hostium properauit: donec vix mille passus ab ijs abesset, vbi Centuriones, Tribuni, cetericque Præfecti aciem instruxerunt occasionemque pugnæ expectarunt.

Christiani in Turcas mouent.

Hostis cùm Christianorum aduentum ab exploratoribus intellexisset, omnem equitatũ suum Culpam fluuium per nuper constructum pontem transmisit, exercitumque in duas copias diuisit, quarum alteram in insidijs collocauit, ne videri posset: altera in patenti campo Christianos expectabat. Hac enim arte se effecturum sperabat, vt Christianos ad pugnam cum tam exigua manu committendam feruentiores insidijs longè lateque dispositis circumueniret, ac nullo negotio, multitudine suorum opprimeret. Christiani in prima acie Croatos & Hussaros constituerant, vt primam impressionem facerent. Sed cùm aliquãdiu gnauiter pugnassent, multitudine hostiũ territi, pedem retulerunt, & iam fugam meditabantur. At imperator exercitus Auersbergius mox adfuit, pugnamque redintegrauit: in sinistra parte

Pugna ad Sissec.

Carlsta-

Carlstadienſes, & Carniæ ſclopetarios, in dextra limitaneos equites Crainiæ, in medio reliquas copias ductore Sigiſmundo Paradiſio equitatumque Sileſiæ collocauerat, tria verò ſigna Cæſarea agmen claudebant. Hoc ordine magno impetu, animíque fortitudine in hoſtiũ acies incurſauit, globorum, telorumque multitudine ordines eorum perturbauit, ita vt Baſſa cum ſuis cedere primò, deinde in effuſam fugam ſeſe conijcere coactus ſit. Cùm autem ad pontem properarent Turcæ, Chriſtiani compoſitis ordinibus magna celeritate eos ſunt inſecuti, & anteuertentes hoſtem pontem occuparunt, fugientes Turcas repreſſerunt, & ttanſitum illis intercluſerunt. Hoſtes cùm ſe vndique cinctos, ſuosque abſque vlla miſericordia trucidati viderent, partim in Oderam, partim in Culpam deſiliunt, in aquis ſibi conſulere volentes, ſed quia ripæ erant altiores, euadere periculum non potuerunt: ſed aut in aquis ſubmerſi. aut à Chriſtianis cæſi omnis perierunt: decretum enim erat nulli vt parcerent, ſed ad internecionem omnes delerent. Anno 1593.

Victoria Chriſtianorum.

Bis mille equi incolumes illæſique in poteſtatem victorum venerunt, & decem ſigna hoſtibus adempta. Interea Turcæ, qui in caſtris remanſerãt intellecta ſuorum clade, puluerem tormentarium, aliumque apparatum bellicum, vnà cum caſtris incenderunt, relictiſque impedimentis omnibus, fuga vitæ ſuæ conſuluerũt. Chriſtiani mox caſtra occuparunt, in ijſque nouem maiores machinas integras, illæſaſque inuenerunt, inter quas præcipua erat Katſianerina, ante aliquot annos Chriſtianis adempta; cuius incredibilem violen-

Præda.

Anno 1593.

violentiam omnes munitiones reformidant. Reperti quoque sunt aliquot cēteni globi, 44. & 45. librarum; regium Bassæ tentorium, & alia multa, quæ præda in munitionem Sisseg est comportata. Fama est ab hominum memoria in Croatiæ, VVindismarcæque finibus tam splendidum apparatum Turcicum, tantam Nobilitatem, tam robustos & proceros corpore, tam splendidè, Germanorumque more ornatos, armatosque milites visos non esse: Galeas, thoraces, loricas, gladiorum capulos, aliaque arma penè omnia vel deaurata fuisse, vel argenteis, aureisque emblematibus ornata. In cæsorum numero non omnes conueniunt, dum quidam 22. millia, quidam sedecim millia constituant: communior verò & verior opinio est, tam in ipso prælio cæsos, quàm in fluminibus submersos, reliquè natitantes obrutos 18000. ex viginti enim millibùs. qui Culpam traiecerant, bis mille tantùm euasisse omnium litteris confirmatur. Perierunt in hoc prœlio non tantùm gregarij milites, & inferioris ordinis Præfecti, sed ipse Bassa Bosniæ: multi Begæ, Spachij, &c. Hasan enim Bassa, ex Italo (vt quidam scribunt) Christiano crudelissimus Apostata factus, & Bosniæ præfectus, iuxta pontem in aquis inuentus est, multis sumptuosis vestibus, pretiosisq; gemmis indutus atq; exornatus. Iuxta illum Mahomet, Bega Hertzogouinensis, Achmeti Visirij Bassæ filius. Alijs itidem locis reperta sunt cadauera Safferi Begæ Tzernichensis, Bassæ Bosnię fratris: Meni, Begæ Zuornichensis; Haramatani, Begæ Skenderiensis; Curti, Begæ VVtzithaniæ; Ali, Begę VVakertiensis; Ibraimi, Begæ Likensis; Velikouelij, Begæ Potzhegiensis;

Numerum cæsorum.

fis;Operdi,Begæ Aleunouienſis,& Begæ Orecho- ANNO
vvitzienſis. Perijt & in hac pugna Goſchus Cla- 1593.
genfurtius,ſupremus Baſſæ Conſiliarius,aulæque
Magiſter,& multi alij proceres,quorum omnium
catalogum contexere, & lectori legere,& mihi
ſcribere,præſertim tam barbara nomina,nimis eſ-
ſet tædioſum. Ante alia verò Turcis luctuoſiſſima
fuit Amurathis, Imperatoris, ex ſorore nepotis *Amurathis ex ſorore nepos cæſus.*
mors; qui filius erat vnicus, adoleſcens admodũ,
vt militarem diſciplinam diſceret,belloque & ar-
mis aſſueſceret,in hanc expeditionem miſſus,cu-
ius cædem indigniſſimè fert Imperator Turcicus,
præſertim à ſorore ad vindictam incitatus, quæ
ſupplex, & ignitos habens in capite carbones, ad
fratrem veniſſe, filij mortem maximis lamentis
proſecuta,vltionemque precata dicitur. Ex Chri-
ſtianis cecidit ductor præſidij Carolſtadiẽſis,equi
tes duo,Huſſari octo aut decem. Ex peditibus ne-
mo in acie perijt,Triginta tantùm aut quadragin-
ta ex Vſcocchis & Cęſareanis,qui in occupatione
pontis partim in aquis lapſi ſubmerſi ſunt,partim
à ſocijs oppreſſi. Parta hac tam inſigni victoria,
totus exercitus Chriſtianorum ter monaſterium
ambijt; ſingulis vicibus milites ad vnum vſque o-
mnes in genua procidentes, Deo ſummas pro cõ-
ceſſa victoria gratias egerunt,multaque lætitiæ ſi-
gna ediderunt.

Biduo poſtquam hæc in Croatia fiunt, Ordines *Montes D. Geertrudis occupant Ordines Belgici.*
Confœderati in Belgio Montes S. Geertrudis de-
ditione receperunt. Vrbem enim hanc ab Ordini-
bus 28. Martij obſeſſam diximus antea. Mauritius
eam multitudine machinarum bellicarum ſterne
re,animoſque oppidanorum percellere,& ad de-
ditionem

Anno. 1593.

ditionem cogere se posse existimabat, illi extrema periclitari volentes, & auxilium à Regijs expectantes, contra omnem vim hostium se defenderunt, infirma munierunt, & collapsa restituerunt. Videns itaque Mauritius se operam ludere, ab oppugnationibus destitit. & in muniendis castris, vrbemque fossa, vallo & propugnaculis, quasi corona cingendo, tempus, laboremque omnem collocauit: fame, rerumue necessariarum inopia domare volens oppidanos. Cùm omnia iam parata essent, nec vsquam pateret ad exercitum accessus, tandem Regij Duce Mansfeltio seniore in Taxandriam venerunt; quorum exercitus (vt quidã scribunt) 15. millibus peditum, & tribus equitum constabat: Ordines intellecto hostium aduentu lectissimas aliquot copias obuiam miserunt, qui cum illis confligerent. Cùm ad manus ventum esset, pugnatum est vtrinque fortiter: cecidit ex Belgicis Centurio quidam Nobilis Niueltius, & alius quidam genere & moribus ignobilis Arnoldus Hesselius, cum multis alijs gregarijs: ex Regijs quoque nonnulli desiderati sunt. Canunt Ordines receptui, & in castra sua reuertuntur. Non procul à castris hostium sua quoq; posuit Mansfeltius: ita vt crebræ fierẽt inter illos velitationes, in quarum vna Iodocus Vigius, Præfecti (quem & Regulũ vocant) Tilani filius trucidatus est. Mansfeltius autem omnem quærebat oportunitatẽ hostes castris exuendi, & oppidanis subueniendi: sed serò iam multo sanguine efficere conabatur, quod ante paucos dies facili negotio potuisset. Eũ enim in modum Belgicorum iam castra erant munita, vt vrbs facilius, quàm ea expugnari potuisset.

Præte-

Præterea locus erat vliginosus & palustris, vt ne ad munitiones hostium pateret accessus: sed & difficultate annonæ Regij laborabant, ita vt nihil præclarè efficere potuerint. Hostes cuniculis agẽdis, fossisque implendis nullum tempus intermittebant. Vicesimo primo Iunij quidam ex præsidiarijs ex vrbe dimittitur, spe in castra Mansfeltij perueniendi: sed confestim captus, & ad Mauritium deductus, statum vrbis omnem reuelauit. Postridie Hispanus quidam ex castris Mansfeltij cũ litteris emittitur, vt experiretur, si natãdo in vrbem posset peruenire: sed & ille in aquis deprehensus & captus est. Ordines itaque de constitutione hostium, & quo loco oppidanorum res essent satis superque instructi, vicesimo quarto die vrbẽ cœperunt iterum oppugnare; & sub vesperem munitissimum propugnaculum vrbis, in aggere Stelhouiano situm, expugnarunt. Erant in eo 36. præsidiarij, quorum capti quatuor, reliqui fuga euaserunt. Quòd si victoriam hãc prosecuti fuissent: Ordines, vno, eodemque impetu vrbem armata manu occupassent. Sed dum cunctantur, & negligentius rem agunt, Gubernator vrbis contractis ducentis lectissimis militibus propugnaculum denuò adoritur: sperans se hostem inde rursus eiecturum; sed frustra, mox enim Gubernator ipse cũ 40. è suis sternitur, reliqui pedẽ retrahunt, & in tuta sese recipiũt. Mox oña tormẽta maiora disploduntur, & sclopis dẽsissimos glandiũ imbres in subiectas plateas ex propugnaculo demittũt: tãta erant tonitrua & fulmina maiorum, tantus fragor & crepitus minorum tormentorum, vt cœlũ rumpi, & terra dehiscere videretur: flamma & fumus omnia

Anno 1593.

Anno 1593.

omnia inuoluebat, & tegebat, vt ſocius ab hoſte diſcerni non potuerit. Obſeſſi ad colloquium admitti cupiebant: ter tympanum pulſant, ſed audire hoſtis non potuit. Tandem diſparentibus nonnihil fumis, pileis haſtis ſuis impoſitis ſignum deditionis oſtendunt. Mauritius cùm metem hoſtis intellexiſſet, confeſtim tres obſides ſibi in caſtra mitti iubet, ipſe viciſſim in vrbem duos remittit. deque conditionibus deditionis mox actum eſt. Horæ circiter ſpatio conueniunt: gladijs tantùm accincti vrbe exirent præſidiarij, impedimentaq; omnia ſua ſecum auferrent. Mox victores in vrbem mittũt tria peditum ſigna & equitum vnum, qui muros, turres & propugnacula cuſtodirent. Viceſimo ſexto circa meridiem Regij præſidiarij, quorum adhuc ſexcenti erant ſuperſtites, conuaſatis omnibus vrbe excedunt. Mauritius videns omnes egregios eſſe milites, & memor fidelitatis, quam in defenſione Regis ſui exhibuerant, iuſſit eis omnia arma reſtitui, atque ita dimitti. Erãt autem inter eos tres, qui vrbem Parmenſi vendiderant, hi ceteris inſpicientibus, ſuſpenſi ſunt. Cũm autem extra vrbem primum tranſirent propugnaculum, Mauritius ſedecim eis ſigna militaria (tot enim habebant) ademit, dicens; Se illis arma, non ſigna donaſſe. Illi rurſus à Mauritio ſibi currus aliquot concedi petierunt, quibus impedimenta, ſacrinaſque ſuas imponerent, ſecumque auferrent. Mauritius confeſtim quinquaginta illis currus, & cohortem equitum conceſſit; quo comitatu Antvverpiam (Mansfeltij namque caſtra vitabant) profecti ſunt.

26. Iunij.

Munitione Siſſeg (vt anteà dictum eſt) liberata, Turca-

Turcarumque exercitu deleto, D. Eggenbergius monebat victoriam esse persequendam: statimq; fit apparatus exercitum mouendi, & Petrinam ob fidendi. Sed quia continuæ erant pluuiæ, obsidio aliquot diebus protacta est; machinæ namq; bellicæ & commeatus difficillimè exercitui aduehi potuerunt. Tandem omnibus comportatis, quinq; continuos dies vrbem grauiter concusserunt, & sine intermissione mœnia (absq; singulari tamen aliquo detrimento) verberarunt: neque segnius hostes ex vrbe eiaculabantur. Sed & quotidie velitationes, leuioresq; habitæ sunt pugnæ. Tandem Christiani traducto per nouum pontem, quem in Culpa construxerant, exercitu, Turcas in suis castris adoriri decreuerant. Sed capto quodam ex Turcis didicerunt Blegerbegam Græciæ non procul abesse, maximum secum exercitum adducere, vt Bassæ Petrinensi opem ferat, Christianorumq; copias ex improuiso obruat, cædatque. Hoc nuncio accepto, per eundem pontem in castra sua reuersi sunt, eaque munierunt, ac diligenter custodierunt. Sed cùm Comes Serinensis, Auersbergius & Præfectus VVindischmarchiæ ad sua reuerterentur, vt limites suos defenderent, ne quid à repentino hostium aduentu detrimenti caperent, nihil præclari in hac obsidione actũ est, nisi quòd copiæ Baani cùm in triginta equites Turcicos incidissent, quosdam ex illis ceperunt, inter quos Aga quidam erat, Soluickon veniens, reliquos fugarunt, & septemdecim captiuos Christianos è manibus eorum liberarunt. Harustan Bega Petrinæ Præfectus hos equites exploratum emisisse dicitur; nunciorum enim & exploratorum summa

Anno 1593.

Petrina frustra obsidetur à Christianis.

ANNO 1593.

laborant inopia Turcæ, ita vt quid apud Christianos agatur, scire aut nunquam, aut rarò possint.

Dum hæc ad Petrinam fiunt, veredarius quidam Constantinopoli Budam venit, ibique cladē ante Sisseg acceptam nunciauit: nondum enim fama illius Budam erat allata. Bassa eiusdem loci nuncium ad se vocat, & de veritate diligēter percontatur. Cui nuncius; Nihil de ista clade Constantinopoli cognitum fuisse, cùm inde discederet, sed in itinere ex fugientibus, elapsisque equitibus resciuisse Bassam Bosniæ cæsum, & omnem eius penè exercitum deletum. Cui respondisset Budensis optimè cum illo actum, quòd perijsset: *multo enim laudabilius illi esse, quòd in prælio cecidisset, quàm quòd viuus elapsus esset execrandus iste Mamalucca: Decretā enim illi ab Imperatore Turcico turpissimam necem, si viuus ad aulā veniisset.*

Quid Cæsar egerit audita victoria.

Cumque prædictæ victoriæ nuncium Pragam ad Cæsarem esset perlatum, iussit cōfestim Cæsar publicas in templo fieri gratiarum actiones, Canticumq; Ambrosij & Augustini decantari. Archidux quoque Ernestus Cæsareæ Maiestatis exercitus per Vngariam & Croatiam Imperator *supremus*, mox relicta Vienna Græciam *profectus est.* Sed & Cæsar nuncium, litterasque *ad Amurathem* scripsit, quærens ab illo, *quomodo hanc* expeditionem interpretaretur: & an pacem, inducias ue, quæ hactenus inter se & ipsum seruatæ fuerant, deinceps quoque vellet continuare, an bello, armisque rem prosequi. Sed & Dominum Popelium Constantinopolim legauit, vt annuum honorarium, seu donatiuum Imperatori offerret; hoc addito mandato, Gommorram in finibus Vngaria

gariæ proficiſceretur, ibique ſe ad reditum nuncij prædicti contineret. Quod ſi ille referret, Amurathem pacem velle continuare, deinceps ad aulam Turcicam pergeret: ſi nollet, cum honorario ad Cæſarem rediret. Anno. 1593.

Circa eadem ferè tempora in caſtra Chriſtianorum nunciatum eſt, Sinan Baſſam cum exercitu quadraginta millium armatorum, inter quos erãt quindecim millia Ianitzerorum, Conſtantinopoli profectum, eumq; Imperatorem ipſum, omneſq; aulicos ad primum ab vrbe lapidem comitatum: præcepiſſe autem ei, vt magna celeritate Vngariã, Croatiamq; verſus exercitum duceret, clademq; nuper acceptam vlciſceretur: quod vt facilius poſſet, innumerabiles copias Baſſam in via adhuc inuenturum, quæ ſe illi coniungerent, pollicebatur. Hoc loco referunt nonnulli Imperatorem à Venetorũ Bailo, & Nauarrę Regis legato interpellatũ, rogatumq; eſſe, tã cruentũ bellũ à Chriſtianorũ ceruicibus auerteret; ſed nõ exauditos eſſet nullo enim modo Tyrannũ à ſuo propoſito poſſe reuocari, nec cũ Cæſare pacẽ colere velle. Imò Sinam Baſſæ præcepiſſe, licet Legatum Cæſareum cũ ſolito honorario obuium haberet, minime reuerteretur: ſed rapto honorario, & milites diſtributo, cæpto itinere pergeret, expeditionemq; maturaret. Hæc an vera ſint, iudicent alij.

Sinan Baſſa cum exercitu mittitur in Chriſtianos.

Sed nec, ſilentio prætereundum eſt, quòd per eoſdem ferè dies quinquaginta milites, ex limitaneis arcibus Vngariæ coeuntes, cum prædatum in Turcicas ditiones excurrerent, Danubiumq; traijcerent, in tria equitũ Turcicorũ milia inciderunt. Qui cum aut moriendum ſibi, aut ferro

Egregia fortitudo 50. Chriſtianorum.

Anno. 1593. ferro viam aperiendam viderent, arma expediunt & diu cum hostibus velitati sunt, donec decem ex Turcis caderent. Illi videntes horum magnanimitatem, suspicati sunt insidias sibi strui, pluresq; non procul istinc latere, à quibus possent circumueniri. Christianis itaque resistere diutius non ausi, pedem retraxerunt, & in tutum sese receperunt. Tandem aliquot naues appulsæ sunt, ex quarum rectoribus didicerũt, nullas esse insidias, nullas in istis locis hostiles copias tantùm à quinquaginta istis temerarijs hominibus ista geri omnia. Hoc accepto nuncio equos vertentes eos insecuti sunt. Qui sese potestati hostium dedere nolentes, tamdiu cum hostibus pugnarunt, donec puluis, plumbumque deficeret. Omnes itaque cæduntur, quatuor tantùm exceptis, qui Budam in vinculis abducti sunt. Trium ex illis manus pedesque amputati, deinde hastis confossi sunt. Quartus facibus ardentibus ambustus, per aliquot deinde dies diris tormentis alijs excruciatus, tandem nauiculæ impositus, iniectoque igne vnà cum nauicula exustus, & in cineres redactus.

Palatini nuptiæ. Fredericus Comes Palatinus Rheni, adolescẽs vinginti circiter annorum, hoc tempore *de matrimonio* cœpit cogitare. Commendata *est illi ab* Hollandis, Zelandisque, & Comite *Nassouio* Ioanne, Constantina, VVilhelmi Auraici Principis filia, quam ex Carola Mompenseria suscitauit: missaque illius imago, vt formam ex ea considera ret. Sed & ipsa sub finem Maij cum sex nauium classe ex Hollandia Stadam mittitur, atque inde ab Aldegundio, alijsq; Principibus viris, qui cum ipsa ex Hollandia venerant, Dillenburgum deducitur.

citur. Quò cùm veniſſet initio Iunij, Palatinus eodem celeribus equis profectus eſt, vt præſens præſentē videret. Placuit ei forma, placuère cum Religione mores, matrimoniumq; decimo quarto Iunij die concluſum eſt, & quæ ad nuptias (quæ tamen ſumptuoſæ ac magnificæ non erant) futura eſſent neceſſaria, ſumma cum celeritate præparata ſunt. Celebratæ ſunt autem nuptiæ octaua poſt ſponſalia die, quibus interfuêre Dux Ioan. Bipontinus, Comes à VVitgenſtein, magnus Aulæ Palatinæ Magiſter, Comes à VVinnenburg. Ioan. & Georgius, pater & filius Comites à Naſſau, Ioan. Ludouicus Comes à Naſſau, Dominus in Itzſtein, & VVeisbaden: Philippus Comes Naſſouius. Ludouicus Haſsiæ Lantgrauius ſæpè inuitatus, initio nec deſponſationi, nec nuptijs intereſſe voluit. Tandem Sponſus eum Marpurgi inuiſit, ſalutauitque, & ad nuptias inuitauit: at ille (neſcio qua cauſa) diu recuſauit petitioni annuere. Tandem certis conditionibus Palatino ſe venturum promiſit, & vigeſimo Iunij paucis comitatus Dillenburgum venit, & poſt biduum iterum diſceſſit. Peracta nuptiarum celebritate, abitum Palatinus maturauit, & triceſimo Iunij cum noua nympha Francofurtum venit, à cuius vrbis Magiſtratu honorificè exceptus, vino, auena, generoſoq; equo donatus eſt. Pro quibus cum ille Reipublic. gratias egiſſet, Magiſtratui Eccleſias & ſcholas Gallicas & Belgicas commendauit, petijtque ſuis eas moribus & diſciplinis viuere permitteret. Francfurto poſtridie diſceſſit, Darmſtadiumque primò, inde Benſhemium venit, vbi & perno ctauit. Secundo tandē die Iulij, circa veſperem Heidelbergam à ſubditis

Anno 1593.

20. Iunij.

Anno 1593.

ditis ſuis armatis, cũ magna põpa, quã tamẽ imbres & pluuiæ perturbarũt, introductus eſt. Sequentes aliquot dies haſtiludijs, ſpectaculiſq; diuerſis cõſumpti ſunt, donec omnes Proceres diſceſſiſſent.

Baptiſmꝰ filiæ Regis Poloniæ.

Paulò ante quàm hæc fierent, Regina Anna Auſtriaca, Caroli Stiriæ Ducis, Rudolphi Imperatoris patrui filia, Sigiſmundo tertio Polonorum & Sueciæ Regi, marito ſuo VVarſauiæ filiã peperit. Baptiſmo dictus eſt dies 20. Iunij; ſed quia varia inciderunt interea negotia & impedimenta, baptiſmus in 4. diem Iulij dilatus, & eo die poſt horas veſpertinas hoc ordine celebratus eſt. Præcedebãt omnia Palatina officia, omneſq; aulici & nobiles. Hos ſequebatur Rex ipſe, cuius dexterum latus Legatus Pontificius, ſiniſtrũ Cæſareus claudebat. Hunc Filia Sueciæ Regis Soror, qui infantem pretioſiſſimis faſcijs tectum, in vlnis geſtabat: à cuius dextera ibat Vicecancellarius, à ſiniſtris Vaiuoda Andemioſcius: hi, quia infans ob ornatũ oneroſa erat, & grauis, ſuo obſequio Sororem Regis portare iuuabãt. Poſt hos viſa eſt Reginę mater Archiducis Caroli Vidua: vtrinq; ſuos etiã habẽs ductores. Matrẽ ſequebatur filia Regina Anna, ſex iam hebdomadarũ puerperà, quã à dextris Cardinalis Ratziuilius, à ſiniſtris Dominus de Iutey, Regni Polonici Tribunꝰ ęrarius, comitabãt. Vltimo loco triũ Reginarũ Gynicæa ſubſequebãtur. Quia verò ſerenus erat hic dies, incundũ erat hoc ſpectaculũ Cũ hoc ordine ad tẽplũ vẽtũ eſſet, Cardinalis Ratziuilius infantẽ baptizauit, quæ Anna Maria appellata eſt. Suſceptores erãt Legatus Cęſareus, qui infanti donauit torquẽ ex margaritis & gẽmis cõfectũ. 14. dalerorũ millibus exiſtimatũ: Alter ſuſceptor

4. Iulij.

ptor erat legat⁹ Stiriæ, nomine matris Reginæ, qui similē catenā non minoris pretij contulit. Tertio loco senior Regina pretiosissimū sertū, & armillas duas aureas gēmis inter textas, valoris maximi reliquis munerib. addidit. Peractis baptismi ritibus, breuis habita est concio, post quā eodem quo prius, ordine in aulā oēs regressi sunt. Tandē Regium, sed breue, neq; præter modū sumptuosum, datū est epulū, quosiue omni petulātia, incōditisq; morib. finito, omnes domū abierunt. Laudata est ab omnibus huius celebritatis frugalitas & modestia, Catholico certè & pio Principe digna.

Anno 1592.

Stephani soror vidua.

Quia Romæ, alijsq; in locis magna erat adhuc, & quidē panis potissimū, caritas, iamq; panis vnciarū nouē, haiocca (monetæ species est) vēdi præciperetur, Pistores clausis suis tabernis panē vēdere detrectārūt, quo factum, vt 28. die Iunij panis nusquā inueniretur; ita vt eo die magna fuerit inter plebeios homines penuria. Coierūt circiter quingēti, ex his, qui sūis laboribus in diē viuere cōsueuerūt, & ante Palatium Pōtificis tumultuari cœperunt; pistorum inhumanam auaritiam incusantes. Quamobrē Pontifex confestim missis satellitibus pistores eos, qui huius tumultus authores erāt, in vincula conijci, examinari, & pro qualitate criminis aut chorda (vt vocāt) aut flagellis puniri iussit. Quo facto postridie vbiq; panis erat abūdantia. Quarto post die Pōtifex Legatū Cęsareum, præsentib. 25. Cardinalibus audiuit, qui in isto cōsessu fœlicē Christianorū ad Sisseg de Turcis victoriā cōmemorauit: quæ ingēti lætitia Romanam curiā impleuit, Pontificiq; occasionem dedit, cur postridie generalem supplicationem à Minerua ad Mariam de anima, Teuthonicorum colle-

Pistores Romæ puniti.

Anno 1593.

gium decreuerit; in qua gratias Deo pro tanta victoria cecinerunt.

Processio Romæ.

Regij in Belgio Creuecourium frustra obsident.

Montes S. Gertrudis à Nassouio & Hollandis receptos diximus antea. Mansfeltius itaque videns hanc vrbem sibi ereptam, & Buscoducensibus metuens, eò cum exercitu contendit. Est autem in ripa Deisæ fluminis propugnaculum ab Ordinibus hactenus defensum, nomine Creuecourium; hoc summa cum celeritate se expugnaturum sperabat multa enim ex eo damna Fuscoducenses accipiūt. At Nassouius huius rei certior factus, cùm iam montes Gertrudis restaurâsset, omnibus necessarijs prouidesset, fratrem suum iuniorem Vraniæ principem, eiusque matrem gubernatores eius vrbis constituisset, collecto exercitu hostem insecutus est, vt propugnaculum defenderet. Regij cum impressiones aliquas fecissent, ab Ordinibus reiecti sunt: quo in conflictu Comes Holachius in pede, & Comes Philippus Nassouius in brachio vulneratus esse dicitur. Tandem verò obstructo ab Ordinibus flumine, excrescentibusque aquis, Regij re infecta, & non absque suorum damno, quod quātum fuerit diuersimodè narratur, recesserunt; & in penitiorem Brabantiam redierunt.

6. Iulij.

Reifferscheitius Comes auget præsidium Bedburiense.

Nondum Ordines Belgici, petente id vidua Comitis Nevvenarij, desistebant Bedburij. in Diœcesi Colonienſi oppidi, restitutione à Capitulo armatis precibus, grauibusq; minis repetere. Capitulū & Elector ipse, iam aliquoties (vt antea meminimus) Comiti Vvernero Rifferscheitio institerat, vt oppido cederet. At ille ius suum allegans, imperata facere se posse negauit. Quia verò vi & armis se peti videbat, oppidumq; paulatim arctius

obsideri,

obsideri, iam antea Bruxellas profectus est, & auxilium à Comite Fuentio certis conditionibus petijt. Qui confestim misit cum illo Dominum Boetbergium, cum aliquot peditum, equitumque copijs. Cumque feliciter medio mense Iulij Beburium veniſſent, Boerbergius nouum hic militē colligere cœpit, & oppidum hoc cum territorio diribitorij locum, cum consensu Rifferscheitij designauit. Hoc modo Rifferscheitius, indignè id ſe rentibus Belgis, inuitoque Capitulo Colonienſi oppidū istud adhuc, & ſuis, & Regijs armis tenet, tueturque. Anno 1593. Iulij. 14.

De bello inter Cardinalem Lotharingum & Ioannem Georgium Brandenburgenſem, ob Epiſcopatum Argentinenſem gesto, deque conditionibus inducíarum iam antea sæpè dictum est. Durarent autem induciæ, donec Elector Moguntinus Ferdinandus Archidux Austriæ, Epiſcopus Herbipolenſis, Palatinus Rheni, Hassiæ Lantgrauius, & Dux Saxoniæ, quibus à Cæsare controuersia hæc erat commissa, conuenirent, & vtrinque auditis querelis certam, stabilemque pacem componerēt Aprili menſe prædicti Principes ſuos legatos Spiram miſerunt, vt huic negotio felix fauſtumque darent exordium. Qui cum partium querelas, Propositiones, & petitiones audiuiſſent, menſe & die quo iterum conuenirent conſtituto, domum redierunt, vt quæ acta erant ſuis Principibus referrent. Menſe itaque Iunij eorundem Principum legati plena tractandi proteſtate muniti, Spiram reuerſi ſunt. Cumque ſex continuis ſeptimanis acriter diſceptatum eſſet, emergentibus quotidie nouis difficultatibus cùm media, propoſitiones, *Continuatio tractationis de pace Argentinenſi.*

Anno 1593.

conditiones à Legatis propositæ neutri parti placerent, Legati tandem mense Iulio concluserunt; omnia quæ hactenus seu scriptis, seu verbis acta erant, ad Cæsarē transmittere, & ipsius hac in re cōsilium, authoritatemq; expectare. Nunc quidem conuentum soluendum, sed ad tractationis continuationem 15. Nouembris Francofurtum ad Mœnum redeundum esse. Interea conditiones induciarum inuiolatæ seruarētur, nihil in Ecclesiasticis, Politicisque rebus mutaretur, nihil nouum antiquis consuetudinibus contrarium introduceretur. Qui secus fecerit pœnam mandati, citationisque Cæsareæ, & suorum inter sese pactorum incurreret.

Nouesienses suũ expellunt præsidium.

Dum hæc apud Nemetes geruntur, incolæ ciuitatis Nouesiensis apud Vbios onerosо suo se liberant præsidio. Bello Truchsesico Neuvvenarius Comes hanc vrbem nocte quodam cum stratagemate occuperat; diuque magno cum vicinorum populorum detrimento defenderat: donec tandem Dux Parmensis ab Electore Colonienſi inuocatus, armata manu eam recuperauit, Regiumque in ea præsidium collocauit. Graue fuit incolis tātum præsidium tot annos sustinere, nec multo tolerabilius accolis, qui quotidianis præsidiariorum excursionibus miserè spoliabantur. Sæpe Elector Regi Hispaniarum supplicārat, præsidium hoc euocaret sibique ciuitatem liberam redderet: quod & à Rege quidem impetrārat, sed nescio quas ob causas eius mandati Regij executio dilata est. Bona restituta magna quoque de alijs oppidis spes erat; sed interueniente mox Parmensis obitu spes illa euanuit. Interim ciues omnem quærebant occasionem,

casionem, oportunitatemque seipsos liberandi, quæ tandem 19. Iulij hoc anno oblata est. Cùm enim hoc die potior præsidiariorum pars prædatum exierat, octo ex ciuibus inter se consilium ineunt, quo pacto possent se, suosque sumptuoso, petulantique præsidio exonerare: iam enim (si vnquam aliis) oblatam id efficiendi commoditatem, cùm pauciſſimi in vrbe milites, ijque ciuium viribus impares, remansissent. Conuenerunt inter se, negocium incipiendum esse. Nocte excubijs dispositis, fingunt sibi vrbem ambiendi, excubiasque lustrandi curam esse commissam. Ad primam stationem venientes, rogati à procubitore, quid vellent, aut qua causa illuc venirent, eundem statim sternunt, socioſque omnes somno sepultos, inermesque se dedere iusserunt. Qui inopinata hac re territi, imperata faciunt, captique subterraneo cuidam loco inclusi sunt. Idē fecerunt in secunda & tertia statione, donec omnes dearmati, captique essent, excepta vna decuria, cui portæ superioris erat commissa custodia. Cœpto ex voto succendente ad arma concurrunt reliqui ciues. Auditur tumultus, ciuium fremitus ad eos, qui in Porta erant Superiori peruenit. Hi confestim vnum è suis per murum demittunt, vt Domino Milendonckio, vrbis Gubernatori, quid ageretur significaret. Is enim eo tempore non in vrbe, sed in castro suo Milendonckio agebat. Hic periculo cognito, statim ad milites palantes, qui prædatum exierant, mittit, eosque conuocat, & summo mane ante vrbem Nouesiensem, spe re-

Anno. 1593. 19. Iulij.

Anno. 1593.

spe recuperandæ vrbis ductus, venit. Sed oppidani omnes armati mœnia defendebant, nec externo sese egere præsidio respondebant: ita vt Milendonckius se nihil effecturum facile videret. Quod cum animaduerterent, qui prædictam portam hactenus defenderant, animum desponderunt. Sed & ciues ingentem fumi cumulum ex opposito portæ excitarunt, nec commeatum alicunde habere potuerunt. His necessitatibus circumuenti, sese quoque vltro dediderunt.

Cùm iam præsidiarij omnes in potestate ciuiũ essent, decretum est illis in suis custodijs ientaculum: quo sumpto vrbe dimissi sunt. Deinde per Præcones mandatum, vxores, lixæ caloneſque qui in vrbe erant, ante occasum Solis sua conuasaret, vrbeque discederent. Similiter & ciuibus imperatum, quod si haberẽt armorum, vestium, aliarumque rerum, quod ad milites pertineret, statim ijs remitteret: si quis non obediret, capite plecteretur. Panem præterea, cereuisiam, aliamque annonam ex vrbe illis miserunt, ac postea dimiserunt. Milites inde discedentes, in pago Kerſenduncklo vno ab vrbe milliari sese munierunt, nocturnisq; excursionibus, si quid in agro Nouesiano esset, diripuerunt, dissiparunt, ac perdiderunt. His incommodis moti Nouesiani & ipsi militem conscripserunt; qui frequentibus eruptionibus hostium petulantiam ac vim nonnihil compescuerunt, ac tandem agnatum Domini Milendunckij in vrbem captiuum abduxerunt.

Ioannes Dux Saxoniæ feuda petit à Cæsare, nomine pupillorum Saxoniæ.

Paulò ante, hoc est initio Iulij Ioannes Dux Saxoniæ VVeimarienſis ad aulam Cæsaris venit, a fratre suo Duce Frederico VVilhelmi, Ordinibusque

busque Saxoniæ missus, vt feuda, quæ Saxonum Electores habẽt in Boëmia, nomine filiorũ Christiani Electoris vltimi, adhuc pupillorum à Cæsare, tanquam Boëmiæ Rege, acceptaret: quod & cũ magna Cæsaris erga Saxones beneuolentiæ significatione impetrauit. Interea non quiescebant in Saxonia inter Lutheranos & Caluinianos odia & contentiones. Nuper Ioannes Maior cum vxore & omni supellectili, relicta Misnia, domicilium mutare decreuerat; & iam itineri se commiserat, Cùm autem fama ad aulam esset perlata, Præfecto arcis Torgauiensis mandatum est, vt Maiorem ex itinere retraheret, captiuumq; detineret quod & factum est. Vxor dimissa, iter cœptũ versus Zerbs perficit, Maior primò in Grossenhain, inde in Hogenstein captiuus mittebatur. Eodem penè tempore (vt Franco refert) Caluiniani Lipsiæ incẽdium quibusdam in locis excitare decreuerant. Cuius quædam indicia in nonnullis ædibus sunt reperta. Quare Magistratus præcepit ciuibus, vt aquarum copiam, ad restinguendum (si opus esset) incendium, ante ædes exponerent. Excubias quoque ad prohibẽdum omnem tumultum in platearum capitibus auxit. Hæc mense Iunio acta sunt: Iulio mense ante portam D. Petri Rotenij ædificium occulto igne arsit. Neque enim sciri potuit, vnde incendium illud exortum est. Quare communis fuit opinio, ignem hunc à quibusdam Caluinianis in ædificium illud iniectum. Augebat hanc opinionem, quod dissidij hoc tẽpore multæ hic illic repertæ dicũtur literæ, quibus Caluiniani ignem & incendium suis aduersarijs minabantur. Hæc, similiaq; auxerunt fortassis conceptum semel in Caluini-

Anno 1593.

Odia inter Lutheranos & Caluinianos in Saxonia.

Incendia Caluinistica.

Anno 1593.

Caluinianos odium, adeò vt 12. Iulij, quidam Lutherani libellum famosum quem Pasquillum vocant, Portæ D. Petri clam affixerint, in quo Fredericum Vvilhelmum Saxoniæ Administratorem monebant, omnes Caluinianos pelleret: Deinde Senatum grauiter perstringebant, tanquam fautorem cuiusdam ciuis, qui reliquis incolis planè erat exosus. Tertiò ministros Ecclesiæ perfidiæ, læuitatisque accusabant, vt qui nunc aliter, quàm ante mensem solent. concionarentur, & docarét; Missus est hic libellus ad Administratorem; qui cum legisset, nõ leuiter indignatus, iussit cũ omni diligentia in auctorem inquiri; sed hactenus inueniri non potuit. Querelis de Ecclesiasticis causam dederant Georgius Mullerus, & Martinus Mirus; qui aliunde in vrbẽ erant vocati, & nonnulli alij, qui ab Administratore admoniti, iam non ita (vt solent) in suis concionibus Caluinianos conuitiabantur; sed modestius paulo cum illis agebant. Quæ res illos in suscepti Caluinismi suspicionem apud populum adduxit. Alij alijs in locis Concionatores partim videntes se populo gratificari, partim odio Caluiniani dogmatis incitati, non destiterunt omnibus in concionibus, non tantùm in doctrinam inuehi, & debacchari, sed & sectatores illius damnare, detestari, diris deuouere. Quare Administrator coactus est omnes Superintendentes ex tribus Saxoniæ Consistorijs, Lipsiensi, VVittenbergensi & Misnensi euocare, eisque per suos Consiliarios significare: Esse quosdam in suis Superintendentijs Concionatores, quibus non satis est doctrinam Caluí-

Pasquillus Lipsiæ inuentus:

Administrator Saxoniæ Superintendentes congregat Dresdæ & cur.

Caluinianam impugnare, sed & personas ipsas variis conuitiis proscindere; iniquis, inconsideratisque verbis in suis concionibus nimis proteruè tractare. Huiusmodi conciones non solum odium apud Caluinianos, inuidiamque apud auditores conciliare, sed & publici tumultus atque seditionis occasionem dare posse. Suam Celsitudinem ne in minimo Caluinismo fouere nec tempore suæ administrationis eam Religionem permittere decreuisse: tamen seriò mandare omnibus Ecclesiastis, vt deinceps in pulpito sic sermones suos instituant, vt error refutetur & damnetur; ipsis autem personis, quæ adhuc conuerti possunt, parcatur: ignorantes doceantur, seducti in rectam viam reducantur, & nemini occasio maioris simultatis, inuidiæ, inimicitiæ, seditionisque præbeatur. Quare super intendentibus imperatum est, vt Pastores & Concionatores sibi subditos conuocent, eis mandatum Administratoris exponant, eique sub pœna ab officio suo destitutionis parere iubeant. Anno 1593.

Audito Administratoris mandato, Superintendentes conuentu facto, inter se deliberarunt, & tandem Consiliarijs scripto responderunt, cuius hæc est summa. Se debita cum reuerentia Administratoris voluntatem intellexisse, eamque inter se maturo consilio ponderasse. Initio se vehementer gauisos, quod intelligerent Suam Celsitudinem à Caluinismo prorsus abhorrere: nihilque hoc suo mandato aliud agere velle, quàm vt Confessio Augustana rectè doceatur & conseruetur. Ob hoc se Deo gratias agere.

Responsum Superintendentium ad mandatum Administratoris.

Anno 1593.

agere, quod verbo suo tam potentem & Christianum patronum excitasset, eiq́ue supplicare, vt per Spiritum suum sanctum Principem hunc regat, eumq́; & totam domum Saxonicam ab omnibus machinationibus, insidijs & dolis publicorum, occultorumq́ue Caluinistarum defendat: Lutheranamq́ue doctrinam tueatur. Quod in quibusdam locis tumultus, turbæq́ue propter Caluinianos motę essent, suosq́ue Pastores harum auctores fuisse, sibi esse incognitum, inauditumq́ue: nec in inspectionibus suis de vllo tumultu, excepto illo Lipsiensi (cui initium dedit sanguinarius, seditiosusq́; Zuinglianorum spiritus) quicquam intellexisse. Quod verò eam ob causam Pastores suos conuocarent, eisq́ue leges in concionibus aduersus Caluinianos præscriberent, id ipsis minimè consultum videri: per eiusmodi enim Synodos se non tantùm Caluinianorum animos denuó erecturos, & in errore cõfirmaturos esse, sed & Auditores ad maius odium, maioremq́; inimicitiam, non tantùm aduersus Caluinianos, sed & propriosPastores, quos eiusdem erroris suspectos arbitrabuntur, concitaturos esse. Promittere nihilominus se se, quòd suos Pastores priuatim officij & ministerij admonerent, vt pax & tranquillitas conseruetur, nulla seditionis causa detur, & tamẽ Caluinismo ne in minimo quicquã indulgeatur. Repetunt deinde breuiter promissionem Administratoris, qua se ministerio nihil præscripturum pollicetur. Cùm autem pernicioſus, execrandus, & damnatus Caluinismus per viscera Saxoniæ vt cancer serpat, & propagetur. Administratorem monent, in hoc pro viribus incũbat; vt Caluinisticum

Anno. 1593.

sticum hoc animarum venenum tollatur. Se quidem hac in re S.C. regulam præscribere nolle sed orare, vt iuxta libellos Heshusij & Vigandi, *de causis, cur Princeps Sacramentariorum doctrinam, aut professores in sua ditione ferre non debeat.* scriptos, diligentem Sacramẽtariorum curam habeat. Tandem protestantur hunc suum conuentum in præiudicium Visitatorum, Consistorij VVittenbergensis, Nobilitatis, Vrbium & collatorum factum non esse: orantq;, vt Consiliarij suam intentionẽ Administratori fideliter referant.

Cometa apparuit.

Dum hæc Dresdæ aguntur, Lipsiæ, Neoburgi, diuersisque Turingiæ, Misniæ, Saxoniæq; locis Francofurti quoque ad Mœnum, Romæ, & passim per Italiam *in oriente Cometa, cuius cauda longa, sed tenuis in meridiem extendebatur*, apparuit. De huius Cometæ constitutione, ortu, occasu, natura & operationibus (qui plura scire desiderat) D. Bartholomæi Huberti, medici Erphordiensis, aliorumq; Astronomorum legat prognostica. Eodem hoc tempore Iudenburgi in Stiria, in Sole nigra stella apparuit: ex opposito verò aliquot machinæ bellicę, è quibus magnæ quantitatis pilæ in solem iacebantur; quæ vmbras in terris dedere colore similes iridi. Circum Solem visa quoq; sunt multa Turcarum capita, pileis Turcicis & fascijs inde dependentibus tecta, collis autem oblongis. Ingens quoque ciconia, cuius pedes ferrea catena stringebantur.

Prodigium.

Nauarræus ad fidem & ecclesiam Catholicam reuertitur.

Accidit hoc mense Iulio, res non tantùm omni æuo memorabilis, sed & mirabilis, quæ omnium subsequentiũ ætatum fidem fortè superabit. Quis enim nostrum crederet, nisi actio esset publica, &

Anno. 1593. præsentibus tot hominum myriadibus gesta esset. Henricum Borbonium, Regẽ Nauarræ, & Biarniæ Principem, infensissimũ tot annis Catholicorum persecutorem, tot bellorum aduersus Ecclesiã gestorum imperatorem, propter quem tot Catholici sanguinis per Galliam decurrerunt riuuli, ipsum Catholicum factum, Ecclesię Romanæ reconciliari voluisse, omniaq; feciſſe, quæ veri pœnitentis significationẽ pollicebantur. Quid eius Maiestatẽ ad hoc mouerit, an Spiritus Sancti instinctio, an amicorũ persuasio, an verò Regni consequendi, & cum tranquillitate possidendi spes, ipse nouit qui corda omniũ inspicit atq; scrutatur, neq; in re tanti momenti temerè quid est definiendũ: præsertim cùm cor Regis in manu Dei sit. Similiter quomodo conuersus sit, quid in ipsa conuersione actum, quid post secutũ, horum planiorẽ quàm hactenus vidi narrationẽ expectare malo, quã hic ea quę vera nõ sunt, aut quæ pro rei Maiestate minora sunt, commemorare. Quòd si enim pergat, vt incepit hic Rex exẽplo erit omnibus omnium seculorum Principibus: nec eius pœnitentia minus celebris erit in Ecclesia, quàm Philippi, Theodosij, & aliorum Imperatorum & Regũ: non illi ignominiæ, vt interpretantur hæretici, sed saluti & gloriæ, ceteris autem hominibus exẽplo & speculo. Nemo igitur hîc à me perfectam huius Principis conuersionis & pœnitentiæ expectet narrationem. Vidi litteras Parisijs missas, non à viro Catholico, qui hoc factum laudabat, sed ab alio, qui maximè improbabat. Is refert, Nauarræum pœnitentis instar solo vestitum linteo, aperto capite, nudis pedibus, ardentem ceream manibus præferentem, è

25. Iulij. Vestigium pœnitentiæ sub' [illegible]

Palatio

Palatio Sandionysiano ad primarium vrbis templum processisse; cuius valuas cùm clausas reperisset, pulsasse. Interrogatum ab Antistitibus, qui templum occupabant: Quis esset? respondisse, Se Regem esse Nauarræum, Coronæ Gallicæ verum hæredem. Antistites iterum; Quid hosti Ecclesiæ quid lupo cum Pastoribus? His Regem dixisse; Se simulata apostasia grauiter quidem in Deũ & Ecclesiam peccasse. Verùm contristari propterea se ex animo, vereq; se pœnitere, & ad Ecclesiæ gremium reuerti, petereq; vt à matre Ecclesia, non secus quàm à patre filius perditus recipiatur. Tunc valuis apertis Rhemensem Archiepiscopum dixisse; Si tua hæc contristatio vera est, si omnibus fœderibus, omniq; amicitiæ, quã cũ hæreticis Regibus, Principibus & populis contraxisti, renunciaueris, & promiseris te posthac in obedientia Romanæ Ecclesiæ, eiusque summi Præsulis, Christi in terris Vicarij permansurum, & cum eo communes hostes & amicos habiturum, & te ex omnibus Galliæ locis hæreticos, quantum summo conatu potueris, exterminaturum; tum te, salua summi Pontificis censura, à crimine apostasiæ absoluo, Ecclesiæ restituto, & ad Sacramenta auricularis Confessionis & Sacrę Communionis admitto. Hæc quia à nullis, quos ego legi, Scriptoribus tam exactè narrari videã, ipsaq; narratio verisimilis videatur, cũ antiquæ Ecclesiæ referat disciplinã, hoc loco ex istis litteris attexere volui. Reliqua, cùm apud alios inueniãtur similia, ex illis referã. Omnia, quæ Archiepiscopus proposuerat, promittẽte Rege, ipse admissus, & in templũ ingressus est. Erãt in tẽplo qui Regem excipiebant, Archiepisco-

Anno 1593.

Hæc suspecta hanc reddere possent narrationem.

ANNO 1593.

pus Bituricenſis, Cardinalis Vendomius, alijque 17. Epiſcopi & Prælati. Hi Regem vſque ad chorũ deducunt: quibus recedentibus, Archiepiſcopo Burdegalenſi (fortè Bituricenſi) pro more diu multumq; Rex confeſſus, & ab eo abſolutus eſt. Sacro deinde pompoſo incepto, Rex in ſede magnificentiſſima ante ſummum altare ſedit, totumque officium duinũ, præſentibus omnibus Prælatis, Officijs Palatinis, & Nobilibus, magna cum deuotione audijt. Peractis omnibus Regem honorificentiſſimo comitatu in Palatium reduxerunt. Nã quæ poſt Sacrum de inunctione quidam ſcribunt, ab alijs reijciuntur. In itinere multa miſſilia in vulgus proiecta referunt. Sumpto Regali prãdio, Rex ſponte ſurrexit, & ad Eccleſiam cum Eccleſiaſticis, totaq; aula reuerſus, Catholicam concionem audiuit. Ad cuius finem veſpertinæ preces decantatæ ſunt: totaque dies cum incredili pietate conſumpta eſt. Poſt Solis occaſum, omnia tormenta exonerantur, magnæ lignorum ſtrues incenduntur, pyriboli paſsim iaciuntur, multaque lætitiæ ſigna per vrbem, locaq; vicina eduntur. Acta ſunt

25. Iulij.

hæc apud Fanum S. Diony ſij 25. Iulij: nam quòd alij ſcribunt 15. Auguſti hæc accidiſſe, erroneum eſſe arbitror, vel ex eo, quòd omnes ante pactas inducias facta eſſe aſſerũt. Error ex eo fortè natus ſubrepſit, quòd Sacrum Miſſæ officium nõ ſemel, ſed quotidie eadem cũ deuotione audiuit. Tertio enim Cal. Aug. cùm Rex magna cum ſolemnitate Sacro Miſſæ denuò interfuiſſet, in foro Sandionyſiano fidelitatis iuramentum illi præſtitum eſſe, eumq; viciſſim obſeruationem Concilij Tridentini iuraſſe, quidam ſcribũt. Horum omnium ſpectatores

ctatores erant quidem Parisienses, qui quotidie Parisijs illuc confluebant, & quibus Rex se sæpe in habitu pœnitentiali conspiciendum exhibebat: sed Regis conuersioni non fidebãt, quare publicè & priuatim, in choro & in foro simulatam esse asserebant, relapso credendum non esse, hanc ad Ecclesiam conuersionem, quamuis ex animo fuerit instituta, corporalem tamen pœnam non auertere, & similia passim audiebantur. Rex nihilominus in proposito perseuerabat. Dux Niuernensis confestim Romam cum Regis confessione ad Põtificem mittitur. Sed & eodem die 25. Iulij scriptæ sunt de Regis conuersione Regis etiam nomine litteræ, & ad Parlamentum Catalaun, iense primò; deinde ad alias vrbes & prouinciasearumq; præfectos missæ sunt, quarum hæc est summa: Se iuxta fidem initio, cum post obitum Henrici Valesij fratris ad Regnum assumeretur, datam sæpius conuocationem Prælatorum & Doctorum Regni ad sui instructionem desiderasse: at machinationibus hostium semper impeditam fuisse. Nunc autem se cum Prælatis & Doctoribus in vrbe Sandionysiana sermonem de rebus fidei, in quibus sibi satis fieri, quasque sibi explicari cupiebat, contulisse: & secundùm gratiam, quam Deus sibi per Spiritus Sancti inspirationem (quem omnibus votis, & ex toto corde ad suam salutem & satisfactionem hactenus optauit) dare placuit, se iam ex probationibus Doctorum & Prælatorum, ex scriptis Apostolicis, & Sanctis Patribus à Sancta Ecclesia receptis abundè satis cognouisse, Ecclesiam Catholicam, Apostolicam, Romanã veram esse Ecclesiam Dei; plenam veritate, quæ errare non potest. In ea Ecclesia

Anno 1593.

Regis Nauarræi litteræ.

ANNO 1593.

clesia se deinceps viuere & mori decreuisse. Vt autem initium daret huic operi, & ostenderet intentionem suam nunquã fuisse aliam, quàm velle instrui, & bonã instructionẽ, deposita omni pertinaci opinione, admittere, tantùm vt veritas, ipsa que sana religio sibi innotesceret, ait, se hodie Sacrificium Missæ audiuisse, & cogitationes suas omnes cum eadem Ecclesia coniunxisse, iuxta ceremonias necessarias, & ad hæc vsurpari consuetas, statutumque sibi esse in hac religione residuum vitæ, quod Deo sibi concedere in hoc mundo placebit, continuare. Ait porrò, se hæc Senatui significare voluisse, tum vt sibi gratuletur & gaudeat ob iucundum hoc nuncium, tum etiam vt calumniæ redarguantur hostium, qui in hunc vsq; diem populo persuadent, promissiones à Rege factas non aliò tẽdere, quàm vt bonis subditis abutatur, eosque vana spe lactet, absque vlla voluntate ijs satisfaciendi. Tandem iubet Deo gratias agi, publicas processiones & preces institui, vt diuina bonitas se cõfirmet, toto q; vitæ tẽpore conseruet in tam bona & sancta Religione. Subsignatæ erãt hæ litteræ nomine Regis, & Potierij, qui illi est à secretis. His addebantur aliæ litteræ eiusdem Regis, eiusdem q; argumẽti ad Chemassinum Gubernatorem Cathalaunensem, quibus in fine tantùm adijcitur; Se (Regẽ scilicet) sperare, quod infra sex septimanas inungetur & consecrabitur. Proinde omnia faceret Gubernator, quæ ad obsequium Regis pertinere viderentur.

Hæc de conuersione Regis Nauarræi hoc tẽpore dicta sufficiant. Spero alios fore, qui & certiora & exactiora breui nobis dabũt. Initio res à nullo credi po-

di potuit : Caluiniani enim de Nauarræi in fide sua constantia melius sperabãt. Catholici hypocrisin merã esse suspicabantur. Pleriq; scire se aiebant, quod sacramenti & obligationibus Reginæ Angliæ, Ordinibusque Belgicis erat deuinctus, vt etiã si vellet, tã facilè ab ista Religione resilire nõ posset. Fictáne verò, & simulata, an sincera & vera sit conuersio, nisi ex actis ipsius Regis externis, ab homine, qui interiora non videt, potest iudicari : quæ acta cùm hactenus alia nõ fuerint, quàm Catholica, ipsum quoq; Catholicũ credere quid vetat? Sed quia in hanc materiã incidimus, viri cuiusdam omnium calculo doctissimi, acutissimiq; iudicij hac de recẽsurã, nuper nobis ab amico per litteras communicatam, si prædictis subiecero, operæ pretium me facturum existimo. Eius inter alia hæc verba sunt. Anno 1593.

Iudicium viri cuiusdam sapientissimi de conuersione Nauarræi.

De Rege Nauarræo & hoc mirabili eius facto quid sentiã, quæris? Mihi verò mirabile est, atq; etiã laudabile, si recta mente, consilioq; susceptũ. Cur id nõ credã? Multa sunt quæ me inducunt : quòd tã exoleuit Religionis illius nouitas, in qua vix aliud est quod placet. Quod diu versatus inter Principes Catholicos, qui gutas in animũ instillarunt salubrium monitorum. Quod deniq; Pater ab hac nouitia defecit, ac constanter transijt, atq; manst in nostra prisca. Et tamen facẽ simulare & tegere : non potest fallere. Tot Catholici nõ acta eius obseruabũt, dicta, cõsilia? Quis honos ei reliquus apud præsentes, apud exteros, si interim mutet? Imo quis locus ei in Regno si mutet? Nã Principes agnati & sanguinis (vt vocãt) Catholici sunt & auctores ei cõuersionis : ijdẽ auxiliares et fulcra huius belli. Si ergo fallat, quẽ nisi seipsum? At q; etiã si quid ego in

Anno. 1593.

telligo, hæc ipſa ſimulata mutatio, ſi talis, bono eſſe debeat noſtræ Religioni. Cuiuſmodi enim illa in qua ſic luditur? Hæc ille. Sed ad cætera pergamus.

Indutiæ in Gallia.

Hanc Regis conuerſionem ſecutæ ſunt induciæ per totam Galliam. Cùm enim diu inter vtramq; partem de certa & ſtabili pace componenda, in loco quodam, inter Pariſios & Fanum S. Dionyſij, Villette dicto, diſceptatum eſſet, Rege in Catholicam Religionem inclinante, tandem in trium menſium inducijs conſenſêre: quarũ conditiones vltimo Iulij, tam à Rege quàm à Mœnio ſubſcriptæ, & poſtridie Lutetiæ & Sãdionyſij per tubicines proclamatæ ſunt. Poſtea quoq; in Gallia Narbonenſi, apud Viuarienſes, alijſq; in locis promulgatæ, & ab omnibus qui belli, armorumque pertæſi erant, cum ſummo gaudio exceptæ. Tempus autem induciarum fuit à Calen. Aug. ad Calendas Nouembris. Quod tempus, cùm poſtea nimis breue videretur, alij tres menſes ſuperioribus adiecti, & ipſæ induciæ ad Calen. Februarij anni ſequentis prorogatæ ſunt. Induciarum capita ſunt viginti duo, quorum hæc ferè ſumma eſt. Primò ceſſarẽt arma eſſentque induciæ per totum Regnum Gallicum: quarum initium ſumeretur â die promulgationis, idque in Champania, Picardia, Normannia, apud Carnutos, & Aurelianos, in Berry, Toureinia, pro uincia Andegauenſi, &c. In alijs verò prouincijs Britanniæ, Pictauienſi, Limoſinenſi; apud Borbonios, Auarnos; item in Gallia Narbonenſi, Delphinatu & Prouincia die poſt promulgationem octauo. 2. Omnes cuiuſcunque ordinis, conditionis, ſtatus, tam Eccleſiaſtici quàm ſeculares, tempore

Articuli Induciarum Gallicarum.

pore inducíarum fructus ſuos prouẽtuſq; annuos colligent, vbicunque locorum eos inuenerint; habitacula etiam, domoſq; ſuas in vrbibus, pagis, & arcibus repetent: qui eas habitant emigrabunt. hac conditione, vt qui ad arces ſuas redierint, tempore inducíarum nullas munitiones extruãt. Arces quoq; & munitiones, in quibus præſidia ſunt, nulli reſtituentur: fructus nihilominus & prouentus Dominus illarum durãtibus inducijs percipiet. 3. Omnibus qui cauſa huius belli habitationes ſuas deſeruerunt, licebit cum omni ſua familia ad eas redire. Si tamen locus ſit, qui præſidium habet, non licebit redire, niſi id prius ſciente & conſentiente loci præfecto, ſeu magiſtratu. 4. Coloni & agricolæ in ædes ac prædia ſua abſque vllo metu redibunt, agroſque colent. Si quis illis moleſtus ſit, capite plectetur. 5. Omnes merces, armis & apparatu bellico exceptis, terra mariq́ue importare & exportare licebit: ſaluis tamen vectigalibus & impoſitionibus (vt vocant) vtrinque decretis, ſi quis ea non ſoluerit, iacturam omnium mercium faciet, vel cauſam coram iudice dicet. 6. Contributiones ſeu impoſitiones à neutra parte augebuntur: neque tempore inducíarum nouæ indicentur. 7. Vnicuiq; liberum erit proficiſci quò velit, per totum Regnum, abſque vllo metu: neque erit neceſſum publicam fidem ab vno loco ad alio poſtulare. Nemo autem ad loca veniet, vbi cõtraria pars ſua habet præſidia, niſi prius nomẽ ſuum propriũ indicauerit, ne quæ oriatur ſuſpitio. Qui pedes eſt, ingredietur accinctus gladio, qui eques gladio armatus & ſclopo. Octauus, nonus & decimus articulus agunt de vectigalium impoſiti-

Anno 1593.

Anno. 1593.

onum receptione, de alijs prouentibus, solutione, modoque conseruandi pecunias. 11. Captiui ratione belli, de quorum lytro nihil adhuc actum est, infra. 15. dies post inducias proclamationem liberabuntur, gregarius miles nihil dabit: alij qui pedibus merent quartam stipendij partem soluent; exceptis præfectis & equitibus, alijsque Nobilibus & Dominis nullum imperium habentibus, qui dimittentur postquam dimidium annui sui prouentûs soluerint. Cum ceteris plebeijs hominibus agetur quàm fieri potest humanissimè & æquissimè, secundùm cuiusque qualitatem. Mulieres & Virgines absque lytro dimittentur. Similiter pueri & adolescentes, infra 16. annos. 12. Nullæ insidiæ ab vna vel altera parte struentur, ad intercipiendam aliquam munitionem. Quòd si quis id tentare ausus fuerit, vt fœdifragus punietur. 13. Quod si quis has inducias conditiones obseruare noluerit, Præfectus, sub cuius imperio est, omni diligentia procurabit, vt infra dies quindecim compareat, suæ inobedientiæ causam dicat. Quòd si infra dictum terminum executio non fiat, licebit Magistratui aut Gubernatori eum bello ad parendum mandato cogere, neque fas erit cuiquam suæ factionis illi opem ferre 14. Nulli quoque licebit inducíarum tempore arcem aut locum aliquem munire, etiamsi à neutra prius parte antea occupatus fuerit. 15. Omnes milites in hyberna per pagos, villas & agros distribuentur, absque agricolarum detrimento. 16. Quibus viarum cura, vt à prædonibus liberæ sint, est demandata, diligenter

diligenter officium facient: & si quos deprehenderint, ad proximum iudicem captiuos ducent: qui cognita causa mulctam iniunget, aut de ijs supplicium sumet. 17. Nemo alteri molestus erit in rebus, quæ tempore tumultus acciderunt, siue causa captiuitatis, incendij, depopulationis. 18. Omnes Gubernatores & Vicarij generales, cuiuscunque Prouinciæ, vtriusque partis, statim post publicationem induciarum Commissarios, & Legatos constituent, quos in rebus necessarijs consulent ad salutem eorum, qui sub illorum sunt imperio: quarum ijdem legati erunt iudices, quid in rebus faciendum est, quid expediat ad salutem Reip. ijdemq; Legati in causis grauioribus suos Superiores inuocabũt, qui (si necesse sit) ijs opem & auxilium ferent. 19. In his cõditionibus conuenerunt Gubernatores & generales Vicarij Prouinciarũ, cõfirmatæ autẽ sunt à primis vtriusq; partis Principibus. 20. Nulla vis aut hostilitas intentabitur ab vna aut altera parte dominijs, aut subditis Principum, qui eorum partes seculi sunt. Similiter nec Principes aliquid machinabuntur in detrimentum Regni aut Prouinciarũ quæ sub protectione Coronæ sunt. Sed Principes & Domini quicunque, statim post promulgationem induciarum suos milites ex agris euocabũt, neque iterum in campos immittent, quàm diu induciæ durauerint. Qui in Britannia sunt ablegabuntur, & in varia loca præsidiaque distribuentur. ijs præsertim locis, de quibus nulla est suspicio. Quantum ad alias Prouincias & loca, in quibus externa sunt præsidia, eorum militum, qui Principibus merent, numerus tempore indu-

Anno 1593.

Anno 1593.

inducíarum non alterabitur. Hoc articulo non continebitur Dux Sabaudiæ. Quòd ſi autem comprehendi velit, ſpatio vnius menſis mentō declarabit, deq; communi conſilio ſtatuetur, quod expedire videbitur. 21. Omnes Legati externorum Principū, qui ad hanc vel illam partem miſſi fuerunt, fidem publicam à ſuis, quibus cum hactenus commorati ſunt, Principibus habentes, abſq; vllo periculo diſcedere poterunt. Nec erit neceſſe à parte aduerſa alias litteras publicæ fidei poſtulare. Non tamen licebit illis ad aliquas munitiones diuerti, niſi cum conſenſu præfecti aut Gubernatoris. 22. Publicę fidei litteræ concedétur ab vtraq; parte, à qua Legati mittentur ratione harū inducíarum in ſingulas prouincias & vrbes, in quas eos mittere neceſſum erit. Atq; hic rerum Gallicarum menſiſque Iunij finem facio, ad alia properans.

18. Auguſti Dux VVirtenbergenſis moritur.

18. Auguſti, Ludouicus Dux VVirtenbergenſis Stutgardiæ, in aula ſua iam ſenex obijt. Hic dū vixit, duas habuit vxores, 1. Dorotheam Vrſulā, Caroli Marchionis Badēſis filiā, quæ anno 1583. obijt: alteram Vrſulam Georgij Ioan. Palatini in Ligelſtein filiam, quam biennio poſt 11. Maij duxit. Sed cùm ex neutra prolem ſuſcitauerit, & abſq; liberis diſceſſerit, Fredericus Comes VVirtenbergenſis, vt proximus conſanguineus, hæres in Ducatu ſucceſſit, & à ſubditis inauguratus eſt.

Aquiſgranenſium diſſidium.

Aquiſgranenſes adhuc inter ſeſe cauſa Religionis tumultuabātur. Quare Cæſarea Maieſtas anno præcedenti Legatos ſuos Aquiſgranū miſerat, qui vtramq; partem audirent, cauſam cognoſcerent, & (ſi fieri poſſet) pacē ciuitati redderēt. Ceterùm cùm rem planè perturbatam inuenirent, nec

ſeſe

seſe quid vtile ſtatuere poſſe cernerent, ad Suam Maieſtatem re infecta reuerſi ſunt. Paulò poſt Aquiſgranenſes ipſi, tam Catholici, quàm Proteſtãtes ſuos Legatos Pragam ad Cæſarem miſerunt. Sed cùm in aula Cæſaris grauiora negotia de ſalute totius Chriſtianiſmi tractarentur, eorum cauſa neglecta, & in menſem vndecimũ dilata eſt. Circa hoc autem tempus reſponſum Legatis eſt, eos quatuordecim dierum ſpatio cauſæ deciſionem accepturos. Quæ qualis futura eſt, tempus docebit. Anno 1593.

Mortuo Ioanne III. Sueciæ Rege (vt ſub anni præcedentis finem à nobis dictum eſt) vnicus eius filius & hæres Sigiſmundus, Polonorum Rex, iam ad poſſeſſionem Regni paterni anhelabat. Propoſuit igitur cum vxore poſt puerperium in Sueciã proficiſci. Ceterum quia non ignorabat hoc iter ſine Polonorum conſenſu difficulter ſe poſſe ſuſcipere, ante Regni Polonici Ordines conuocauit, in quorum conuentu mortem Patris expoſuit, addens quantum ſua intererat iter in Sueciam maturare, Parenti iuſta facere, Regnum paternum ſuſcipere, vnà cum vxore coronari, & quæ ad Regni conſeruationem pertinerent conſtituere. Cũ autẽ hæc omnia paucis ſeptimanis fieri non poſſent petere ſe proficiſcendi licẽtiam, & promittere rebus ibi conſtitutis, pace & tranquillitate patriæ reddita, ſe fidelẽ aliquem Gubernatorẽ, ſeu Vicegerem Suecis daturum, ad Polonos reuerſurum, & cum illis permanſurum. Quam regis petitionem cùm Ordines audiuiſſent, & æquiſſimam eſſe iudicaſſent, eius Maieſtati licentiam proficiſcendi hac lege dederunt, vt vltra annum & ſex ſeptimanas ſe non abfuturum polliceretur. Sub finẽ itaq; Auguſt. *Sigiſmundi in Sueciæ iter.*

Anno 1593.

Augusti. Cracouia decessit Marieburgum primò, vt illic Borussorum quasdam difficultates cõponeret: deinde Gdanum profectus est. Ex itinere autem quosdam è suo comitatu ad Magistratum Gdanensem misit, petens vt nundinas, quæ pręforibus erant, aliquantisper differret, vt eius Aula maiorem diuersandi haberet commoditatẽ, plateæque ab hominum concursu essent liberores. Dilationem nundinarum Rex impetrare nõ potuit; id tamen obtinuit, vt merces non in publicis plateis, sed in ædibus diuẽderentur. Cùm autem Rex in vrbem venisset, ibidemq; aliquamdiu commoratus esset, inter eius aulicos & basulos exorta leuissima primò orta est dissensio, quæ concurrentibus alijs atq; alijs in apertum tumultũ excreuit: ita vt Rex ipse cũ omnib. suis periclitaretur. Paulò post inde in Sueciam nauigauit. Hic iam magna apud Catholicos spes est, Regem hunc Catholicum & pium Religionem Catholicam Romanam, quæ ab anno 1525. (introducta per Oloaum Petri Lutheranica) ibidem exulant, in hoc Regnum reducturum. Quæ enim sub auo Sigismundi Gostauo expulsa, sub patre Ioann. hospitium inuenire non potuit, nisi in aula vxoris, vbi & Sigismundus est educatus, hæc Deo duce caput sub hoc Rege extollet. Post 70. annos captiuitatis Babilonicæ, (tot enim anno futuro numerabimus) muros Ierusalẽ, eiusq; tẽplũ istic reædificãda, frigidissimũq; Aquilonẽ pristinũ pietatis calorẽ, quem sub SS. Erico, Brigitta &c. habuit, recepturum sunt qui sperant.

Tumultus Gdanenſis.

Groeningenſium miſeria.

Groeningenses, Phrisiæ populi, 12. iam anno in fide Regis Hispa. permanserant, misera & dura erat vulgi tã diuturno bello conditio, vndiq; hostibus

hostib. cingebantur. Si quid in vrbem aduehere- Anno
tur, magnis id fiebat expensis vnde omniũ rerum 1592.
in vrbe non modò caritas, sed & raritas. Sæpè ad
Regem, sæpè ad eius Gubernatorẽ & Consiliarios
scripserant, opem implorantes, & protestantes, se
ad vltima deuenisse, quod si cum hoste paciscan-
tur, id se extrema necessitate coactos facturos esse.
Opimas recepêre promissiones, subsidij verò aut
nihil, aut nõ tantũ, vt magnopere vrbis calamitatẽ
eleuare potuerit. Memor itaq; Senat⁹ beneficiorũ
Imperio quondã Romano à suis præstitorũ & vr-
bõ eidẽ Imperio quibusdã adhuc in rebus esse ob-
noxiã, sub finẽ anni præcedẽtis ad Imp. Rom. scri-
pſit, eidẽ supplicãs, vt auũculo suo Regi Philippo *Groeningenses supplicant ad Cæsarem.*
instet, ne vrbẽ ei tã fidelẽ, & extrema quæq; patiẽ-
tẽ deserat, sed potius opẽ ferat: ne præda fiat & lu-
dibriũ hostib. toti autẽ mũdo fabula, quod in ipsi-
us etiã Regię Maiest. ignominiã & cõtẽptũ esset re
dũdaturũ Cæsar intellecta iusta Groeningẽsiũ pe- *Cæsar Groeningensium causam commendas Regi Hispan.*
titione, pro sua clemẽtia & solicitudine Imperiali
cõsestim ad Philip. scripsit, officij illũ sui admo-
nuit, perijtq; ne tã fideles subditos negligat: sed ab
hostiũ molestijs, iniurijsq; per suuũ in Belgio Gu-
ber. vindicet. Rex acceptis Cæsaris litteris, mẽse
Aprili eidẽ in hũc modũ rescripsit. Grato se ani-
mo Sac. Maiest. literas Pragę Latinè scriptas acce-
pisse & legisse, ex ijsq; curã & solicitudinẽ, quã er
ga suos subditos Groen. gerebat, intellexisse, quæ *Rex respondet Cæsari.*
nõ potuit sibi esse nõ gratissima, pro qua & gratias
maximas Cæsari agebat. Celare autẽ se Cæsarẽ nõ
posse, quòd iã pridẽ cognato & Consiliario suo
Petro Ernesto, Comiti Mansfeltio, Baroni in Hel-
drungen &c. aurei velleris Equiti, & nunc in Bel-
gio, di-

Anno 1593.

gio, ditionibusq; Burgundicis sibi hæreditarijs in mandatis dederat, vt fidelib. suis subditis Groeningensib. omnē opē subsidiumq; necessariū ferret: vt se in hac sua calamitate tueri possint, prout vt idipsum summa necessitas requirit, & eorundem suorū subditorū cōstantia, fidelitasq; meretur, qui sibi vt naturali suo legitimo, hæreditarioq;, & à Dño Deo dato Regi ac Domino in tāta obediētia, cōstātia & fortitudine cōtra oēs suos inimicos, sibi rebelles adhęserūt, suasq; partes secuti sunt, quare id meruerūt, vt iure illos prę cæteris amore, gratiaq; prosequatur. Qua propter etsi iā sibi ante aliquot dies significatū sit, eundē Comitē Mansfeltiū omnē apparatū facere, omniaq; cōportare & cogere, qui ad seriā huius vrbis liberationē pertinēt tamē se denuo noua, & quidē ampliora daturum mandata, vt statim absq; vlla mora exercitū moueat, & Groeningensib. opituletur, nequid detrimēti capiāt. Se enim singulari zelo in Groeningēses esse, atq; iā satis edoctū, summā id necessitatē postulare. Similes litteras etiā Rex Philipp. Guilielmo de S. Clemente ordinis S. Iacobi Equiti, suo apud Cæsarē legato trāsmisit. Hollādi cū suis confœderatis, etsi fortasis hæc nō ignorarēt, vt suos vbiq; habent coryczos, nihil tamē territi, ab expeditione territorij VVasensis, vnde post opulētam prædā abactā diligentia Mondragonij erant expulsi, in Frisiā primò, atq; inde in territoriū Groeningense exercitū inducunt, agros depopulātur, vrbi terrorē incutiūt, castrū VVeddense occupāt. Regij partim serio Regis mādato, partim præsenti necessitate cōpulsi, collectis viribus Rhenū versus contendunt, ac tandem initio mensis Septem fluuium traijciunt,

Regis erga Groeningenses animus.

Ordines Belgici in Groeningenses.

Regij in Frisiam conrēdunt

traijciunt, magnisq; itinerib. per VVestphaliam, non sine incolarum detrimento, in Frisiam proficiscuntur. Quid autem istic post recuperatam VVeddam gesserint aliàs narrandi erit occasio. 3. Septemb.

Anglia diuturna pace; maxima negotatione & assiduis depredationib. ad summã felicitatem hoc tempore peruenerat: ita vt iam in corde suo cum Tyro diceret; Dea ego sum, & in Cathedra Dei sedi in corde maris. Quare iustus Iudex Deus his mensib. innocentem sanguinem effusum, aliaque flagitia, tam in Regno ipso, quàm extra Regnum, (ac præcipuè in mari perpetrata volẽs vindicare, insulam omnem, præcipuè verò vrbem Londinensem grauissima pestilentia afflixit: adeò vt circa finem Iun. 666. homines in sola vrbe Londinẽsi, in Augusto verò nonnunq; 2200. aliquãdo 20000. & plures in vna septimana hac lue mortui sint. Quamobrem multi relictis vrbibus in pagos & villas migrârunt, quidam relicta insula in Belgiũ, se, suaque transportarunt: Regina sibi, suisq; metuens, sub pœna capitis interdixit, ne quis ex locis, vbi hoc malum grassabatur, ad aulam veniret. Sæuijt hæc lethifera contagio in multam vsq; hyemẽ, nulli ætati, nulli parcens hominum conditioni. Quæ præterea ad finem vsque anni huius contigerunt, quia adhuc recentia sunt, ne falsa pro veris lectori obtrudamus, alij tẽpori reseruabimus: donec quid alij de illis scripserint videamus & quid verum, quid falsum sit melius edoceamur. Ne tamen insignes in Christianorum in Turcas per Vngariam & Croa. victorias omni silentio transeamus, obiter his subijcere voluimus. Pestis in Anglia. Ezech. 27.

Anno 1593.

BREVIS RERVM INTER TVRCAS ET CHRISTIANOS PER VNGARIAM ET CROATIAM

à mense Septembri Anni 1593. ad initium vsq; Anni 1594. gestarum commentarius.

POST cladem ad Sisseg acceptam amurathes ira percitus incredibili, vindictęq; cupidus, vt ignominiæ, hāc maculā eluere, ingentē denuò conscripsit exercitū, & ad eandē munitionē expugnandam misit. Christiani cùm numero viribusq; longè essēt inferiores (aiūt enim in Turcarū exercitu cētū quadraginta, alij centū millia equitū peditūq; fuisse) cū summo animi dolore munitionē hanc in cōspectu suo ab hostibus sibi extorqueri viderunt. Qui in ea erāt præsidiarij fortiter sese, defenderūt, sed cōtinuis oppugnationibus defatigati, & tandē victi, ab erūpentibus Turcis oēs trucidati sunt. Vidi nuper diariū rerū Turcicarū Pragæ, vt titulus habebat impressū, quē etsi in omnibus imitari nō audeā, cùm quædā non vera in illo inuenerim, quæ tante hactenus vera creduntur, ex illo recensebo. Septimo, ait Octobris Vesprinū a Turcis occupatū est. At Christiani, animaduertentes se vrbē aduersus Turcarū impetum tueri non posse, per posticū quoddā nocte egressi fugam moliebantur. Turcæ verò fuga cognita nostros insecuti, multos occiderunt. Præfectum Ferdinandum Samariā, vnà cum quodā Germano Hofkirchero ceperunt. Puluis tormentarius, qui in murorum fundamentis ā nostris

Sisseg à Turcis expugnatur.

7. Octobris.

Vesprinum capitur.

stris defossus erat, ignem concepit, postquam iam Turcæ essent ingressi, munitionemq; vnà cũ multis Turcis euertit. Turca verò cõmoditatem loci considerans, Vesprinum deserere noluit, sed duobus Begis restaurandũ dedit. Inde Palotam mouet hostis, eamq; arcem tanto furore concussit, & tot oppugnationibus præsidiarios fatigauit, vt iã nulla spes esset eam defendendi. Quare Petrus Ornãdi Vngarus, qui loco præerat, coactus est cum hoste pacisci, arcemq; tradere. Cumq; vitam & fortunas iam nostri ab hoste impetrassent, pactiq; conditiones sacramẽto essent confirmatæ, arx aperta, & hostes admissi sunt. At Barbarus periurus capto Præfecto cum duobus alijs, reliquos omnes trucidauit. Decimo tertio Octobris munitio Vezzan in Turcarum potestatẽ venit. Magna ob tot celebres celeresq; hostium victorias erat in Croatia, Vngaria & Austria trepidatio. Hanc augebat fama intestini mali. Quidam enim dicebãt multos esse Proceres, in istis locis, qui clãcum Turca in pernicem Christianorum conspirauerant: quidam Boemos à Cæsare deficere, & nouum sibi Regẽ creare velle. Alij Cæsarem rebus adeo deploratis fugam in Hispanias meditari, alij alia somniabant, vt metus suspicionum & malorum omnium plenus est.

Anno 1593.

Palota capitur.

Palota capitur.

13. Octob. Vezza capitur.

At Cæsar vbi ex certis exploratoribus, captiuisq; didicisset, hostilẽ exercitũ non vltra centũ armatorum habere millia, & inter illos 5600. tantùm Ianitzaros, Equites etiã inutiles, & in bello minimè exercitatos; Tormẽta secum attrahere maiora 14. minora seu campestria 100. in omnem partem Legatos, nunciosq; misit, qui dispersas Christianorum copias in vnum cogerent exercitũ, nouas

Exercitus & apparatus Turcarum.

Anno. 1593. conscriberent, & à Principibus Christianis opem implorarent. Imperator exercitus Turcici erat Sinan Bassa Budensis, multi Begæ, Sangiaci, Spachi & magni nominis Proceres. At famæ datum est Sinā Bassam hoc tēpore mandatū accepisse, vlterius ne progeretur: sed ab armis abstineret, exercitumque in Hyberna dimitteret: Ianitzaros Albā regalem, Equites Budam, reliquos qui Constantinopoli venerant Belgradum ablegaret, vbi ad initium vsque noui Veris permanerent: quo tempore tres alij Begæ cum nouis copijs accederent, vt Erlauium, munitissimum Vngariæ arcem obsideant.

Per hos dies Chriuiani contractis vndique viribus, lustrato, recensitoq; exercitu, 16. & 17. Octobris Danubium traiecerunt, vt hostem ab obsidione Totis (fortè Dotis) repellerent, & cum eo, si opportunum esset, consertis manibus confligerent. Vicesimo deinde Octobris die Melchior Rhedesius Silesius cū 1300. lectissimis Equitibus partem hostilis exercitus adorsus, 6000. Turcas cēdit, multos capit, trecētos pueros Christianos, quos captiuos in Turciā mittere decreuerāt, armata manu redemit. Hæc victoria non exiguū terrorē hostibus incussit; maiora quotidie metuētibus ex eo, quòd Christianorū apparatus esset tam magnus, & quòd tam tardè exercitum educerent. Biduo post fama ad aulam Cæsaris allata est, Turcarum Imperatorem magnā celeritate 30000. Tartaros euocasse, quos in Vngariam quoq; missurus esset. Ceterùm acerbum hoc nuncium mitigarunt alia duo lætiora; primùm, quòd magnus Poloniæ Cancellarius multa Tartarorum millia trucidasset: secundum, quod Persarum Rex cum centum quinquaginta

16. Octob. 20. Octob. Cæduntur Turcæ 6000

ginta millium exercitu in ditiones Turcicas irruptionem fecisset, omnia quæq; obuia vastans, spolians, expugnans, & pomeria sua ad multa milliaria proferens. Hactenus ex illo diario Pragensi. ANNO. 1593.

Christiani auctis viribus collapsos animos denuò erigentes, cum exercitu viginti quinq; equitum peditumq; millium, præter limitaneos & incolas, sub finē Octobris Albam Regalē obsederūt. Est ea ciuitas Vngariæ celebris, in qua antiquitus Reges solent coronari: quorum vltimus fuit Ferdinādus Imperator, qui ibidē anno 1527. postremò coronatus est: Obsessam vrbē attractis machinis magno cū impetu verberarunt, & iam ruinas aliquot ad oppugnationē idoneas strauerunt. Incursione vna aut altera facta, fortiter ab oppidanis reiecti sunt. Interea Bassa Budensis mandato Sinan Bassæ cum tredecim Begis & viginti millium exercitu, in quo triginta machinæ bellicæ, & quingenti currus commeatu, apparatuq; omni onusti erāt, Albam Regalē mittitur, vt vrbē obsidione liberet. At Comes Hardeckius, Guber. in Rab, Comes Georg. Serinēsis, Dñs Nadasti cū suis Equitib⁹ & Hussaris, & octo lectorū peditū millibus, Turcis antequā ad vrbē appropinquarēt, obuiā processerunt, vt belli fortunā tētarent, & Bassam, ne propius accederet, impedirēt. Bassa visis nostris eminentiorē locum occupat, vt desuper in nostros omne telorū genus facilius immitteret. At Christiani inuocato Dei auxilio, iustaq; ira in hostem inflāmati, de loci iniquitate nihil cogitātes, in Turcas irruūt. inter tela & arma collē ascēdunt, & cominus pugnātes decem millia Turcarū occidūt: inter quos tres Begæ, Granensis, Setschinensis, & Nouigradensis; Chiausi septem, & alij multi Proceres,

Christiani Albam Regalem obsident.

Insignis Christianorum ad Albam Regalem victoria.

Anno 1593.

fortissimiq; limitaneorum militum Prę fecti. Sinā Bassa in eadem pugna fuisse, in scapulo & femore vulneratus esse dicitur: reliquos in fugam coniecerunt, nullos ceperunt, sed omnes trucidārunt, quam rem Turcæ tulerunt ægerrimè, iuraruntque inter se, nullos deinceps se etiam Christianos in fidem recepturos, sed & omnes interēpturos esse: cuius iuramenti exemplum Bassa mox statuit in quinq; Christianos, qui captiui adducebantur, oēs quoq; machinæ, currus, commeatus & apparatus, multiq; cameli in Christianorum potestatē venerunt. Magnum hic erat fortunæ, aut potius Dei beneficium, quòd omnes machinę hostiles sine vllo nostrorum detrimēto exonerabantur. Antequam autem denuo onerari & disponi potuerunt, Hussari & Equites Germani impressionem in hostē fecerunt, & tam grauiter pugnarunt, vt Hussari penè omnes fractis hastis, solis gladijs ferire cogerentur. Germani omnem puluerē, plumbumq; penè absumpserint: adeo vt si hostes impetum ad quadrantem horæ adhuc sustinere potuissent, Christiani in summo fuissent periculo, Turcæq; indubitatā victoriā reportassent. Ex Christianis septem tantum alicuius authoritatis viri cæsi, vulneratiq; sunt, inter quos Comes Hardeckius, qui machæna Turcica in tibia læsus est, leuiter tamē, quod vulnus grauius fuisset, nisi in ocrea radium ferreum. fortè fortuna habuisset, qui ictum exceperat. Hac victoria potiti Christiani ouantes in castra redierūt. Incredibile est, quantoperè hęc victoria Christianorum animos auxit, & quā grauiter res, Turcicas debilitauit & afflixit. Post hanc enim victoriam tantus metus, tanta inter illos orta est trepidatio,

datio, vt de multis munitionibus defendendis desperantes, eas reliquerint, & in interiorem Turciã profugerint. Ianitzari & Spachi hanc cladem soli Sinan Bassæ imputabant, dicentes ipsum in mandatis habuisse Belgradi hac hyeme manere, nec vllas expeditiones tentare. Quare ad aulã Imperatoris miserunt, qui eum huius temeritatis accusarunt. Imperator cognita causa, ira, indignatione q; incitatus, confestim Legatum Belgradũ misit, vt Sinan Bassam captum strangularet, quod & initio anni sequentis factum est. Atque hic finis est famosi illius Sinan Bassæ militis exercitatissimi, tot victorijs clari tanta nuper apud Tyrannum authoritate. Hæc Barbaro huic militantium merces.

Anno. 1593.

Sinan Bassa strangulatus.

Per idem tempus duo Begæ, Vesperinum venerunt, quos 17. Nouembris alij duo subsecuti sunt, qui in mandatis habere dicebantur, quod omnia, quæ extra muros, munitionesque erant, incendio absumerent, atque in fanitsas redigerent. Captus verò quidam Vesprinensis Turca & examinatus, confessus est, eos missos, vt Christianorum agros depopularentur, & Tihan munitissimũ oppidum in Balatonis lacu ỗsiderent, expugnarentque.

Decimo quarto die Nouembris hora circiter decima Cascauiæ tres Soles sub iride visi sunt. Quo tẽpore Hussari Erlauienses tres Tzscauiscios, quos 37. Turcę comitabantur, habuerunt obuios, armisque expeditis in illos irruentes, vnum ex Tzscauscijs cum decem Turcis strauerunt, duos alios captiuos Erlauium secum adduxerunt. Per eosdem dies Dominus Tusenbachius arcem Sabatzkã (alij Sarbackam) in qua centum equites & totidẽ erant pedites, cum exercitu bis millium & quingentorũ

Tres Soles visi 14. Nouemb.

Sarbacka à Christianis capitur.

Anno 1593.

armatorum obsedit, cumque omni celeritate oppugnauit, expugnauitq;, & præsidiarios omnes interfecit. Hanc victoriam adeptus, sine mora castra mouet & ante Villeck posuit. Turci qui Budæ erant, cum vicinas præsidiarijs in Hatuan congregati, numero circiter 12000. obsidionem Vilekensem soluere se posse arbitrati, magnis spiritibus in hostem profecti sunt. Cæterùm Tusenbachium aduetus hostium certiore factum, cum parte exercitus illis obuiã processisse, plurimos cæcidisse, reliquos fugasse, non contemnendum machinarum numerum accepisse, deinde ad obsidionem reuersum Pragæ nuntiarũ est. Paulò post Villeck à Tusenbachio occupatũ est, multaq; ibidem inuenta tormenta bellica, ab hostibus, ne in Christianorũ potestatem venirent, terræ infossa. Ingentẽ quoq; frumenti copiã extra munitionem in terra defossam fuisse, hanc postea Turcas intempesta nocte effossam aliquot centenis curribus impositam, in castra sua aduehere conatos, sed à præsidiarijs eius rei certiores factis cæsos, & frumentũ in Villeck comportatum, quidam ex Vngaria scripserunt.

Villeck obsidetur & capitur.

Alia Christianorum victoria.

Christiani, ne quã requiem hostibus permitterent, sed victoriam prosequerentur, Setschinum & Holky quoque occuparunt, cumq; Dux exercitus deliberaret, an Hatuanam munitionem tentaret, an verò Domino Palfyo, qui ad Nouigradum castra metabatur, se coniungeret, ingẽs tempestas exorta est: pluuiæq; denssissimæ impedierunt, ne tormenta bellica promoueri, aut comeatus vllus in castra posset aduehi. Omnes quoque agricolæ circa Setschinum & Villeck relictis suis in loca tutiora se receperant. Cùm itaq; magna fames esset

Setschinum & Holky seu Holdeky occupantur.

esset in exercitu, multi dilapsi sunt. Palsyus cum suis Dregelium & Palankam à Turcis relictas occupauit. Cùm verò Samasky munitissima arx inter Setschinum & Villeck adhuc ab hostibus teneretur, nostrisq; multum incommodaret, visum est illã ante omnia occupandam esse. Missus itaq; est Scirrinus Michaël, summus Cæsareæ Maiest. Præfectus, cum aliquot peditum, equitumq; copijs tormentis bellicis, & omni apparatu, vt castro illo eijceret. Cuius rei fama cùm ad hostes esset perlata, fugerunt, relictis tãtum in arce 35. præsidiarijs qui vitam & fortunas pacti, eam confestim dederunt. Paulò post nunciatum est, VViriadum quoque ab hostibus relictum, & à nostris occupatum, & Dregelium captum esse, in quo decem insignes machinæ repertæ sunt. Hinc VVetzka quoque Christianis dedita. Insignis profecto vnius expeditionis victoria, in qua tredecim fortissimæ Turcis munitiones, quarum nomina. *Sarbacka, Villeck, Diuin, Hatinat chki, Setschin, Plauvvenstein, Dregel, Hulvvock, Holdacky, Samasky, VVugack, VVetschke, Pallanka*, ereptæ sunt, tantusque terrarum ambitus à seruitute Turcica vindicatus, quantum inferior Austria complectitur.

Anno 1593. *Dregel & Pallancka occupantur.* 7. Decemb. *Samasky occupatur.*

Mortuo Principe Parmensi (vt hoc obiter addamus diu multumq; in aula Regis Hispaniarũ disceptatum est, quis loco illius Gubernator in Belgiũ mitteretur. Quibusdã consultũ videbatur Albertũ Austriacũ, Portugalliæ Prorege mittendũ. At Lusitani institerunt Regi, ne optimo Principi, & omni populo gratissimo Administratore ac Prorege priuarẽtur. Cõclusum itaq; tãdem, Rex Ernestum fratrem huius Alberti, & ipsius Cæsaris seniorem in

Ernestus Archidux Austriæ in Belgium proficiscitur.

Anno 1593.

Belgium mitteret. Data est ergo prouincia hęc Ernesto, Principi optimo, pacifico, clemẽti, in armis & toga insigni, multis naturæ dotibus ornato; tũc Stiriæ, Croatiæ, Vngariæq; Gubernatori. Quas prouincias cũm propter motus bellicos statim accepta Regis Legatione deferere nõ posset, eius in Belgium iter hactenus protractum est. Cõstitutis autem omnibus in Vngaria & Croatia, incolis metu liberatis, initio tandẽ Decembris iter Belgiũ versus cum 800. equitibus ingressus est, ac tandem 18. die mẽsis eiusdem Norimbergam venit. Hic salutatus est à duob. Palatinis, vnõ Nauburgẽsi, altero Bipontino, eorumq; vxoribus, Ducis Iulliacẽsis filiabus, Ernesti amitinis. Princeps quoq; Bauariæ, duæ sorores, & Caroli Archiducis filius 18. annorum iuuenis Norimbergã profecti, eundẽ Archiducem Ernestum honorificè exceperunt.

18. Decemb.

Quarto post die Norimberga Herbipolim contendit, vbi Natalẽ Domini celebrauit. Post fratrẽ Maximilianum à se dimittens, spe pacis plenus, in Belgium, vna cum Electore Colonienſi, alijsque Principib. profectus, sub finem Ianuarij Bruxellas vbi ab incredibili hominum frequentia expectabatur, ingressus est.

Circa idem tempus Comitia Ratisbonæ 6. Martij habenda decreta sunt in quibus de communi Imperij salute disceptabitur. Primò scilicet de bello aduersus Turcas gerẽdo, de auxilijs & subsidijs ad illud necessarijs. 2. de varijs inter Principes & Ordines Imperij diffidijs componendis. 3. de mittendis Legatis ad externos Principes, à quibus auxilium contra Turcas petẽdum erit, deq; illorum Legatis recipiendis. 4. de reformanda Camera Spirenſi,

Comitia Ratisbonæ indicta.

rẽsi, multisq; abusibus qui paulatim in Iustitię Politiæq; administratione irrepserũt, tollendis. 5. de inspectione & ordine monetæ. Cæterùm ob difficultates quasdã hęc Comitia postea vsq; ad Dominarim primã post Paschatis solẽnia prorogata, & denũtiationis litterę mutatę ac denuò recusę sunt. ANNO 1593.

Aiunt etiam Cæsarem per eosdem dies cum suis Regnis & Prouincijs cõuenisse, futuro vere exercitum 30000 equitum, & 60000. peditum in Turcas educendum esse. Huius exercitus imperator summus Archidux Austriæ Ferdinandus, Comes Tirolis. Cæsaris Patruus renunciatus est. An verò Archidux Maximilianus, Poloniæ Rex, eius erit Vicarius, incertum adhuc est: cùm multorum animi in *Matthiam fratrem* propendeant.

Maxima, & qualis non fuit à multis seculis hoc tempore inter Turcas erat trepidatio, ita vt ex omnibus vicinis oppidis & arcibus, quicquid in ijs precio sum erat, Budam transportarent; in qua vrbe tantum hoc tempore thesaurum esse scribunt, quantus ad exercitum cõtum millium hominum toto anno in castris alendum sufficeret. Quod si Christiani vires suas paratas haberent, facili negotio Albam Regalem, Budam, aliasq; maximas vrbes recuperari posse arbitrantur. Vt antè Turcę labãtes suorum animos confirmarent, nostrorum vero percellerent atq; labefactarent, famæ tradiderunt, Begerbleyum Græciæ Budam cũ tot multis armatorum millibus aduenisse, vt diuersoria ijs capiendis non sufficiant. Quadraginta quoque milia Tartarorum in itinere esse, & summum Vezirium quotidie expectari. Cùm verò Osman Bega quatuor exploratores emisisset, qui castra Christianorum

Turcarum trepidatio.

Anno 1592.

anorum perlustrarent, militum numerum, commeatus, apparatusque copiam, & quot machinas haberent, quis itidem eorum animus, Hatuanamne an Vesperinum transferre exercitum decreuissent, diligentet inquirerent, ijdem agniti, comprehensi & examinati sunt. Initio, vt à Bega edocti erãt, de multitudine & viribus suorum, quæ paulò ante commemorauimus, referebant. At strictius postea examinati; confessi sunt, hæc de industria spargi: Begerbleyum quidem Budam aduenisse, sed sexcentis tantùm equitibus, peditibusq; comitatum: hac hyeme neq; Tartaros, neq; Vezirium expectari, sed in æstatem proximam incredibilem apparatum fieri.

16. Decemb.

In inferiori Vngaria copiæ Christianorum ex hybernis iterum euocatæ, circa medium mensem Decembrim conuenerunt, vt circa initium anni sequentis vel Granum, vel Albã Regalem, denuò obsideant. Sed & 22. maximæ machinæ Vienna Comarã nauigio demissæ sunt. Alij 40. machinas lauarinam ad Archiducem Matthiam missas asserunt, & copias certatim sub Palfio, Hardeckio, Tusenbachio coire, vt non dubitetur insignem aliquam expeditionem nostros meditari. Dum hæc Viennæ fiunt, Hussarorum, qui Papæ in præsidio sunt, præfectus cum suis in nouum Begam, qui cum pretiosa supellectile sua Palotam in commitatu 600. militum proficiscebatur, ex improuiso incidit; cumque ad manus ventum esset, Hussari superiores Turcas partim strauerunt, partim captiuos secum abduxerunt. Bega, quia se dedere nollet, cum alijs interfectus est. Decimo nono Turcæ ex munitione Sisseg, traiecto Sauo in Christianorum terras

terras prædabundi excurrerunt. Cùm autẽ Dominus Grasvvinus id per exploratores intellexisset, eos insecutus, septingentos partim trucidauit, partim in Sauum repulit, vbi vorticibus absorpti perierunt. Anno 1593. Iterum 700. Turcæ cæduntur.

Atque hic finis est libri & anni huius procellosi: in cuius exitum incidit funesta & celebris illa tempestas, quæ præter aliarum nationum plurimas, Hollandicas naues maximas circiter quadraginta frumento in Italiam importando, alijsque mercibus onustas, cum nautarum ingenti numero quasi in ipso portu, iuxta insulã Texellensem euertit. Damnum profectò incomparabile & luctuosum. Deus consoletur eos, in quorum perniciem hæc tempestas ita desæuijt; & annum nobis largiatur fæliciorem; vt fractis Turcarum viribus, bellis tam externis sopitis, elementis pacatis, pristina pace & fœlicitate fruamur.

FINIS.

Annô 1593.

EPILOGVS.

HAbetis Reuerẽdi Domini Dettini, & tu benigne lector, quæ promisimus, ex nostri temporis diuersorum idiomatum scriptoribus collecta, & in vnum corpusculũ redacta. Addidimus ipsi quæ vidimus, & quæ amici per litteras nobis communicârunt, Inuenietis fortaßis Lector, quæ vulgò aliter quàm hic narrantur; sed meminerit, multos affectibus suis duci magis, quàm veritate niti. Contigit enim nobis non rarò, duos, qui eidem expeditioni interfuerunt, in narratione rei gestæ non consentire: sed vnum hoc alium isto modo narrare. Porrò neque omnia quæ hic damus pro Apollinis oraculo haberi volumus: fieri enim potest, vt nos ipsi prius decepti, alios etiam decipiamus. Testamur interim Deum Optimũ Ter Max. nihil nos hic animo peruerso & maleuolo quo ad historiam, scripsisse aut in veritatem, atque adeo conscientiam ex industria peccasse: sed simplicem veritatem, prout nobis constabat, vel apud alios inuenimus, in omnibus secutos esse. Digreßiones si quæ sint, quæ lectori non placeant; (etsi paucæ sint & breues) eas transiliat licet. Vtimini itaq; Domini mei, hoc qualicumq; labore nostro, & ad scopum quem nobis in hoc opere præfiximus, subinde collimamina. Futurum enim speramus, vt si hoc feceritis, miserrimum exulceratißimi seculi nostri statum sitis cogniturí. Reliquum est, vt Omnipotentem & misericordem Deum humili-

milimente & ſupplici voce obſecremus, vt præſentes calamitates à ceruicibus noſtris tollat, & inſtantes auertat; iuſta iracundiæ ſuæ flagella vibrare deſinat; noſtri clementer, miſereatur & tandem decurſo vitæ ſpatio, ex hoc exilio lachrymarum, & dolorum pleno, ad illam patriam, vbi mors vltrà non erit, neq; luctus, neq; clamor, neq; dolor: vbi exultant Sancti in gloria, & in cubilibus ſuis lætantur, perducat. Amen.

Anno 1593.

(·.·)

BIBLIOTEKA KÓRNICKA

Pl 145

XVII 352

Suplement
t. I N 2000
7877/45

Iuxta rerum
vii
obelgii.